Es

Si
el
Ser
ala
pe

Ludolpho Culen hallo la
aproximacion deel circulo de
esta cantidad. siendo el diame-

100,000,000,000,000,000

esta el circulo entre es[...]
meros

314,159,265,358,979,323,
314,159,265,358,979,323,

Siendo el ~~radio~~ diametro 20000 es el
tres diametros y $\frac{1}{5}$ dela corda
arco de 90 grados y solo sa[...]
minuto en $\frac{1}{22002}$.

+ Siendo el circulo = x
inscripto la corda deel pentagono = c
el diametro = d
5 = b

sera

$$x = cb + \frac{d}{b} + \frac{d}{3b^3}$$

y es tan aproximado q siendo el
diametro 20000000, solo ay la di-
ferencia de 62831852 $\frac{1}{3}$ q puede con-
sistir en falta insensible delas tablas de
los senos.

y siendo $x = cb + \frac{d}{b} + \frac{d}{3b^3}$
sera multiplicando ambas partes
por b^2

$b^2 = cb^3 + db + \frac{d}{3b}$

partiendo una linea en 16
y tomando ~~[illegible]~~ las quince
diametro sera ll $\frac{1}{16}$ q resta
y el diametro tomado cinco
y añadido al $\frac{1}{16}$ sumaran
y $+\frac{d}{3b}$ y todo esto partido
$25 = bb$ sera $\frac{1}{25} = \frac{d}{b} + \frac{d}{3b^3}$
q es la pte q se busca p.a aña
dir a los cinco lados del pen-
tagono inscripto. esto es $\frac{36}{375}$ de diamet ro

Es tambien linea muy aproxximada al
circulo si de siete semidiametros se
resta la cuerda de 42 g. q se hallan
facilmente restando del arco del pen
tango 30 grad. q solo sale aumenta
da la lienea $\frac{396}{1000000000}$

THEODOSII TRIPOLITAE SPHAERICORVM LIBRI III.

A CHRISTOPHORO CLAVIO BAMBERgensi Societatis IESV

PERSPICVIS DEMONSTRATIONIBVS, ac scholijs illustrati.

Item Eiusdem

CHRISTOPHORI CLAVII

SINVS. LINEAE TANGENTES. ET SECANT
TRIANGVLA RECTILINEA. ATQVE SPHAE

ROMAE,

Ex Typographia Dominici Basæ. M. D. LXXXVI.

PERMISSV SVPERIORVM.

ILLVSTRISS.MO ET EXCELL.MO
PRINCIPI,
DOM. IACOBO BONCOMPAGNO,
Duci Soræ, & Marchioni
Vignolæ, &c.

CHRISTOPHORVS CLAVIVS
è Societate IESV. S. P. D.

QVANTVM ſit, Illuſtriſſime Princeps, ad perfectam Mathematicorum ſcientiam in ſphęricis Elementis, & in Sinuum, linearumq; Tangentium atque Secantium, & in tota denique Triangulorum diſciplina momenti, nemo melius intelligit, mea quidem ſententia, quam qui in rerum cęleſtium cognitionem neruos omnes intendit. Nam nec Orbium globorumve cæleſtium, nec ſiderum ſeu quæ vocantur errantia, ſeu quæ infixa ſunt cælo, curſus ac magnitudo (quæ vna omnium iucundiſſima, & ad decus aptiſſima ſcientia eſt) ſine eorum ope ac beneficio teneri poteſt. Locupletiſſimus teſtis eſt excellenti doctrina vir Ptolemæus eo libro, quem Conſtructionem magnam inſcripſit: vbi quicquid ad cæleſtem doctrinam pertinet, id omne vel ſphæricis ex elementis, vel ex triangulorum doctrina, vel ex arcuum denique chordis (vnde omnis Sinuum, omnis linearum Tangentium ac Secantium diſciplina manauit) peracute demonſtrat: vt fruſtra laborem operamq; ſuſcipiat, quiſquis hoc ſine præſidio Demonſtrationes illas conetur attingere. Mitto quanta in Gnomonica, quanta in Coſmographia, Geodæſia, & vniuerſa pene Geometria earum rerum ſit opportunitas: ne aut in re perſpicua ſim multus, aut aliena diſputatio videatur. Quocirca fatebor, quod res eſt, Sapientiſſime Princeps, multas me annorum vigilias ac labores pro eo amore, quo ad Mathematicas voluptates incendor, in earum, quas dixi, rerum planam ac ſolidam cognitionem contuliſſe: & lucubrationes quaſdam ſepoſuiſſe, meos duntaxat in vſus. Verum vt eruditorum, & eorum, qui ſcripta noſtra tractabant, Gnomonica præſertim, vbi Sinuum, Triangulorum, cæterarumq; rerum frequens incidit mentio, poſtulationi concederem; commode me facturum exiſtimaui, ſi quæ priuatos in vſus temere collegiſſem, ea in ordinem adducta, & in vnum quaſi coacta corpus in commune conferrem: Et commentarios hoſce in tres Theodoſij Tripolitæ libros de ſphæricis elemẽtis, vna cum

demon-

demonſtrationibus noſtris Sinuum , linearum Tangentium atque Secantium, præcipueq́; Triangulorum tam Rectilineorum quam Sphæricorum diſciplina, paterer in apertum lucemq́; proferri. Quæ quidem peropportuna mihi viſa res eſt ad declarandam noſtram in te voluntatem, perpetuamq́; beneuolentiam, ſi cum tui nominis inſcriptione diuulgarem. Quibus enim titulis labores noſtros cohoneſtemus, niſi eorum virorum, qui vel eiuſdem ſtudij delectatione ducuntur, vel eas res, in quibus elaboramus, ſuo pondere momentoq́; perpendunt? Scientiæ comes iucunditas eſt, & ea demum ſunt pretia rerum, quæ ſtatuerit cuiuſque cognitio. Tu Mathematicorum ſcientia præſtas, atq; idcirco mirificas inde voluptates hauris. Apud te maximo ſemper in pretio atque in honore fuit, quia quanti facienda eſſet, eius diuturnus vſus tractatioq; te docuit. Accedit, quod cum Societati noſtræ gens tua tot iam ſummæ liberalitatis officia tribuerit, vix videtur ſummam ingrati animi notam effugere poſſe, niſi cum ſe dedit occaſio, aliquid aliquando retribuat. Extant Gregorianæ liberalitatis quam ampliſſima monumenta: extant eius de Societate noſtra iudicia perhonorifica: Iura data atque amplificata. Conceſſæ immunitates: Collegia familiæ noſtræ in vltimis

mis

mis etiam terrarum partibus excitata. quæ omnia, quantum tuo ſimus obſtricti nomini, non modo ijs, qui nunc ſunt, ſed omnibus etiam poſteris teſtabuntur. Quare quî poteram in quærendis honeſtis titulis operibus meis te, Princeps Ampliſſime, præterire? Appareat igitur in tuo nomine munuſculum hoc vigiliarum mearum tenue illud quidem & perexiguum: ſed tamen eiuſmodi, quod & noſtra in te ſtudia, & tua in nos officia grata quadam ſignificatione memoriæ cunctis gentibus patefaciat. Romæ Octauo Id. Decemb. M D LXXXV.

ERRA-

ERRATORVM CORRECTIO.

Pag.	*Lin.*	*Errata.*	*Correctiones.*
29.	22.	Quoniam igitur in	Quoniam in
36.	30.	atque punctum E,	atque punctum F,
44.	20.	Quod secundo loco	Quod primo loco
47.	Secunda figura cum prima paginæ 48. locum permutet.		
48.	Prima figura cum secunda paginæ 47. locum commutet: & in tertio casu demonstrationis adhibeatur secunda figura paginæ 48.		
48.	11.	A D C, B E.	A D C, G H.
54.	42.	& arcus C H,	& arcus C N,
58.	13.	incidant.	indicant.
61.	6.	arcus singulorum	arcus singulos
64.	4.	I O, I B.	I O, I P.
64.	4.	in margine pro [12. 1. huius] lege [12. huius]	
64.	linea antepenultima, in margine apponatur [22. huius.]		
65.	12.	ad minorem	ad maiorem
67.	6.	maiorem esse	minorem esse
69.	3.	per C,	per D,
70.	35.	A F C,	A F G.
75.	22.	F B, circuli minoris	F B, circuli maioris
77.	5.	quorum	quarum
77.	ultima.	& K L,	& K X,
80.	10.	Si igitur sphæra	Si igitur in sphæra
109.	30.	in margine apponatur [14. quinti.] immediate supra [34. primi]	
112.	prope finem in margine pro [33. primi.] reponatur [34. primi.]		
127.	infra lineam vltimam pro [D F,] ponatur [H L.]		
170.	7.	Si o.	Si 60.
172.	43.	vel partem	vel per partem
176.	21.	quæ rectæ F E,	quàm rectæ F E,
187.	infra vltimam lineam pro [TABV] reponatur [L I N E Æ]		
188.	1.	L I N Æ	L I N E Æ
189.	2.	C A C,	C A D,
197.	28.	tangentem arcus	ad tangentem arcus
In tabulis tangentium, & secantium pag. 203. 209. 211. 221. 223. 225. 227. 233. 235. 237. 247. 249. 253. 255. 263. in margine dextro pro [39] scribe [29]			
In tabula secantium pag. 252. sub gradu 14. è regione minuti 29. antepenultima litera, nempe 1. versus dxteram debet esse 2.			
309.	17.	sit angens B C,	si tangens B C,
315.	28.	differentia, hæc nempe	differentia hæc, nempe
322.	7.	in E.	in D.
334.	14.	ipsi D C, æqualis	ipsi D C, æquali
359.	3.	B C,	quàm B C,
374.	28.	propos. 45.	propos. 41. & 42.
375.	vltima.	propos. 45.	propos. 66.
377.	11.	propos. 45.	propos. 66.
377.	30.	C H,	C G,
378.	antepen.	propos. 45.	propos. 67.
388.	prima figura inuersa est.		
395.	14.	triangulo sphærico	triangulo sphærico rectangulo.
409.	1.	esse totum	esse sinum totum
412.	23.	deleantur hæc verba [vt in propos. dictum est.]	
415.	16.	ad sinum compleméti.	ad sinum arcus EF, hoc est, ad sinum complementi.
433.	22.	theorema sequens	problema sequens,
446.	28.	arcu B Q,	arcu B K,
448.	30.	sub A V, K V.	sub A V, K Y.

ERRATORVM CORRECTIO.

Pag.	*Lin.*	*Errata.*	*Correctiones.*
471.	24.	arum B D,	arcum B D,
472.	penult.	angum	angulum
478.	21.	B D, notum	A D, notum
486.	3. & 10.	in margine pro [propos. 1.] ponatur	[propos. 2.]
492.	14.	vt æqualis.	fit æqualis.

Errata leuiora, quæ studio neglecimus, prudens lector facile emendabit.

THEODOSII TRIPOLITAE SPHAERICORVM LIBRI TRES.

PRAEFATIO.

CVM & in Phœnicia, & in Africa vrbs, cui nomen Tripolis, à Geographis, atque Historicis describatur, certo non constat apud scriptores, vtra harum ciuitatum Theodosii patria fuerit. Quo item tempore floruerit, non satis inter eosdem conuenit: Non tamen leuis coniectura est, eum circa tempora Pompeij Magni vixisse: propterea quod eum simul cum Asclepiade medico (qui temporibus Pompeij Magni floruit, si Plinio credimus) in Bithynia floruisse scribit Strabo. Scripsit autem varia opuscula Mathematica, vt De Habitationibus, De Noctibus, & diebus, atque etiam tres hosce sphæ-

ricorũ libros summa eruditione refertos, in quibus varias sphæræ proprietates demõstrat, quarum quidem cognitio magnopere est necessaria ad rerum cœlestium doctrinam consequendam. Etenim sine his Astronomia suã dignitatẽ tueri nulla ratione potest: Gnomonice quoque, seu ratio horologiorum Solarium describendorũ ex his maximè pendet. Adde quod & ad Geographiam, & ad Perspectiuam rectè intelligendam non parum momenti habeant, vt interim alias vtilitates sphæricorum elementorum taceamus.

QVONIAM verò duplex versio Sphæricorum Theodosii circumfertur, germana altera & propria Ioannis Penæ exemplari græco ad verbum respondens, altera Francisci Maurolyci Abbatis Messanensis ex traditione Arabum: nos priorem secuti sumus, quæ nouem & quinquaginta propositionibus absoluitur, inseruimusq́; varia scholia, quibus plurima theoremata necessaria, & scitu iucunda, à Theodosio quidem omissa, ab Arabibus autem adiuncta, demonstrauimus. In demonstrationibus autem non sumus secuti verba codicis Græci, sed sensum, vt demonstrationes ipsæ clariores fierent: adieci-

adiecimusq́; nonnunquam corollaria quædam, & ſcholia, necnõ lemmata, vt illis vti poſſimus, quando res poſtulabit. In margine porro appoſuimus numeros ſeriem propoſitionũ iuxta verſionẽ Franciſci Maurolyci referentes; vt facile à quouis propoſitiones Theodoſii, quas nonnulli ſecundũ ordinẽ Arabũ citant, poſſint inueniri. Figuras quoque, quæ in græco exemplari extãt, plerunque negleximus, quòd illæ, quas Maurolicus pinxit, commodiores ſint, & ad intelligendas res ſphæricas multò faciliores. Poſtremo, ne demonſtrationum curſus interrumperetur, citauimus propoſitiones Euclidis, & horum librorum in margine. Id quod & in ſequentibus operibus obſeruauimus. Citationes autem hoc modo intelligendæ ſunt.

1. primi.	Prima propoſitio lib. 1. Euclid.	Coroll.10. huius.	Corollarium propoſitionis decimæ huius lib.
18. vndec.	Decimaoctaua propoſitio lib. 11. Euclid.	Coroll.1. 1. huius.	Corollarium propoſitionis primæ lib. 1. huius operis.
Coroll.16. tertij.	Corollarium propoſitionis ſextędecimæ lib. 3. Eucl.	Schol.15. huius.	Scholium propoſitionis quintædecimæ huius lib.
Coroll.2. 33. ſexti.	Corollarium ſecundum propoſitionis trigeſimætertiæ ſexti lib. Eucl.	Schol.15. 1. huius.	Scholium propoſitionis quintædecimæ lib. 1. huius operis.
Schol.1.2. octaui.	Scholium primum propoſitionis ſecundæ lib. 8. Euclid.	20.1.Theod.	Propoſitio vigeſima lib. 1. Theod.
4. huius.	Propoſitio quarta huius libri.	Coroll.16. 1. Theod.	Corollarium propoſitionis ſextædecimæ lib. 1. Theodoſij.
12.2. huius.	Propoſitio duodecima libri 2. huius operis.	Schol.19. 1. Theod.	Scholium propoſitionis decimęnonæ lib. 1. Theodoſij.

Ex his aliæ citationes facilè percipientur, cum in omnibus eadem ſit ratio.

THEODOSII SPHAERICORVM LIBER PRIMVS.

DEFINITIONES.

I

SPHAERA est figura solida comprehensa vna superficie, ad quam ab vno eorum punctorum, quæ intra figuram sunt, omnes rectæ lineæ ductæ sunt inter se æquales.

II.

Centrum autem Sphæræ, est eiusmodi punctũ.

III.

Axis verò Sphæræ, est recta quædã linea per centrũ ducta, & vtrinque terminata in sphæræ superficie, circa quã quiescentẽ circumuoluitur sphęra.

IIII.

Poli sphæræ sunt extrema puncta ipsius axis.

V.

Polus Circuli in Sphæra, est punctum in superficie sphæræ, à quo omnes rectæ lineæ ad Circuli circumferentiam tendentes sunt inter se æquales.

SCHO-

SCHOLIVM.

ADDITVR *in exemplari græco alia adhuc definitio, qua explicatur, quid ſit planum ad planum ſimiliter inclinari, atque alterum ad alterum. Sed quoniam inclinatio plani ad planum ab* Euclide *explicata eſt lib. 11. defin. 6. At vero, quando planum ad planum ſimiliter inclinari dicitur, atque alterum ad alterum, eodem lib defin. 7. declaratum eſt, ſtatui eam omnino omittere hoc loco, & ſequentem apponere non diſsimilem definitioni 4. lib. 3.* Euclidis, *ita vt ſextum locum obtineat.*

VI.

IN Sphæra æqualiter diſtare à centro ſphæræ circuli dicuntur, cum perpendiculares, quæ à centro ſphærę in ipſorum plana ducuntur, ſunt æquales. Longius autem abeſſe ille dicitur, in cuius planum maior perpendicularis cadit.

THEOREMA 1. PROPOS. 1. 1.

SI Sphærica ſuperficies plano aliquo ſecetur, linea quæ fit in ſphæræ ſuperficie, eſt circumferentia circuli.

SECETVR Sphærica ſuperficies A B C, cuius centrum D, plano aliquo faciente in ſuperficie ſphæræ lineam B E F C G. Dico B E F C G, circumferentiam eſſe circuli. Tranſeat enim primò planum ſecans per centrũ ſphæræ D, ita vt D, ſit in plano ſecante, in quo ex D, ad lineam factam B E F C G, ducantur lineæ rectæ quotcunque D E, D F, D G. Quoniam igitur omnes hæ lineæ ductæ,



quotcunque fuerint, cum ex centro ſphæræ ad eius ſuperficiem cadant, inter ſe æquales ſunt, erit, per defin. 15. lib. 1 Eucl. linea B E F C G, circunferentia circuli, cuius centrum D, idem quod ſphæræ.

TRAN-

TRANSEAT deinde planum ſecans non per centrum ſphæræ. Ducatur autem ex D, centro ſphæræ ad planum ſecans perpendicularis D H, emittâturq; ex H, rectę vtcunq; HE, H F, ad lineam B E F C G, & cōnectantur rectæ DE, DF. Quoniã igitur anguli DHE, DHF, recti ſunt, ex defin. 3. lib. 11. Euclid. erit tam quadratũ ex D E, quadratis ex DH, HE, quàm quadratũ ex D F, quadratis ex D H, H F, æquale: Sunt autem quadrata ex D E, D F, inter ſe æqualia, quod & rectæ D E, D F, ex centro ſphæræ in eius ſuperficiẽ cadentes inter ſe æquales ſint. Quadrata igitur ex D H, H E, ſimul quadratis ex D H, H F, ſimul æqualia erunt. Dempto igitur communi quadrato rectæ D H, reliqua quadrata rectarum H E, H F, inter ſe æqualia, & rectæ propterea H E, H F, inter ſe æquales erunt. Eodem argumento oſtendemus, omnes lineas ex H, ad lineam B E F C G, cadentes eſſe æquales & inter ſe, & dictis duabus H E, H F. Linea ergo B E F C G, circumferentia erit circuli, ex defin. 15. lib. 1. Euclid. cuius centrum eſt punctum H, in quod perpendicularis D H, cadit. Quare ſi ſphærica ſuperficies plano aliquo ſecetur, &c. Quod erat demonſtrandum.

11. vndec.



47. primi.

COROLLARIVM.

ITAQVE ſi planum ſecans per centrum ſphæræ tranſierit, efficietur circulus idem centrum habens, quod ſphæra. Si verò non per centrum tranſierit, efficietur circulus aliud habens centrum, quàm ſphæra, illud videlicet punctum, in quod cadit perpendicularis ex centro ſphæræ ad planum ſecans deducta. Nam ſemper demonſtrabuntur lineæ rectæ cadentes ex hoc puncto in circumferentiam circuli eſſe æquales.

HOC EST.

IDEM eſt ſphæræ centrum, & circuli per ſphæræ centrum traiecti. Et perpendicularis ducta à centro ſphæræ in planum circuli per centrum ſphæræ non traiecti, cadit in centrum circuli: quia punctum H, in quod perpendicularis D H, cadit, demonſtratum eſt centrum eſſe circuli.

2.

PROBL. 1. PROPOS. 2.

DATAE Sphæræ centrum inuenire.

1. huius. SIT centrum inueniendum Sphæræ A B C D. Secetur eius ſuperficies
1. tertij. plano quopiam faciente in ipſa lineam B D E, quæ circuli circumferentia
Coroll. 1. erit. Sit huius circuli centrum F. Si igitur circulus B D E, per centrum ſphæ
huius. ræ traijcitur, erit punctum F, centrum quoque ſphæræ. Si verò per centrum
12. vndec. ſphæræ non traijcitur, erigatur ex F, ad planum circuli B D E, perpendicu-

laris

laris F G, quæ vtrinque ad ſuperficiem ſphæræ educta ad puncta A, C, ſecetur bifariam in G. Dico G, centrum eſſe ſphæræ. Si enim nõ eſt, ſit, ſi fieri poteſt, centrum H, ſecans diametros omnes bifariã, quod quidem in linea AC, nõ exiſtet, cũ ea in puncto G, ſolũ bifariã diuidatur, ſed extra illã. Demittatur ex H, centro ſphæræ ad planum circuli B D E, perpendicularis H I, quæ æquidiſtans erit lineæ F G; ac proinde in punctum F, non cadet: coirent eñ tunc duæ parallelæ H I, G F, in F, puncto, quod fieri non poteſt. Quoniam verò perpendicularis ex centro ſphæræ in planũ circuli B D E, demiſſa cadit in eius centrum, erit I, centrum circuli B D E. Sed & F, ex conſtructione, centrum eſt eiuſdem circuli. Quod abſurdum eſt. Idem enim circulus vnum tantum habeat centrum neceſſe eſt. Non ergo aliud punctum præter G, centrum erit ſphæræ. Quare datæ ſphæræ centrum inuenimus. Quod faciendum erat.

11. vndec.
6. vndec.
Coroll. 1. huius.

COROLLARIVM.

HINC conſtat, ſi in ſphæra ſit circulus non per centrum ſphæræ traiectus, à cuius centro excitetur perpendicularis ad ipſius planum, in linea perpendiculari centrũ eſſe ſphærę. Oſtenſum enim eſt, punctum G, quod perpendicularẽ A C, bifariã diuidit, eſſe ſphærę centrũ.

THEOREMA 2. PROPOS. 3. 3.

SPHAERA planum, à quo non ſecatur, non tangit in pluribus punctis vno.

SI enim fieri poteſt, ſphæra planum, à quo non ſecatur, tangat in pluribus punctis vno, vt in A, & B. Inuento igitur C, centro ſphæræ, ducantur rectæ C A, C B: & per C A, C B, ducatur planum faciens quidem in ſuperficie ſphæræ circumferentiam circuli A B D, in plano autẽ ſecante rectam lineam E A B F. Quia igitur planũ tangens, in quo eſt recta E A B F, ſphæram non ſecat, atque adeò neque circulum A B D, in ſphærę ſuperficie exiſtentem, ſit vt neq; recta E A B F, circulũ A B D, ſecet. Cadet ergo recta A B, tota extra circulũ. Quoniã vero duo puncta ſumpta ſunt A, B, in circũſerentia circuli A B D, cadet eadem recta A B, à pũcto A, in punctũ B, ducta tota intra circulũ A B D. Quod eſt abſurdũ. Sphęra igiẽ planũ, à quo nõ ſecatur, nõ tangit in pluribus pũctis vno. Quod erat demonſtrandũ.

2. huius.
1. huius.
3. vndec.



2. tertij.

COROLLARIVM.

HINC fit, ſi duo puncta ſignentur in ſuperficie ſphæræ, rectam, quæ illa connectit, intra ſphæram cadere, quia videlicet cadit intra circulum, qui in ſphæræ ſuperficie circumferentiam habet. 2. tertij.

THEO-

4. ## THEOREMA 3. PROPOS. 4.

SI Sphæra planum tangat, quod eam non ſecet, recta linea ducta à centro ſphæræ ad contactum, perpendicularis erit ad planum.



2.huius. TANGAT Sphæra planum, quod ipſam non ſecet, in puncto A: Et inuento B, centro ſphæræ, ducatur ab eo recta B A, ad punctum contactus A. Dico rectam B A, ad dictum planum perpendicularem eſſe. Nam per rectam A B, ducantur duo plana vtcunque ſe mutuo ſecãtia, quæ in ſuperficie quidem ſphæræ faciant circulorum circumfe-
1.huius. rentias A C D E, A F D G, in plano autẽ
3.vndec. tangente rectas H A I, K A L. quoniam igitur vterque circulus A C D E, A F D G, per centrum B, ſphæræ traijcitur, erit quo-
Coroll. 1. huius. que B, vtriuſque centrum. Rurſus quia planum tangens ſphęram non ſecat, fit, vt neque rectæ H A I, K A L, in eo exiſtentes eandem ſecent; ac proinde neque circulos A C D E, A F D G, in ſphæræ ſuperficie exiſtentes. Tanget igitur recta H A I, circulum A C D E, in puncto A, & recta K A L, circulum
18. tertij. A F D G, in eodem puncto A. Igitur recta B A, & ad rectam H A I, & ad rectam K A L, perpendicularis eſt. Quare eadem recta B A, & ad planum tan-
4.vndec. gens, quod per rectas H A I, K A L, ducitur, perpendicularis erit. Si ſphæra ergo planum tangat, quod eam non ſecet, &c. Quod oſtendendum erat.

5. ## THEOREMA 4. PROPOS. 5.

SI Sphæra planum tangat, quod ipſam non ſecet, à contactu autem excitetur recta linea ad angulos rectos ipſi plano, in linea excitata erit centrum ſphæræ.



11. vndec. SPHAERA A B C D, tãgat in C, puncto planum E F, quod eam non ſecet, à puncto autem C, excitetur ad planum E F, perpendicularis C A. Dico in A C, centrum eſſe ſphæræ. Si enim non eſt, ſit G, centrum ſphæræ extra rectam A C, ſi fieri poteſt, & à G, ad C, recta ducatur G C, quę ad planum
4.huius. E F, perpendicularis erit: Erat autẽ & A C, ad idem planum perpendicularis. Igitur ex eodem puncto C, ad idem planum E F, duæ perpendiculares ducuntur. Quod eſt abſurdum.

dum. Dato enim plano, à puncto, quod in illo datum est, duæ rectæ lineæ ad rectos angulos non excitantur. Quare si sphæra planum tangat, quod ipsam non secet, &c. Quod erat ostendendum. 13. vndec.

THEOREMA 5. PROPOS. 6. 6.

CIRCVLORVM, qui in sphæra sunt, maximi sunt, qui per sphærę centrum ducuntur: aliorum autem illi inter se æquales sunt, qui æqualiter à centro distát: qui vero longius à centro distant, minores sunt. Et circuli in sphæra maximi per sphæræ centrum transeunt: aliorum autem æquales à centro æqualiter distant: minores verò longius à centro distant. 7.

IN sphæra A B C D E F, cuius centrum G, transeat circulus A D, per centrum G, & alij B C, F E, non per centrum. Dico A D, circulum esse omnium maximum, &c. Ducantur ex centro G, ad plana circulorum B C, F E, 11. vndec. perpendiculares G H, G I, quæ in ipsorum centra cadent; ita vt H, I, centra sint circulorum B C, F E: Est autem G, centrũ sphæræ, centrũ quoq; circuli A D, per centrum sphæræ traiecti. Coroll. 1. huius. Coroll. 1. huius. Si igitur ex G, H, I, ad superficiem sphæræ rectæ ducantur G D, H C, I E, erũt hæ semidiametri circulorum A D, B C, F E. Connectantur autem rectæ G C, G E. Quoniam igitur in triangulo G H C, angulus H, rectus est, ex defin. 3. lib. 11 Eucl. erit quadratum ex G C, æquale quadratis ex G H, H C. 47. primi. Dempto ergo quadrato rectæ G H, maius erit quadratum ex G C, quadrato ex H C; atque adeò & recta G C, hoc est, sibi æqualis G D, (ducuntur eñ G C, G D, ex centro sphæræ ad superficiem) maior erit, quàm recta H C. Quare circulus A D, maioré habens semidiametrum, quàm circulus B C, maior erit circulo B C. Non secus ostendemus, circulum A D, quocunque alio, qui per centrum G, non transeat, maiorem esse. Maximus est ergo circulus A D.



DISTENT iam circuli B C, F E, à centro G, æqualiter, hoc est, perpendiculares G H, G I, æquales sint, ex defin. 6. huius libri. Dico circulos B C, F E, æquales esse. Cum enim rectæ G C, G E, à centro sphæræ in eius su

perficiem cadentes ſint æquales,ac proinde & earum quadrata æqualia;ſit au
47.primi. tem tam quadratum ex G C,quadratis ex G H, H C, quàm quadratum ex G E, quadratis ex G I, I E, æquale; erũt quadrata ex G H, H C,ſimul æqualia quadratis ex G I, I E, ſimul. Demptis ergo æqualibus quadratis rectarum G H, G I, (poſitæ enim ſunt hæ lineæ æquales)æqualia erunt reliqua quadrata rectarum H C, I E, ac proinde & rectæ H C, I E, æquales erunt: quæ cum ſint ſemidiametri circulorum B C, F E, æquales erunt circuli ipſi B C, F E.

QVOD ſi alter horũ circulorũ,nempe BC,longius à centro G,ponatur diſtare,quàm alter F E, hoc eſt,perpẽdicularis G H, maior ponatur perpendiculari G I, oſtendemus eodem fere modo,circulum B C, minorem eſſe circulo F E. Cum enim quadrata ex G H, H C, æqualia ſint demonſtrata quadratis ex G I, I E; ſi auferantur quadrata inæqualia rectarum inæqualium G H, G I, quorum illud maius eſt, (quòd & recta G H, maior ponatur quàm recta G I,) erit reliquum quadratum rectæ H C, minus quadrato reliquo rectæ I E;ac propterea & recta H C,minor erit,quàm recta I E. Igitur & circulus B C, circulo F E, minor erit.



SIT iam circulus omnium maximus A D. Dico eum per G, centrum ſphæræ tranſire. Si enim non tranſeat per centrũ,erit alius quiſpiam circulus per centrum G, tranſiens maior circulo A D, non per centrũ tranſeũte, vt in hac propoſ. demonſtratum eſt. Quare A D,non eſt maximus circulus. Quod eſt abſurdum. Ponitur enim maximus. Tranſit ergo per G, centrum ſphæræ.

DEINDE ſint æquales circuli B C, F E. Dico eos à centro G, æqualiter diſtare. Conſtructa enim figura,vt prius,erunt ſemidiametri H C, I E, æ-
47. primi. quales. Et quoniam quadrata ex G H, H C, æqualia ſunt quadratis ex G I, I E, vt demonſtratum eſt; ablatis æqualibus quadratis linearum æqualium H C, I E, erunt reliqua quadrata rectarum G H, G I, æqualia; ac proinde & lineæ G H, G I, æquales erunt. Quæ cum perpendiculares ſint, ex conſtructione ,ad plana circulorum B C, F E, æqualiter à centro G, diſtabunt circuli B C, F E, ex defin.6. huius lib.

QVOD ſi alter circulorum B C, F E, nimirum circulus B C, minor ponatur altero circulo F E, oſtendemus eodem ferè modo, perpendicularem G H, maiorem eſſe perpendiculari G I. Cum enim quadrata ex G H, H C, oſtenſa ſint æqualia quadratis ex G I, I E; ſit autem quadratum ex H C,minus quadrato ex I E; (quòd & ſemidiameter H C, circuli minoris minor ſit ſemidiametro I E, circuli maioris) erit quadratum reliquum rectæ G H, reliquo quadrato rectæ G I, maius; atque adeo & recta G H, maior erit, quàm G I. Quare cum G H, G I, perpendiculares ſint, ex conſtructione, ad plana circulorum,longius diſtabit,per defin.6. huius lib. circulus B C, minor à centro G, quàm circulus maior F E. Itaque circulorum, qui in ſphæra ſunt,

maximi

maximi sunt, qui per sphæræ centrũ ducũtur, &c. Quod erat demonstrandũ.

THEOREMA 6. PROPOS. 7. 8.

SI in sphæra sit circulus, à centro autem sphæræ ad centrum circuli connectatur recta linea, connexa linea ad circuli planum recta erit.

IN sphæra A B C, cuius centrum D, sit circulus B F C G, cuius centrũ E: Et recta D E, connectat duo centra D, E. Dico D E, rectam esse ad planũ circuli B F C G. Ductis enim duabus diametris vtcunque B C, F G, in circulo, ducantur ab earum extremis ad D, centrum sphæræ rectæ lineæ, B D, C D, F D, G D, quæ omnes inter se æquales erunt, cum à centro sphæræ ad eius superficiem cadant: Sunt autem & B E, C E, F E, G E, semidiametri circuli B F C G, æquales. Igitur duo triangula D E B, D E C, duo latera D E, E B, duobus lateribus D E, E C, & basim D B, basi D C, æqualem habent; ex quo fit, angulos D E B, D E C, æquales, atque adeò rectos esse. 8.primi. Recta igitur D E, rectę B C, ad rectos insistet angulos. Non aliter ostendemus, rectam D E, rectæ F G, ad rectos angulos insistere. Quamobrem & plano circuli B F C G, per rectas B C, F G, ducto ad rectos angulos insistet. 4.vndec. Si igitur in sphæra sit circulus, &c. Quod ostendendum erat.



THEOREMA 7. PROPOS. 8. 9.

SI sit in sphæra circulus, & à centro sphæræ ad circulũ ducatur perpendicularis, quæ ad vtramq; partẽ producatur, cadet ea in polos ipsius circuli.

IN sphæra A B C D, cuius centrum E, sit circulus B G D H, in cuius planum à centro sphæræ E, perpendicularis deducta sit EF, quæ in vtramque partem protracta cadat in superficiem sphæræ ad puncta A, C. Dico A, C, polos esse circuli B G D H. Cadet enim perpendicularis E F, in cen- 11. vndec.





Coroll. 1. huius. trum circuli B G D H, atque adeo F, centrum erit circuli. Quòd si circulus B G D H, per centrum sphæræ ducatur, erit ipsum centrum sphæræ E,
12. vndec. idem quod F, centrum circuli; ex quo ad planum circuli excitata sit perpendicularis A C. Ductis igitur diametris B D, G H, vtcunque, ducantur ab earum extremis rectæ ad puncta A, C. Et quia A F, perpendicularis est ad planũ circuli B G D H, erunt anguli omnes, quos ad F, facit, recti, ex defin. 3. lib. 11. Euclid. Quare duo triangula A F B, A F H, duo latera A F, F B, duobus lateribus A F, F H, æqualia habent, quę quidem angulos comprehendunt æquales, nempe rectos. Igitur bases A B,
4. primi. A H, æquales erunt. Eodem modo ostẽdemus & rectas A D, A G, & alias quascunque ex A, ad circumferentiam circuli B G D H, ductas tam inter se, quàm rectis A B, A H, æquales esse. Punctũ ergo A, polus est circuli BGDH, ex defin. 5. huius lib. Non aliter demonstrabimus, & C, punctum eiusdem circuli polum esse. Si igitur sit in sphæra circulus, & à centro, &c. Quod erat ostendendum.



SCHOLIVM.

IN versione Maurolyci adduntur sequentia duo theoremata, quæ Arabes adiecerunt.

I.

10. SI sit in sphæra circulus, a cuius centro educatur perpendicularis ad circuli planum, quæ in vtramque partem producatur, cadet hæc in vtrumque polum circuli.

12. vndec. *IN eadem figura ex F, centro circuli B G D H, erigatur recta F A, perpendicularis ad circuli planum, quæ occurrat superficiei sphæræ in punctis A, C. Dico A, C, esse polos circuli B G D H. Erunt enim rursus ex definit. 3. lib. 11. Eucl. omnes anguli, quos ad F, facit recta A F, recti. Quare, vt prius, lineæ A B, A D, A G,*
4. primi. *A H, &c. æquales inter se erunt, &c.*

Coroll. 2. huius. *ALITER. Quoniam perpendicularis F A, transit per centrum sphæræ E; ducta erit recta E F, ex E, centro sphæræ ad planum circuli B G D H, perpendicu-*
8. huius. *laris. Quare vt demonstratum est, cadet in polos eiusdem circuli. Quod est propositum.*

SI sit

II.

SI sit in sphæra circulus, & ab altero polorum eius recta ducatur per centrum illius, erit hęc ad planum circuli perpendicularis, & producta cadet in reliquum polum. 11.

IN eadem adhuc figura ex A, polo circuli B G D H, *per centrum eius* F, *demittatur linea recta* A F, *occurrens superficiei sphæræ in* C. *Dico rectam* A F, *perpendicularem esse ad planum circuli* B G D H, *&* C, *esse reliquum polum eiusdem circuli. Quoniam enim duo triangula* A F B, A F D, *duo latera* A F, F B, *duobus lateribus* A F, F D, *&* *basim* A B, *basi* A D, *æqualem habent, ex defin. poli; habebunt quoque duos angulos* A F B, A F D, *æquales, atque adeo rectos. Igitur* A F, *rectæ* B D, *insistit ad angulos rectos. Similiter ostendemus, eandē* A F, *ad angulos rectos insistere rectæ* G H. *Quare & plano circuli* B G D H, *per rectas* B D, G H, *ducto eadē recta* A F, *ad rectos insistet angulos. Quod est primò propositum. Quoniam igitur* A F, *ad rectos est angulos plano circuli* BGDH, *ducta erit* F A, *ex centro circuli* F, *ad planum circuli perpendicularis. Quare, vt in hoc scholio proxime demonstratum est, in vtramque partem protracta in vtrumque polum circuli cadet, ac proinde* C, *reliquus polus erit circuli* B G D H, *quod est secundo loco propositum.* 8 primi. 4. vndec.

THEOR. 8. PROPOS. 9. 12.

SI sit in sphæra circulus, & ab altero polorum eius in ipsum ducatur perpēdicularis recta linea, cadet hæc in circuli centrum, & inde producta cadet in reliquum polum ipsius circuli.

IN Sphæra A B C D, sit circulus B F D G, à cuius polo A, ad eius planum perpendicularis ducatur A E, occurrens superficiei sphæræ in C. Dico 11. vndec. E, centrum esse circuli B F D G, & C, reliquū polum. Ductis enim per E, duabus rectis vtcunque B D, F G, connectantur earum extrema cum polo A, rectis A B, A D, A F, A G, quæ omnes inter se æquales erūt, ex definitione poli. Omnes item anguli, quos recta A E, facit ad E, recti, ex defin. 3. lib. 11. Eucl. Erit igitur tam quadratū ex A B, quadratis ex A E, E B, quàm 47. primi. quadratum ex A G, quadratis ex A E, E G, æquale; atq; adeò cum quadrata rectarum A B, A G, æqualium æqualia sint, erunt quadrata ex A E, E B, simul quadratis ex A E, G E, simul æqualia.



Dempto ergo communi quadrato rectæ A E, reliqua quadrata rectarum E B, E G, æqualia erunt, ac proinde & rectæ, E B, E G, æquales. Eodem modo ostendemus, rectas E G, E D, æquales esse. Quare E, centrum est circuli B F D G; Quod est propositum. Quoniam igitur ex E, centro circuli 9. tertij.

Coroll. 2. huius. culi B F D G, ad ipsius planum educta est perpendicularis E A, transibit hęc per H, centrum sphæræ, atq; adeo ex H, centro sphæræ eadem H E, ducta
8. huius. erit perpendicularis ad planum circuli B F D G. Quocirca H E, vtrinq; educta cadet in polos eiusdem circuli; ac proinde C, reliquus polus erit circuli B F D G. Si igitur sit in sphæra circulus, & ab altero polorum eius, &c. Quod ostendendum erat.

13. THEOR. 9. PROPOS. 10.

SI sit in sphæra circulus, linea recta per eius polos ducta, ad circulum recta est, transitq; per centrum circuli, & sphæræ.

IN sphæra A B C D, sit circulus B F D G, per cuius polos A, C, recta ducatur A C, occurrens plano circuli in E. Dico rectam A C, ad planum circuli rectam esse, transireq; per eius centrum, (hoc est, E, esse ipsius centrum) nec non per centrũ sphæræ. Ductis namq; per E, duabus rectis vtcunq; B D, F G, quarum extrema cum polis A, C, iungantur rectis, vt in figura; erunt



tam A B, A G, A F, A D, inter se, quàm C B, C G, C F, C D, inter se æquales, ex defin. poli. Igitur duo triangula A B C, A D C, duo latera A B, A C, duobus lateribus A D, A C, & basim B C, basi D C, æqualem habent. Quapropter & angulos B A C, D A C, æquales habe-
8. primi. bunt. Quoniam igitur duo triangula A B E, A D E, duo latera A B, A E, duobus lateribus A D, A E; æqualia habent, angulosq; sub ipsis contentos B A E, D A E, æquales, vt proxime demonstratum est, erunt & anguli AEB,
4. primi. A E D, æquales, & ob id recti. Non aliter demonstrabimus, rectos esse angulos A E G, A E F. Recta igitur AE, duabus rectis B D, F G, ad rectos insistit angulos. Quare perpendicularis erit ad planũ
4. vndec. circuli B F D G, per rectas B D, F G, ductum. Quod est primo loco propositum. Quoniam igitur ex A, polo circuli B F D G, ad eius planum perpendicularis est ducta A E, cadet A E, in centrum ipsius. Est ergo E, centrum cir-
9. huius. culi B F D G. Rursus quia ex E, centro circuli B F D G, educta est ad eius pla
Coroll. 2. huius. num perpendicularis E A, transibit hæc per centrum quoq; sphæræ. Quare recta A C, perpendicularis est ad planum circuli B F D G, transitq; per eius centrum, & sphæræ. Quod est propositum. Si sit igitur in sphæra circulus, linea recta per eius polos ducta, &c. Quod erat demonstrandum.

SCHOLIVM.

ADDVNTVR *hoc loco alia duo theoremata huiusmodi.*

SI in

I.

SI in sphæra sit circulus, & ab altero polorum eius per centrum sphæræ recta linea ducatur, erit hæc ad planum circuli perpendicularis, & producta cadet in centrum ipsius, & in reliquum polum. 14.

IN sphæra ABCD, cuius centrum E, sit circulus BGDH, a cuius polo A, per E, centrum sphæræ ducatur recta AE, occurrens plano circuli in F, & superficiei sphæræ in C. Dico AE, perpendicularem esse ad planum circuli, transireq; per eius centrum, & reliquum polum, hoc est, F, esse eius centrum; & C, reliquum polum. Ductis enim per F, duabus rectis vtcunque BD, GH, iungantur extrema cum punctis A, & E, vt in figura; eruntq; AB, AH, AD, AG, ex definitione poli, inter se æquales; nec non & EB, EH, ED, EG, semidiametri sphæræ inter se æquales. Quoniam igitur duo triangula ABE, ADE, duo latera AB, AE, duobus lateribus AD, AE, & basim EB, basi ED, habent æqualem; erunt anguli BAE, DAE. æquales. 8.primi. *Itaque duo triangula ABF, ADF, duo latera AB, AF, duobus lateribus AD, AF, æqualia habent, angulosq; sub ipsis contentos BAF, DAF, æquales, vt proxime ostensum est.* 4. primi. *Quare anguli AFB, AFD, æquales erunt, atque adeo recti. Eodem modo demonstrabimus rectos esse angulos AFH, AFG. Recta igitur AF, duabus rectis BD, GH, insistit ad angulos rectos. Quare perpendicularis erit ad planum circuli BGDH, per rectas BD, GH, ductum.* 4.vndec. *Itaque producta cadet & in centrum circuli, & in reliquum polum:* 9.huius. *ac proinde F, centrum erit circuli, & C, reliquus polus. Quod est propositum. Si in sphæra igitur sit circulus, &c. Quod erat ostendendum.*



COROLLARIVM.

HINC fit, circulum maximum, qui per alterum polorum cuiuslibet circuli in sphæra transit, transire quoq; per polum reliquum. Nam si ex vno polo per centrum sphæræ diameter ducatur circuli maximi, qui per illum polum transit, cadet hæc in alterum polum, vt demonstratum est. Idem ergo circulus maximus per reliquum polum transibit.

Et quia diameter circuli maximi est quoq; diameter sphæræ, manifestum est, duos polos circuli cuiuslibet in sphæra per diametrum esse oppositos: atq; adeò inter ipsos interpositum esse semicirculum maximi circuli.

II.

SI in sphæra sit circulus, & à centro sphæræ per centrum circuli recta linea ducatur, cadet hæc in vtrumque polum circuli. 15.

IN *eadem figura ducatur per E, centrum sphæræ, & F, centrum circuli* BGDH,

recta

recta E F, in vtramque partem. Dico E F, cadere in vtrumque polum circuli B G D H; Quoniam enim recta E F, centrum sphæræ, & centrum circuli B G D H,
7.huius. *connectens perpendicularis est ad planum eiusdem circuli, cadet eadem E F, vtrin-*
8.huius. *que protracta in polum vtrumque eiusdem circuli. Quod est propositum.*

COROLLARIVM.

EX his omnibus constat, in sphæra quatuor hæc puncta, nempe duos polos cuiusq; circuli, eiusdem centrum, & centrum sphæræ, perpetuo in vna linea recta, nempe diametro sphæræ, existere, & ipsam quidem diametrum ad planum eiusdem circuli esse perpendicularem: Adeo vt recta per quælibet duo puncta ex his ducta transeat per reliqua duo, sitq; ad planum circuli perpendicularis: Et recta per vnum eorum ducta perpendicularis ad planum circuli, transeat quoq; per tria puncta reliqua.

16.

THEOR. 10. PROP. 11.

IN sphęra maximi circuli se mutuo secant bifariam.

IN sphæra A B C D, secent se mutuo duo circuli maximi A C, B D, in punctis E, F. Dico se mutuo secare bifariam. Quoniam enim circuli maximi
6.huius. in sphæra per centrum sphæræ transeunt, transibunt circuli A C, B D, per sphæræ centrum, quod sit G. Et quoniam idem est sphæræ centrum, & circu-
Coroll. 1. huius. li per sphæræ centrum traiecti, erit punctum G, quod sphæræ centrum ponitur, centrum quoq; vtriusq; circuli A C, B D, ita vt in vtroq; plano circulorum A C, B D, existat. Sunt autem & puncta E, F, in vtroq; eodem plano. Tria igitur pũcta E, G, F, in vtroq; plano circulorũ AC, BD, existunt; atq; adeo in cõmuni eorũ sectione erunt, cum solũ cõmunis eorum sectio sit in vtroq; plano: Est autem communis eo-
3.vndec. rum sectio linea recta. Igitur tria puncta E, G, F, in linea recta ex E, per G, ad F, ducta existunt. quæ cum transeat per G, centrum vtriusq; circuli, & sphæræ, vt ostensum est, diameter erit & sphæræ, & vtriusq; circuli; atq; adeo vtrumque eorum bifariam secabit, ita vt semicirculi sint E A F, F C E, E B F, F D E: In sphæra ergo maximi circuli se mutuo secant bifariam.



Quod erat demonstrandum.

17.

THEOR. 11. PROP. 12.

IN sphæra circuli, qui se mutuo bifariam secant, sunt maximi.

IN sphæ-

IN ſphæra A B C D, circuli A E, B D, ſe mutuo ſecent bifariam in punctis E, F. Dico circulos A C, B D, eſſe maximos. Cum enim ſe mutuo ſecent bifariam in E, F, erit ducta recta E F, vtriuſq; diameter, cum ſola diameter circulũ quemcunq; bifariam diuidat;ac proinde diuiſa recta EF, bifariã in G,erit G,vtriuſq; circuli centrum: quod dico etiam eſſe ſphæræ centrum, atq; adeo vtrumq; circulum per ſphęræ centrum duci. Si namq; G, dicatur non eſſe centrum ſphæræ,ac proinde circulos AC, BD, non eſſe per ſphæræ centrum ductos; hoc ipſo oſtendemus, G, eſſe centrum ſphæræ,atq; idcirco vtrumq; circulum per ſphæræ centrum duci.Erigatur enim ex G, ad planum circuli AC, perpendicularis GH: Item GI, perpendicularis ad planum circuli B D. Quoniam igitur circuli A C, B D, ponuntur non tranſire per centrum ſphæræ, tranſibit vtraq; perpendicularis G H, G I, per centrum ſphæræ. Quare punctum G, in quo conueniunt, centrum erit ſphæræ, aliàs centrum non exiſteret in vtraque: ac proinde vterq; circulus per centrum ſphæræ traijcietur. Sunt ergo circuli A C, B D, per centrum ſphæræ traiecti, maximi. In ſphæra ergo circuli,qui ſe mutuo bifariam ſecant, ſunt maximi. Quod erat oſtendendum.



12. vndec.

Coroll. 2. huius.

6. huius.

SCHOLIVM.

HIC vides mirabilem ſane argumentandi modum. Nam ex eo, quòd G, dicitur non eſſe centrum ſphæræ, demonſtratum eſt demonſtratione affirmatiua, G, eſſe centrum ſphæræ. Quo modo argumentandi etiam vſus eſt Euclides lib. 9. propoſ. 12. & Cardanus lib. 5 de Proport. propoſ. 201. vt in ſcholio eiuſdẽ propoſ. monuimus.

THEOREMA 12. PROPOS. 13. 18.

SI in ſphæra maximus circulus circulum quẽpiam ad rectos angulos ſecet; & bifariam eum ſecat, & per polos.

IN ſphæra maximus circulus A B C D, ſecet circulũ B E D, in punctis B, D, ad angulos rectos, hoc eſt, planũ circuli ABCD, rectum ſit ad planum circuli B E D; ſitq; cõmunis eorum ſectio recta B D. Dico circulum A B C D, bifariam, & per polos ſecare circulum B E D. Sumpto enim F, centro circuli maximi A B C D, quod & centrũ ſphęræ erit, (Nam cum circulus maximus ducatur per centrum ſphæræ, erit eius centrum idem, quod ſphæræ.) ducatur ex F, ad planũ circuli B E D, perpendicularis F G, quæ in



1. tertij.

6. huius.

Coroll. 1. huius.

11. vndec.

38. vndec. B D, communem sectionem cadet. Cadat autem in punctum G. Et quoniam

Coroll.1. huius. eadem cadit quoq; in centrum circuli B E D, erit G, centrum circuli B E D; atq; adeo B D, per G, ducta, diameter eiusdem: quæ cum diuidat circulum B E D, bifariam, diuidet quoq; eundem bifariam circulus maximus A B C D, per rectam B D, ductus. Quod est primo loco propositum. Quoniam verò recta F G, in plano est circuli A B C D, cadet ea producta in circumferentiam ad A, C, puncta, quæ in superficie sphæræ sunt: cadit autem & in vtrumq; polum circuli B E D, quòd ex F, centro sphæræ ad circuli planum perpendicularis sit ducta. Igitur A, C, poli sunt circuli BED, ac proinde circulus maximus A B C D, per polos circuli B E D, transit. quod secundo loco proponebatur demonstrandum. Si igitur in sphæra maximus circulus circulum quempiam, &c. Quod ostendendum erat.

8.huius.

SCHOLIVM.

CAETERVM *hæc propos. vnà cum* 8. 9. 10. *& earum scholijs intelligenda etiam est, quando circulus* B D, *maximus est, & per sphæræ centrum transit. Eadem enim est ferè semper demonstratio, vt perspicuum est.*

19.

THEOR. 13. PROPOS. 14.

SI in sphæra maximus circulus circulum non maximum bifariam secet; ad angulos rectos eum secat, & per polos.

IN sphera maximus circulus A B C D, non maximum B E D, secet bifariam in punctis B, D, sitq; communis eorum sectio recta B D. Dico circulum A B C D, secare circulum B E D, ad angulos rectos, & per polos. Quia enim circulus B E D, bifariam secatur in B, D, hoc est, in semicirculos, erit B D, communis sectio diameter eius. Diuisa ergo B D, bifariam in F, erit F, centrum circuli B E D. Sumpto autem G, centro sphæræ, quod & centrū erit maximi circuli ABCD, ducatur ex G, ad F, recta F G, quæ perpendicularis erit ad planum circuli B E D. Igitur & planum circuli maximi



2. huius.

7.huius.

18. vndec. ABCD, per rectā FG, ductum ad idē planū circuli BED, rectū erit. Secat igitur

circulus

circulus maximus A B C D, circulum B E D, non maximum ad angulos rectos. Quod est primo loco propositum. Et quoniam ostensum est, rectā FG, ex G, centro sphæræ ductam ad planum circuli B E D, esse perpendicularē, cadet F G, vtrinque producta in polos circuli B E D. Quare cum G F, in plano circuli A B C D, existens, producta cadat in circunferentiam eius ad puncta A, C, quæ etiam in superficie sphæræ sunt, erunt A, C, poli circuli B E D, atque adeo circulus maximus A B C D, circulū non maximū B E D, per polos A, C, secabit. quod secundo loco propositū fuit. Si igitur in sphæra maximus circulus circulum non maximum, &c. Quod erat ostendendum. 8.huius.

THEOREMA 14. PROPOS. 15. 20.

Si in sphæra maximus circulus, eorum, qui in sphæra sunt, circulorum aliquem per polos secet; bifariam, & ad angulos rectos eum secat.

IN Sphæra maximus circulus A B C D, secet circulum B E D, per polos A, C. Dico circulum A B C D, secare circulum B E D, bifariam, & ad angulos rectos. Connectat enim recta A C, polos A, C, occurrens plano circuli B E D, in F, puncto. Et quoniam recta A C, ad planū circuli B E D, perpendicularis est, transitq; per centrum sphæræ, & circuli B E D; erit F, centrum circuli B E D. Cum ergo circulus maximus A B C D, circulum B E D, secans transeat per rectam A C, ac proinde per centrū F, erit communis sectio B F D, diameter circuli B E D. Bifariam ergo secatur circulus B E D. Dico quod & ad angulos rectos. Cum enim recta A C, ostensa sit perpendicularis ad planum circuli B E D, erit quoque planū circuli maximi A B C D, per rectam A C, ductum ad idem planum circuli B E D, rectum. Igitur si in sphera maximus circulus, &c. Quod demonstrandum erat. 10.huius. 18.vndec.



SCHOLIVM.

QVATVOR *alia theoremata hoc loco addūtur in alia versione, hoc ordine.*

I.

SI in sphæra maximus circulus per polos alterius cuiuspiam maximi circuli transeat, transibit vicissim hic per polos illius. 21.



IN sphæra transeat maximus circulus A B C D, per A, C, polos circuli maximi B D. Dico & maximum circulum B D, per polos maximi circuli A B C D, transire. Quoniam enim circulus maximus A B C D, circulum B D, se-
15.huius. *cat per polos, secabit ipsum ad angulos rectos. Quare vicissim maximus circulus B D, circulum A B C D, ad angulos rectos secabit; at-*
13.huius. *que adeo per ipsius polos eum secabit. Quod est propositum.*

II.

22. SI in sphæra circulus circulum per polos secet, circulus maximus est, & bifariam eum secat, & ad angulos rectos.



IN sphæra circulus A B C D, secet circulum B D, per polos A, C. Dico ipsum esse circulum maximum, secareq; circulum B D, bifariam, & ad angulos rectos. Coniungat enim recta A C, polos A, C, quæ necessario in plano circuli A B C D, erit, quod circunferentia eius per eosdem polos A, C, ponatur transire. Quoniam vero recta A C, per A, C, polos circuli
10.huius. *B D, ducta transit per centrum sphæræ, transibit quoque circulus A B C D, (cum per rectã A C, ducatur) per centrũ sphæræ; atque adeo*
6.huius. *maximus erit. Quare cum per A, C, polos cir-*
15.huius. *culi B D, ponatur transire, secabit eum bifariam, & ad angulos rectos. Quod est propositum.*

III.

23. SI in sphæra circulus circulum bifariam, & ad angulos rectos secet, circulus maximus est, & per polos eum secat.



IN sphæra circulus A B C D, secet circulum B D, bifariam, & ad angulos rectos. Dico ipsum esse circulum maximum, transireq; per polos circuli B D. Sit recta B D, communis circulorum sectio. Quoniam igitur circulus A B C D, circulum B D, secat bifariam, erit recta B D, nempe communis sectio circulorũ, diameter circuli B D, atque adeo diuisa recta B D, bifariam in E: erit E, eiusdem circuli centrum. Ducatur in plano circuli A B C D, recta E A, perpendicularis ad rectam B D. Et quoniam circulus A B C D, circu-

lum

lum B D, ponitur secare ad angulos rectos, erit ex defin. 4. lib. 11. Eucl. E A, ad planum circuli B D, recta; ac proinde cum ex E, centro ipsius educatur, in vtrunque polum eiusdem cadet. Cadit autem in circunferentiam circuli A B C D, in superficie Schol. 8.
sphæræ existentem ad puncta A, C. Sunt ergo A, C, poli circuli B D; atque adeo circulus A B C D, circulū B D, per polos A, C, secat. Quare ex præcedenti theoremate, maximus circulus est. Probatum autem est, quod & circulum B D, per polos secat. Constat ergo propositum. huius.

IIII.

SI in sphæra sit circulus, & ab altero polorum eius recta cadens in planum ipsius ad angulos rectos æqualis sit semidiametro eius, circulus maximus est. 24.

IN *sphæra sit circulus* A B, *à cuius altero polorum* C, *in planum eius cadens recta perpendicularis* C D, *æqualis sit ipsius semidiametro. Dico* A B, *esse circulum maximum. Cum enim* C D, *perpendicularis sit ad circulum* A B, *cadet ipsa in circuli centrum, & producta cadet in alterum polum, qui sit* E. *Est ergo* D, *centrum circuli* A B; *atque adeo perpendicularis* C D, *transit per centrum sphæræ.* 9. huius. Coroll. 2. huius.



Ducatur per rectā C E, *in sphæra planum vtcunque faciens in sphæra circulum* A E B C, *qui cum transeat per centrū sphæræ, maximus erit: qui circulum* A B, *secet in punctis* A, B, *& iungatur semidiameter* D B, *cui ex hypothesi æqualis est* C D. 1. huius. 6. huius.
Quoniam vero C D, *perpendicularis ponitur ad circulum* A B, *erit, ex defin. 3. lib. 11. Eucl. angulus* C D B, *rectus. Quare* B D, *media proportionalis est inter* C D, D E, *hoc est, erit, vt* C D, *ad* B D, *ita* B D, *ad* D E. Schol. 13. sexti.
Est autem C D, *ipsi* B D, *æqualis. Igitur &* D E, *eidem* B D, *æqualis erit; atq; adeo &* C D, D E, *inter se æquales erunt. Cum ergo* C E, *ostensa sit transire per centrū sphæræ, erit* D, *centrum sphæræ. Erat autem & centrum circuli* A B. *Idem ergo est centrum sphæræ, & circuli* A B, *ac proinde circulus* A B, *maximus est. Quod est propositum.* 6. huius.

THEOREMA 15. PROPOS. 16. 25.

SI in sphæra sit maximus circulus, recta linea ducta ab eiusdem circuli polo ad circunferentiā æqualis est lateri quadrati inscripti in maximo circulo.

IN sphæra sit circulus maximus A B, à cuius polo C, ad eius circūferentiā ducatur recta C B. Dico C B, æqualē esse lateri quadrati in circulo A B, vel

quouis

11.vndec. quouis alio maximo inſcripti. Ducatur ex C, ad circulum A B, perpendicu-
9.huius. laris C E, quæ in centrum ipſius cadet, quod ſit E, & producta in reliquum polum, qui ſit D, cadet. Iam per rectas CB,
1.huius. C D, planum ducatur faciens in ſphæra circulum A D B C, qui cum per E, centrum ſphæræ (Eſt enim E, centrum circuli maxi-
6.huius. mi A B, quòd per centrum ſphæræ tranſeat, idem, quod ſphæræ) tranſeat, maximus erit,
Coroll.1. huius. atq; adeo circulum maximum A B, bifariam
6.huius. ſecabit. Quod etiam inde patet, quòd per
11.huius. eius polos incedat. Hinc enim fit, vt ipſum
15.huius. bifariam diuidat. Sit ergo communis ſectio diameter B E A. Et quoniam C E, perpendicularis ducta eſt ad circulum A B, erit eadẽ perpendicularis ad rectam A B, ex defin. 3. lib. 11. Eucl. Duæ ergo diametri A B, C D, in maximo circulo A D B C, ſeſe mutuo ſecãt ad angulos rectos; ac propterea vt in lib. 4. Euclidis demonſtra-



6. quarti. tum eſt, C B, latus eſt quadrati in circulo maximo A D B C, atq; adeò & in maximo A B, deſcripti. Si igitur in ſphæra ſit maximus circulus, recta linea ducta, &c. quod demonſtrandum erat.

COROLLARIVM.

QVONIAM verò quatuor anguli recti ad centrum E, æquales ſunt, atq; adeò qua-
26. tertij. tuor arcus B C, C A, A D, D B, ſuper quos aſcenderunt, æquales, nempe quadrantes, perſpicuum eſt, in ſphæra polum maximi circuli abeſſe à circunferentia maximi circuli, quadrante maximi circuli. Abeſt enim C; polus circuli maximi A B, ab eius circunferentia quadrante C B, eademq; ratio de ceteris habenda eſt. Semper enim recta ducta à circunfe-
16.huius. rentia maximi circuli ad eiuſdem polum æqualis eſt lateri quadrati in maximo circulo inſcripti, atq; adeò quadrantem in maximo circulo ſubtendet.

SCHOLIVM.

CONVERSVM *quoq; huius demonſtratur in alia verſione hoc theoremate.*

SI in ſphæra ſit circulus, & ab eius polo ad circunferentiam ducta recta æqualis ſit lateri quadtati in eo deſcripti, circulus ipſe maximus eſt.

IN *eadem figura ex* C, *polo ad circunferentiã circuli* A B, *ducta recta* C B, *ſit æqualis lateri quadrati in circulo* A B, *deſcripti*. *Dico* A B, *circulum eſſe maxi-*
11. vndec. *mum. Ducatur enim ex* C, *ad circulum* A B, *perpendicularis* C E, *quæ in eius*
9.huius. *centrum cadet, quod ſit* E. *Ducta autem ſemidiametro* E B, *erit ex defin.* 3. *lib.* 11. *Eucl. angulus* E, *rectus. Igitur quadratum in circulo* A B, *deſcriptum, æquale eſt*
47. primi. *quadratis ex* B E, C E: *ſed quadratum ſemidiametri* B E, *dimidium eſt quadrati in circulo* A B, *deſcripti, vt mox oſtendemus. Igitur & quadratum ex* C E, *eiuſdem quadrati in circulo* A B, *deſcripti dimidium erit; atque adeo quadrata ex* B E, C E, *inter ſe æqualia, necnon & lineæ propterea* B E, C E, *æquales erunt. Quare cum* C E, *ducta ſit ex* C, *polo circuli* A B, *ad ipſum circulum perpendicu-*
Schol. 15. huius. *laris, oſtenſaq; ſit ſemidiametro* B E, *æqualis; erit circulus* A B, *maximus.*

LEMMA.

LEMMA.

IN omni circulo quadratum ſemidiametri dimidium eſt quadrati in ipſo circulo deſcripti.

IN circulo, cuius centrum E, ductæ ſint duæ diametri A C, B D, ſeſe ad angulos rectos ſecantes in E, centro. Iunctis igitur rectis AB, BC, CD, D A, quadratum erit A B C D, in circulo inſcriptum, vt conſtat ex propoſ. 6. lib. 4. Eucl. Quoniam vero quadrata ex ſemidiametris æqualibus E A, E B, æqualia inter ſe, æqualia ſimul ſunt quadrato ex A B; dimidium erit quadratum ſemidiametri E A, quadrati ex A B, quod in circulo deſcribitur. Quod eſt propoſitum. Ex quo conſtat, in ſuperiori figura, quadratum ſemidiametri B E, dimidium eſſe quadrati ex C B, quod æquale ponitur ei, quod in circulo A B, inſcribitur. 47. primi.



THEOR. 16. PROPOS. 17. 27.

SI in ſphæra ſit circulus, à cuius polo in ipſius circunferentiam ducta recta linea æqualis ſit lateri quadrati inſcripti in maximo circulo, ipſe circulus maximus erit.

IN ſphæra ſit circulus A B, à cuius polo C, ad eius circunferentiam recta ducta C A, æqualis ſit lateri quadrati in maximo circulo ſphæræ deſcripti. Dico A B, circulum eſſe maximum. Per rectam enim A C, & centrũ ſphæræ planum ducatur, faciens in ſphæra circulũ A C B, qui maximus erit, cum per ſphæræ centrum ducatur. Ducatur quoq; ex C, recta linea C B, ad B, punctũ, in quo circulus maximus A C B, circulũ A B, ſecat; eritq; per defi nit. poli, recta C B, rectæ C A, æqualis. Cũ ergo A C, ponatur latus quadrati in maximo circulo A C B, deſcripti, erit quoque C B, latus eiuſdem quadrati; atque adeò duo arcus A C, C B, quadrantes erunt conficientes ſemicirculũ A C B, quòd quatuor latera quadrati æqualia ſubtendãt quatuor circuli arcus æquales. Recta igitur A B, com- 28. tertij.
1. huius. 6. huius.



munis

munis sectio circulorum diameter erit circuli maximi A C B; ac proinde & sphæræ. Quoniam verò circulus maximus A C B, circulum A B, per polos secans secat bifariam, erit quoq; A B, communis sectio diameter circuli A B, ac proinde cum & sphæræ diameter sit, circulus maximus erit A B. Si in sphæra ergo sit circulus, à cuius polo, &c. Quod erat demonstrandum.

15. huius.

28. PROBL. 2. PROP. 18.

LINEAM rectam describere æqualem diametro circuli cuiuslibet in sphæra dati.

IN sphæra sit datus circulus quilibet A B C D, cuius diametro rectam æqualem oporteat describere. Sumptis tribus punctis in circunferentia circuli vtcunq; A, B, D, & iunctis rectis A B, A D, B D, constituatur triangulo A B D, triangulum æquale E F G, ita vt latus E F, lateri A B, & E G, ipsi A D, & F G, ipsi B D, æquale sit. Deinde ex G, F, ducantur ad rectas E F, E G, perpendiculares F H, G H, coeuntes in H, connectaturq; recta E H. Dico E H, æqualem esse diametro circuli ABCD. Ducta enim diametro A C, iungatur recta D C. Quoniam vero quatuor anguli quadrilateri E F H G, quatuor rectis æquales sunt, suntq; E F H, E G H, recti; erunt F E G, F H G, duobus rectis æquales; atq; adeo in quadrilatero E F H G, duo quilibet anguli ex aduerso duobus rectis æquales erunt. Quare circa ipsum circulus describi potest: Quo descripto erunt anguli E F G, E H G, eidem segmento, cuius chorda E G, insistentes, æquales. Est autem angulus E F G, angulo A B D, æqualis; quod duo latera E F, FG, duobus lateribus A B, B D, æqualia sint, & basis E G, basi A D, ex constructione: & angulus A B D, angulo A C D, æqualis est. Igitur & angulus E H G, angulo A C D, æqualis erit. Est autem & rectus angulus E G H, angulo A D C, æqualis, quòd hic quoque rectus sit in semicirculo A D C, existens. Igitur triangula E H G, A C D, duos angulos duobus angulis æquales habent, necnon & latus E G, lateri AD, quod æqualium angulorum vni subtenditur, æquale. Quare & latus E H, lateri A C, æquale erit. Lineam igitur rectam EH, descripsimus æqualem diametro A C, circuli A B C D. Quod erat faciendum.



Schol. 22. primi.

Schol. 32. primi.

Schol. 22. tertij.

27. tertij.
8. primi.
27. tertij.

31. tertij.

26. primi.

29. PROBL. 3. PROPOS. 19.

LINEAM rectam describere æqualem diametro datæ sphæræ.

IN

IN sphæra data sumptis vtcunque duobus punctis A, B, describatur ex A, polo,& interuallo A B, circulus B D, cuius diametro æqualis recta descri- 18. huius.
batur F G: & fiat supra F G, triangulum E F G, habens vtrûque reliquorum Schol. 22. laterum E F, E G, rectæ ducte primi.
A B, æquale. Deinde ex F, G, ad E F, E G, perpendiculares educantur F H, G H, coeuntes in H; iungaturq; recta E H. Dico E H, æqualem esse diametro datæ sphæræ. Ducta em sphæræ diametro A C, traijciatur per rectas A B, A C, planum faciens in sphæra circulû A B C D, qui maximus erit, cum per diametrum sphæræ, atque adeo per centrum eiusdem ducatur. Quare idê per A, polû circuli B D, ductus circulum B D, bifariam secabit; ac propterea communis sectio B D, diameter erit circuli B D. Iunctis autem rectis A D, D C, erunt duo latera A B, B D, duobus lateribus E F, F G, æqualia, nec non & bases A D, E G, æquales. Est enim F G, diametro B D, æqualis, ex constructione: & vtraque E F, E G, rectæ A B, vel A D. Igitur & anguli A B D, E F G, æquales erunt. Est autem angulo A B D, angulus A C D, æqualis: & angulo E F G, angulus E H G, vt in præcedenti propos. demonstratum est. Igitur & anguli A C D, E H G, æquales erunt. Sunt autem & recti A D C, E G H, æquales, & latus A D, lateri E G, quod vni æqualium angulorum obijcitur, æquale. Igitur & recta E H, rectæ A C, æqualis erit. Lineam igitur rectam E H, descripsimus æqualê diametro A C, datæ sphæræ. Quod faciendum erat.



1. huius. 6. huius. 15. huius. 8. primi. 27. tertij. 26. primi.

SCHOLIVM.

ADDITVR *in alia versione sequens hoc Theorema.*

LINEA recta à polo cuiusuis circuli in sphæra ad superficiem sphæræ ducta, quæ sit æqualis lineæ rectæ ab eodem polo ad circunferentiam circuli ductæ, in circuli circunferentiam cadit. 30.

IN sphæra ex A, polo circuli B C, recta ducta sit vtcumque A D, ad eius circunferentiã, quæ minor erit diametro sphæræ, atque adeo diametro circuli maximi in sphæra, cum diameter sphæræ sit omnium rectarum in sphæra ductarũ maxima. Ducatur iam ex eodem polo A, ad superficiem sphæræ recta A E, quæ ipsi A D, æqualis sit. Dico rectam A E, cadere in circunferentiam circuli B C. Si enim fieri potest, non cadat in eius circunferentiam. Et per rectam A E, & centrum sphæræ ducatur planũ faciens in sphæ- 1. huius.



D *ra cir-*

6.huius. *ra circulum A B C, qui maximus erit, cum per centrum sphæræ transeat. Secet autem circulus A B C, circulum B C, in punctis B, C. Non cadet ergo recta A E, in puncta B, C. cum ponatur non cadere in circunferentiam circuli B C. Ducta igitur recta A B, erit hæc, ex defin. poli, rectæ A D, atque adeo rectæ A E, æqualis. Et quia vtraque A B, A E, minor est diametro maximi circuli A B C, vt dictum est,*

28. tertij. *erunt arcus A B, A E, cum sint segmenta semicirculo minora, æquales, pars & totum. Quod est absurdum. Cadet ergo recta A E, in circunferentiam circuli B C. Quod est propositum.*



PROBL. 4. PROP. 20.

31. PER duo puncta data in sphærica superficie maximum circulum describere.

IN sphærica superficie data sint duo pũcta A, B, per quæ describere oporteat circulum maximum. Si ergo puncta A, B, sint opposita ex diametro sphæræ, certum est, infinitos circulos maximos per ipsa duci posse, ductis nimirum infinitis planis per diametrum sphæræ puncta illa connectentem. Si autem puncta A, B, non sint in sphæræ diametro, describatur ex A, polo, & interuallo quod lateri quadrati in maximo circulo descripti æquale sit, circulus C D, qui maximus erit, cum recta ex A, polo ad eius cir-

17.huius. cunferentiam ducta æqualis sit lateri quadrati in circulo maximo descripti, propter interuallum, quo circulus C D, descriptus est. Similiter ex B, polo, & interuallo eodẽ, quo prius, circulus describatur E F, qui rur-

17.huius. sus erit maximus. Secet autem hic priorem in puncto G, a quo ad polos A, B, rectæ ducantur G A, G B; quarum vtraque, ex constructione, æqualis erit lateri quadrati in maximo circulo descripti. Tanto enim interuallo ex polis A, B, circuli C D, E F, descripti sunt. Aequales ergo sunt G A, G B. Iam ex G, polo, & inter-

17.huius. uallo G A, circulus describatur A E D F C B, qui maximus erit; cum recta G A, ex G, polo ad eius circunferentiam ducta æqualis sit lateri quadrati in maximo circulo inscripti, vt demonstratum est. Quoniam vero recta G B, æ-

Schol. 19. huius. qualis ipsi G A, ducta ad superficiem sphæræ cadit in circunferentiam circuli A E D F C B, descriptus propterea erit circulus maximus A E D F C B, per data duo puncta A, B, in superficie sphæræ. Per duo ergo puncta data in sphærica superficie maximum circulum descripsimus. Quod faciendum erat.



PROBL.

PROBL. 5. PROP. 21.

CVIVSLIBET circuli in ſphæra dati polum inuenire. 52.

SIT inueniendus polus circuli A B, in ſphæra dati, ſitq́; primum circulus A B, non maximus. Sumptis duobus punctis in circunferentia vtcumque C, D, diuidatur vterque arcus C A D, C B D, bifariam in A, & B, punctis, per 10. tertij. quæ deſcribatur maximus circulus A E B; ſeceturq́; arcus A E B, bifariam 20. huius. in E. Dico E, polum eſſe circuli A B; Quoniam enim arcus A C, A D, æquales ſunt, necnon B C, B D, erunt toti arcus A C B, A D B, æquales. Quare maximus circulus A E B, cum circulum non maximum A B, bifariam ſecet in A, & B, ſecabit eum per polos. Punctum ergo E, æqualiter diſtans a circunferentia circuli AB, polus eſt circuli A B. Eodem modo ſi reliquus arcus A F B, ſecetur bifariam in F, erit F, alter polus circuli AB. 14. huius.



SED ſit iam datus circulus A B, maximus. Sumptis rurſus punctis C, D, vtcumque, & diuiſis arcubus C A D, C B D, bifariam in A, B, oſtendemus, 30. tertij. vt prius, totos arcus A C B, A D B, eſſe æquales, ac propterea vtrumque eſſe ſemicirculũ circuli maximi. Diuiſo ergo altero ſemicirculo, nempe A C B, bifariam in G, erit recta G A, ſubtendens quadrantem circuli, latus quadrati in maximo circulo A B, deſcripti; vt ex prop. 6. lib. 4. Eucl. cõſtat. Itaq; ex polo G, & interuallo G A, circulus deſcribatur AEB, qui maximus erit, cũ recta 17. huius. ex G, polo ad eius circunferentiã ducta nimirũ ad punctũ A, ſit æqualis lateri quadrati in circulo maximo AB, deſcripti. Diuidatur deniq; arcus A E B, bifariam in E. Dico E, polum eſſe circuli A B. Cum enim maximus circulus A C B, tranſeat per G, polum maximi circuli A E B, tranſibit viciſsim maximus cir- Schol. 15. huius. culus A E B, per polos maximi circuli A C B. Quare punctum E, æqualiter remotum à circunferentia circuli A C B, polus eſt circuli A C B. Eodem modo diuiſo arcu A F B, bifariam in F, erit F, alter polus circuli A C B. Cuiuslibet ergo circuli in ſphæra dati polum inuenimus. Quod erat faciendum.

SCHOLIVM.

IN *alia verſione demonſtrantur ſequentia duo theoremata:*

I.

SI in ſuperficie ſphæræ acceptum fuerit punctum aliquod, & 33.

ab eo puncto ad circunferentiam circuli cuiuspiam in sphæra dati cadant plures, quàm duæ rectæ lineę æquales, acceptum punctum polus est ipsius circuli.

IN superficie sphæræ ABC, acceptum sit punctum A, a quo ad circunferentiã circuli BC, cadant plures, quàm duæ, rectæ lineæ æquales AD, AE, AF. Dico A, polum esse circuli BC. Demittatur enim ex A, in planum circuli BC, perpendicularis AG, iungãturq; rectæ DG, EG, FG, eruntq; ex 3. defin. lib. 11. Eucl. omnes tres anguli ad G, recti. Quare tam quadratum ex AD, quadratis ex AG, GD, quàm quadratum ex AE, quadratis ex AG, GE, & quadratum ex AF, quadratis ex AG, GF, æquale erit. Cum ergo quadrata rectarum æqualiũ AD, AE, AF, æqualia sint, erunt & quadrata ex AG, GD, simul quadratis ex AG, GE, simul, nec non quadratis ex AG, GF, simul æqualia; demptoq; communi quadrato lineæ AG, æqualia erunt reliqua quadrata linearum GD, GE, GF, atque adeo & rectæ GD, GE, GF, æquales erunt. Igitur G, centrum erit circuli BC; ac proinde recta GA, quæ ex centro G, ad circulum BC, perpendicularis est ducta, in polum circuli BC, cadet. Punctum ergo A, polus est circuli BC. Quod est propositum.

11. vndec.



47. primi.

9. tertij.

Schol. 8. huius.

II.

34. IN sphæra circuli, à quorum polis rectæ ad eorum circunferentias ductæ sunt æquales, inter se ęquales sunt. Et circulorum ęqualium ęquales sunt rectę ab eorum polis ad circunferentias ductæ.

IN sphæra ABCDEF, cuius centrum G, sint duo circuli BF, CE, a quorum polis A, D, rectæ AF, DE, ad eorum circunferentias ductæ sint æquales. Dico circulos BF, CE, æquales esse. Ducantur ex polis A, D, ad plana circulorum perpendiculares AH, DI, quæ cadent in eorum centra H, I, & inde productæ in reliquos polos; atque adeo & in G, centrum sphæræ. Ductis igitur semidiametris sphæræ FG, EG, & semidiametris circulorũ FH, EI, cum latera AG, GF, lateribus DG, GE, sint æqualia, & basis AF, basi DE; erunt anguli AGF, DGE, æquales. Sunt autem anguli H, I, ex defin. 3. lib. 11. Eucl. recti. Triangula igitur FGH, EGI, duos angulos duobus angulis æquales habent: habent autem & latus FG, lateri EG, quod recto angulo opponitur,

11. vndec.

9. huius.

10. huius.



8. primi.

tur æquale: Igitur & ſemidiametri FH, EI, *æquales erunt, atque adeo & circuli* BF, CE, *æquales. quod primo loco propoſitum eſt.* 26.primi.

SINT *iam circuli* BF, CE, *æquales. Dico & rectas* AF, DE, *ab eorum polis ad circunferentias ductas eſſe æquales. Constructis enim eiſdem, erunt ſemidiametri* FH, EI, *æquales, & circuli ipſi æqualiter a centro ſphæræ diſtabunt. Perpendiculares ergo* GH, GI, *æquales erunt; atque adeo & reliquæ lineæ* AH, DI, *erunt æquales. Quoniam igitur latera* AH, HF, *lateribus* DI, IE, *æqualia ſunt, continentq́; angulos* H, I, *æquales, cum recti ſint ex defin.* 3. *lib,* 11. *Eucl. erũt baſes* AF, DE, *æquales. Quod ſecundo loco propoſitum erat.* 6.huius. 4.primi.

THEOR. 17. PROPOS. 22. 0.

SI in ſphæra recta linea per centrum ducta rectam aliquam lineam non per centrum ductam bifariam ſecet, ad angulos rectos ipſam ſecabit. Quod ſi ad angulos rectos eam ſecet, bifariam quoque ipſam ſecabit.

IN ſphæra, cuius centrum A, recta AB, per centrum ducta rectam CD, non per centrum ductam ſecet bifariam in B. Dico ipſam CD, ſecari ad angulos rectos. Ducto enim per rectas AB, CD, plano, quod circulum faciat CD, qui maximus erit, cum per centrum ſphæræ tranſeat. Quoniam igitur in circulo CD, recta AB, per eius centrum A, tranſiens rectam CD, non per centrum ductam ſecat bifariam in B, ad angulos rectos ipſam ſecabit. Et ſi ad angulos rectos ipſam ſecet, bifariam ipſam ſecabit. Si igitur in ſphæra recta linea, &c. Quod demonſtrandum erat. 1.huius. 6.huius. 3.tertij.



SCHOLIVM.

ADDITVR *hic in exemplari græco theorema aliud, quod idem prorſus eſt, quod prop.* 7. *demonſtratum eſt. Vnde ſuperuacaneũ eſſe duximus, illud hic repetere.*

FINIS LIBRI PRIMI THEODOSII.

THEO-

THEODOSII SPHAERICORVM LIBER SECVNDVS.

DEFINITIO.

IN ſphæra circuli ſe mutuo tangere dicuntur, cum communis ſectio planorum vtrumque circulum tetigerit.

1. THEOREMA 1. PROPOS. 1.

IN ſphæra paralleli circuli circa eoſdem polos ſunt.



IN ſphæra ABCDEF, paralleli circuli ſint BF, CE. Dico eos circa eoſdem polos eſſe. Sint enim A, D, poli circuli B, F, & cõnectatur recta AD, quæ ad circulum BF, recta erit, tranſibitq; per centrum ſphæræ. Quoniam igitur recta AD, ad circulũ BF, perpendicularis eſt, erit quoque ad circulũ parallelum CE, perpendicularis. Quare cũ tranſeat per centrum ſphæræ, vt oſtenſum eſt, cadet in polos circuli CE. Sunt ergo A, D, poli circuli CE: ſunt autem & poli circuli BF. In ſphæra igitur paralleli circuli BF, CE, circa eoſdem polos A, D, ſunt. Quod erat demonſtrandum.

21.1.huius.
10.1.huius.
Schol. 14. vndec.
8.1.huius.

2. THEOREMA 2. PROPOS. 2.

IN ſphæra circuli, qui ſunt circa eoſdem polos, ſunt paralleli.

IN

IN eadem sphæra A B C D E F, circa eosdé polos A, D, sint circuli B F, C E. Dico eos parallelos esse. Connexa enim recta A D, erit hæc ad vtrunq; circulum perpendicularis. Quare plana circulorum B F, C E, parallela sunt. In sphæra igitur circuli, qui sunt circa eosdem polos, sunt paralleli. Quod ostendendum erat. 10.1.huius. 14.vndec.

SCHOLIVM.

SED *& hoc theorema sequens in alia versione demonstratur.*

IN sphæra non sunt plures circuli æquales, & paralleli, quàm duo. 3.



IN sphæra quacunque sint, si fieri potest, plures quàm duo circuli æquales, & paralleli, nempe tres A B, C D, E F, qui circa eosdem polos erunt. Sint ergo eorum poli G, H, & iungatur recta G H, quæ transibit per I, centrum sphæræ, & per K, L, M, centra circulorum; perpendicularisq; erit ad circulos A B, C D, E F. Quoniam igitur circuli A B, C D, E F, æquales sunt, ipsi æqualiter distabunt à centro sphæræ I. Per defin. ergo 6. lib. 1. huius, perpendiculares I K, I L, I M, æquales erunt, nempe pars I L, & totum I M. Quod est absurdum. In sphæra igitur non sunt plures circuli æquales, & paralleli, quàm duo. Quod demonstrandum erat. 1. huius. 10.1.huius. 6.1.huius.

THEOREMA 3. PROPOS. 3. 4.

SI in sphæra duo circuli secent in eodem puncto circunferentiam illius maximi circuli, in quo polos habent, se mutuo tangent illi circuli.



IN sphæra duo circuli A B, A C, secent in puncto A, circunferentiam maximi circuli A B C, qui per illorum polos transeat. Dico circulos A B, A C, se mutuo tangere in A. Quoniam enim circulus maximus A B C, secat circulos A B, A C, per polos, bifariam ipsos secabit, & ad angulos rectos. Communes ergo sectiones circuli A B C, & circulorum A B, A C, nempe rectæ A B, A C, diametri sunt circulorum A B, A C. Sit quoque communis sectio planorum, in quo circuli A B, A C, existunt, recta D E, quæ per punctum A, transibit, propterea quod plana circulorum in A, ponan- 15.1.huius.

tur



tur secare circulum A B C. Et quoniam plana num circuli A B C, ad plana circulorũ A B, A C, rectum est ostensum, erunt vicissim plana circulorum A B, A C, ad planum circuli A B C, recta; atque adeo & D E, communis
19.vndec. ipsorum sectio ad idem planũ circuli A B C, perpendicularis erit. Igitur & ad diametros A B, A C, in eodem plano existentes perpendicularis erit, ex defin. 3. lib. 11. Eucl. Quare
Coroll. 16. tertij. D E, vtrumque circulum A B, A C, tanget in A; ac proinde per defin. huius lib. circuli A B, A C, se mutuo tangent in A, puncto. Si igitur in sphæra duo circuli secent, &c. Quod erat ostendendum.

5. THEOREMA 4. PROPOS. 4.

SI in sphæra duo circuli se mutuo tangant, maximus circulus per eorum polos descriptus, per eorum contactum transibit.

IN sphæra tangant se mutuo circuli A B, C B, in B; & per D, polum cir-
20.1.huius. culi A B, & E, polum circuli C B, describatur circulus maximus D E. Dico circulum D E, per contactum B, transire. Non transeat enim, si fieri potest, per tactum B, sed secet circunferentiam v. g. circuli C B, in F. Polo igitur D, & interuallo D F, circulus describatur F G, qui, cum ad maius interuallum descriptus sit, quàm circulus A B, secabit circulũ C B, in F; quandoquidem circulus A B, eundem tangit in B, puncto, vltra quod circulus G F, ex polo D, descriptus est. Quoniam vero in sphæra duo circuli G F, C F, secant in eodẽ puncto F, maximum circulum D F E, per eorum polos descriptum, tangent se mutuo in
3.huius. F, duo circuli G F, C F: Sed & mutuo sese secant in F, vt dictum est. Quod est absurdum. Non ergo circulus maximus D E, secat alibi circulos A B, C B, quàm in B, contactu, atque adeo per eorum tactũ transibit. Itaque si in sphæra duo circuli se mutuo tangant, &c. Quod ostendendum erat.



6. THEOR. 5. PROPOS. 5.

SI in sphęra duo circuli se mutuo tangant, maximus

ximus circulus deſcriptus per vnius polos, & per contactum amborum circulorũ, per reliqui quoque circuli polos tranſibit.

IN ſphæra duo circuli A B, C B, tangãt ſe mutuo in B, ſintq́; D, E, poli ipſorum. Dico maximum circulum per D, polum circuli A B, & per contactum B, deſcriptum tranſire quoque per E, polum circuli C B. Si enim fieri poteſt, non tranſeat per E, ſed per aliud quoduis punctum F, cuiuſmodi eſt
circulus maximus D B F: Et per polos D, E, maximus circulus deſcribatur 20.1.huius.
D E, qui omnino per contactum B, tranſibit; atque adeo 4.huius.
duo circuli maximi D B F, D B E, ſe mutuo ſecabunt in D, & B, ac proinde biſariam.
Semicirculus ergo erit vterq; 11.1.huius.
arcus D B. Quoniam vero circulus maximus per alterũ polorũ cuiuſlibet circuli in ſphæra tranſiens, tranſit quoque
per reliquum polum, eſtq́; in- Coroll. 10. 1.huius.
ter duos polos eiuſdem circuli ſemicirculus circuli maximi interpoſitus; fit, vt exiſtente D, vno polorum circuli A B, punctum B, ſit alter polus. Quod eſt abſurdũ. Eſt enim B, in circunferentia circuli. Tranſit igitur circulus maximus D B, per E. Quocirca, ſi in ſphæra duo circuli ſe mutuo tangant, &c. Quod erat oſtendendum.



THEOREMA 6. PROPOS. 6. 7.

SI in ſphæra maximus circulus aliquem circulorum in ſphærica ſuperficie deſcriptorum tangat, tanget & alterum ei æqualem, & parallelum.

IN ſphæra maximus circulus A B, tangat circulum A C, in A. Dico circulũ A B, tangere quoque alterum circulum ipſi A C, æqualem, & parallelum. Sit enim D, polus
circuli A C: ac per D, A, circulus maximus 20.1.huius.
deſcribatur D A: qui, cum per D, polũ circuli A C, & per contactum A, tranſeat, tran
ſibit per polos quoque circuli A B. Aſſum- 5.huius.
pto autem E, reliquo polo circuli A C, ducatur recta D E, quæ per centrum ſphæræ
tranſibit, atque adeo ſphæræ diameter erit. 10.1.huius.



E Ex polo

Ex polo igitur E, & ad interuallum E B, circulus describatur B F. Dico circulum maximum A B, tangere quoque circulum B F, in B, & circulum B F, æqualem esse, ac parallelum circulo A C. Quoniam enim recta D E, per polos circulorũ A C, B F, transiens perpendicularis est ad ipsos circulos, erunt

10.1.huius. 14.vndec. circuli A C, B F, paralleli. Rursus quia circuli maximi in sphera bifariam se secant, semicirculus erit A C B; atque adeo semicirculo D C E, æqualis. Dempto ergo communi arcu B D, æquales remanebũt arcus D A, E B; atque adeo rectæ D A, E B, à polis D, E, ad circunferentias circulorum A C, B F, ductæ æquales. Quare æquales sunt circuli A C, B F. Denique quia circuli A B, B F, in eodem puncto B, secant maximum circulũ A E B, in quo quidem polos habent, se mutuo tangent in B, circuli A B, B F. Quare circulus maximus A B, tangens in sphæra circulum A C, tangit quoque alterum circulum B F, ipsi A C, æqualem, & parallelũ. Ac proinde si in sphæra maximus circulus aliquem circulorum, &c. Quod erat demonstrandum.

11.1.huius. 29. tertij. Schol.21. 1.huius. 3. huius.



COROLLARIVM.

HINC perspicuum est, puncta contactuum A, B, per diametrum esse opposita. Ostensum enim est, A C B, esse semicirculum, ac propterea rectam ex A, ad B, ductam esse diametrum sphæræ, seu circuli maximi A C B, &c.

8.
THEOREMA 7. PROPOS. 7.

SI sint in sphæra duo æquales, & paralleli circuli, maximus circulus, qui eorum alterum tetigerit, reliquum quoque tanget.

IN eadem figura sint duo circuli æquales, & paralleli A C, B F, & maximus A B, tangat A C. Dico eundem A B, tangere quoque B F. Si enim A B,
6.huius. non tangat ipsum B F, tanget vtique alterum ipsi A C, æqualem, & parallelum. Cum ergo & B F, eidem A C, æqualis ponatur, & parellelus, erunt tres circuli in sphæra, nempe A C, B F, & ille alius, quem A B, tangit, inter se æquales, & paralleli. Quod est absurdum. Non enim plures circuli æquales
Schol.2. huius. sunt, & paralleli in sphæra, quàm duo. Tanget igitur circulus A B, circulũ B F. Quamobrẽ, si sint in sphæra duo æquales, & paralleli circuli, &c. Quod erat ostendendum.

SCHOLIVM.

IN *alia versione demonstratur & sequens theorema.*

9. CIRCVLI in sphæra paralleli, quos maximus aliquis circulus tangit, æquales inter se sunt.

IN ea-

IN eadem adhuc figura sint duo circuli paralleli A C, B F, *quos circulus maximus* A B, *tangat in* A, B. *Dico circulos* A C, B F, *æquales inter se esse. Quoniam enim paralleli ponuntur circuli* A C, B F, *ipsi circa eosdem polos erunt, qui sint* D, 1.huius.
E; *per quos, & polos circuli* A B, *circulus maximus describatur* A F B, *qui per con* 20.1.huius:
tactus A, B, *transibit. Quoniam vero circuli maximi in sphæra se mutuo secant bi* 4.huius.
fariam, semicirculus erit A D B, *atque adeo semicirculo* D B E, *æqualis. Dempto ergo arcu communi* D B, *æquales remanebunt arcus* D A, E B; *ac proinde & rectæ* D A, E B, *ex polis* D, E, *ad circunferentias circulorum* A C, B F, *ductæ æquales.* 29. tertij.
Quare circuli A C, B F, *æquales erunt. Quod est propositum.* Schol. 21.1. huius.

THEOR. 8. PROP. 8. 10.

SI in sphæra maximus circulus ad aliquẽ sphæræ circulum obliquus sit, tanget is duos circulos æquales quidem inter se, parallelos autem prædicto circulo, ad quem obliquus est.

IN sphæra maximus circulus A B, ad circulum quemcunque C D, obliquus sit. Dico circulum A B, tangere duos circulos inter se quidem æquales, parallelos autem ipsi CD. Sint E, F, poli circuli C D, per quos, & polos cir 21.1.huius:
culi A B, circulus maximus describatur 20.1.huius.
E A B, secans A B, in A, & B. Ex polo deinde E, & interuallo E A, circulus describatur A G. Et quoniam circuli A B, A G, in eodem puncto A, secant maximum circulũ
E A B, in quo polos habent, ipsi se mutuo 3.huius.
tangent in A. Circulus igitur maximus AB, tangens circulum A G, tanget alterum il-
li æqualem, & parallelum, qui sit B H. Quia 6.huius.
vero circuli paralleli A G, B H, circa eosdẽ
polos sunt E, F: Sunt autem E, F, poli etiã 1.huius.
circuli C D; erunt tres circuli A G, C D,
B H, circa eosdem polos; atque adeo paralle 2.huius.
li inter se erũt. Tangit igitur maximus circulus A B, duos A G, B H, æquales quidem inter se, parallelos autem ipsi C D, ad quem obliquus est. Quocirca, si in sphæra maximus circulus ad aliquem, &c. Quod ostendendum erat.



SCHOLIVM.

ALIVD *theorema hoc loco adijcitur in alia versione, videlicet.*

SI in sphæra maximus circulus aliquem circulorum in sphæri- 11.

ca superficie tangat, obliquus erit ad alios circulos, quos secat, paral lelos ei, quem tangit.

IN eadem figura maximus circulus A B, tangat circulum A G, secet autem circulum C D, ipsi A G, parallelum. Dico circulum A B, obliquum esse ad circulum C D. Quoniã enim maximus circulus A B, tangens circulum



15.1.huius. *A G, non transit per ipsius polos, (Si namque per ipsius polos duceretur, secaret ipsum bifariam, non autem tangeret.) atque adeo neque per po*
1.huius. *los circuli C D; (habent enim paralleli circuli A G, C D, eosdem polos) non secabit maximus circulus A B, circulum C D, ad angulos rectos:*
13.1.huius. *Aliàs transiret per eius polos. Igitur obliquus est ad circulum C D. Quod est propositum.*

12. THEOR. 9. PROPOS. 9.

SI in sphæra duo circuli se mutuo secent, maximus circulus per eorum polos ductus secabit bifariam segmenta ipsorum circulorum.

IN sphæra se mutuo secent duo circuli A B C D, E D F B, in punctis B,
20.1.huius. D, & per eorum polos describatur maximus circulus A F C E, secans circulos dictos in punctis A, C, E, F. Dico circulum A F C E, secare bifariã segmenta B A D, B C D, B E D, B F D. Quoniam enim circulus maximus A F C E, cir-



15.1.huius. culos A B C D, E D F B, secat bifariam, & ad angulos rectos, quòd per eorum polos ductus sit, erunt communes sectiones A C, E F, quas cum ipsis facit, diametri ipsorum secantes sese in G. Secabunt enim se mutuo rectę A C, E F, cum in eodẽ plano circuli AFCE, existant, sitq; punctum E, inter puncta A, & C; atque punctum E, inter eadem puncta. Connectantur rectæ B G, D G: Eruntq; tria puncta B, G, D, in vtroque plano circulorum A B C D, E D F B; atque adeo in cõmuni eorum sectione: Est autem communis
3.vndec. eorum sectio linea recta. Igitur recta erit B G D. Et quoniam circulus AFCE, ostensus est secare ad angulos rectos vtrumque circulum A B C D, E D F B, erit vicissim vterque rectus ad circulum A F C E; atque adeo & B D, com-
19.vndec. munis eorum sectio ad eundem perpendicularis erit. Recti igitur erunt angu li BGA,

li B G A, D G A, B G C, D G C, ex definit. 3. lib. 11. Eucl. Quare diameter A C, cum per centrum circuli A B C D, transeat, secetq; rectam B D, ad angulos rectos, bifariam eam secabit. Itaque cum latera A G, G B, æqualia 3. tertij. sint lateribus A G, G D, contineantq; angulos æquales, nempe rectos, erunt bases A B, A D, subtendentes arcus A B, A D, inter se æquales, ac proinde 4. primi. & arcus A B, A D, æquales erunt. 28. tertij. Eodem modo ostendemus arcus C B, C D, æquales esse; nec non & arcus E B, E D; & F B, F D. Circulus igitur A F C E, segmenta B A D, B C D, B E D, B F D, bifariam diuidit. Quapropter si in sphæra duo circuli se mutuo secent, &c. Quod demonstrandum erat.

SCHOLIVM.

DVO *alia theoremata in alia versione hoc loco adduntur, hæc videlicet.*

I.

SI in sphæra duo circuli se mutuo secent, circulus alius eorum 13. segmenta bifariam secans, it per polos eorum, estq; circulus maximus.

IN *eadẽ figura secent se mutuo duo circuli* A B C D, E D F B, *in punctis* B, D, *&* *alius quispiã circulus* A F C E, *secet segmenta* B A D, B C D, B E D, B F D, *bifariã. Di co ciculũ* AFCE, *ire per polos ipsorũ, esseq; circulũ maximũ. Quoniã enim arcus* A D, A B, *æquales sunt, nec nõ* C D, C B; *erũt toti arcus* A D C, A B C, *æquales, & propte rea semicirculi. Eodemq; modo semicirculi erũt* E D F, E B F. *Circulus igitur* A F C E, *bifariam secat circulos* A B C D, E D F B, *atque adeo communes sectiones* A C, E F, *se intersecantes in* G, *ipsorum diametri sunt. Quòd si connectantur rectæ* B G, D G; *cum tria puncta* B, G, D, *in vtroque plano circulorum* A B C D, E D F B, *sint, atque adeo in communi ipsorum sectione; sit autem communis eorum sectio linea recta;* 3. vndec. *recta erit* B G D. *Quoniam vero subtensæ rectæ* D A, D C, *subtensis rectis* B A, B C, 29. tertij. *singulæ singulis æquales sunt, ob æquales arcus, angulosq; continent æquales, nem-* 31. tertij. *pe rectos in semicirculis existentes; æquales erunt anguli* D A C, B A C. *Quod etiã* 4. primi. *ita probari poterit. Quoniam latera* D A, A C, *lateribus* B A, A C, *æqualia sunt, basisq;* D C, *basi* B C, *æqualis, erunt anguli* D A C, B A C, *æquales. Rursus quia* 8. primi. *latera* A D, A G, *lateribus* A B, A G, *æqualia sunt, angulosq; continent æquales, vt demonstratum est; æquales erunt anguli* A G D, A G B, *ac propterea recti.* 4. primi. *Perpendicularis igitur est* B G D, *ad rectam* A C. *Eodem modo ostendemus rectam eandem* B G D, *ad* E F, *perpendicularem esse. Quare eadem* B G D, *perpendicularis erit ad planum circuli* A F C E, *per rectas* A C, E F, *ductum; ac proinde &* 4. vndec. *vtrumque planum circulorum* A B C D, E D F B, *per rectam* B G D, *ductum ad idem planum circuli* A F C E, *rectum erit: & vicissim circulus* A F C E, *ad circu-* 18. vndec. *los* A B C D, E D F B, *rectus erit. Itaque circulus* A F C E, *circulos* A B C D, E D F B, *& bifariam & ad angulos rectos secat. Quare maximus est, transitq; per* Schol. 15. 1. huius. *ipsorum polos. Quod est propositum.*

SI in

II.

14. SI in ſphæra duo circuli ſe mutuo ſecent, maximus circulus ſecans bifariam duo illorum ſegmenta quæcumque, habens tamen arcum inter illa ſegmenta poſitum ſemicirculo inæqualem; tranſit per polos ipſorum, duoq; reliqua ſegmenta bifariam ſecat.

IN ſphæra duo circuli A B C D, E B F D, *ſe mutuo ſecent in punctis* B, D: *Et maximus circulus* A F C E, *ſecet duo quæcumque illorum ſegmēta, nempe,* B A D, B E D, *bifariam in punctis* A, E, *&* *arcus* A F C E, *interceptus inter dicta ſegmenta non ſit ſemicirculus.* Dico circulum A F C E, *tranſire per polos circulorum* A B C D, E B F D, *ſecareq; reliqua ſegmenta* B C D, B F D, *bifariam. Si enim circulus* A F C E, *non tranſeat per ipſorū polos, deſcribatur, ſi fieri poteſt, alius circulus maximus* A G E, *per eorum polos, qui ſegmenta ipſorum bifariam ſecabit;* (9.huius.) *atque adeo per puncta* A, E, *tranſibit. Secabunt ſe igitur circuli maximi* A F C E, A G E, *in* A, E, *bifariam:* (11.1.huius.) *ac propterea ſemicirculus erit* A F C E. *Quod eſt contra hypotheſim. Tranſit ergo circulus* A F C E, *per polos circulorum* A B C D, E B F D. (9.huius.) *Quare omnia ſegmenta ipſorum ſecabit bifariam. Quod eſt propoſitum.*



15. THEOR. 10. PROP. 10.

SI ſint in ſphæra paralleli circuli, per quorum polos deſcribantur maximi circuli; parallelorum quidem circunferentiæ inter maximos circulos interceptæ, ſimiles ſunt; maximorum autem circulorum circunferentiæ inter parallelos circulos interceptæ, ſunt æquales.

SINT in ſphæra circuli paralleli A B C D, E F G H, quorū polus I: (ſunt enim paralleli circuli in ſphæra circa eoſdem polos.) (1.huius.) Per I, autē circuli maximi deſcribantur vtcumque A E I G C, B F I H D. Dico circunferentias parallelorum A B, E F, ſimiles, nec non B C, F G; Item C D, G H; & D A, H E: circun-

circunferentias vero maximorum circulorum inter parallelos, nempe A E, B F, C G, D H, æquales esse. Sint enim communes sectiones circuli A I C, & parallelorum rectæ A C, E G, quæ parallelæ erunt: communes vero sectiones circuli B I D, & parallelorum eorundem, rectæ B D, F H, quæ similiter parallelæ erũt. Et quia circuli maximi A I C, B I D, per polos parallelorum descripti secant parallelos bifariam; erunt A C, B D, diametri circuli A B C D, & punctum L, vbi se intersecant, centrũ eiusdem: Item E G, F H, diametri circuli E F G H, & punctum K, vbi se intersecant, centrum eiusdẽ. Quoniam igitur rectæ E K, K F, rectis A L, L B, parallelæ sunt, suntq; in diuersis planis, erunt anguli E K F, A L B, ad centra K, L, æquales. Quare circunferentiæ A B, E F, per ea, quæ in scholio propos. 33. lib 6. Euclid. ostendimus, similes erunt. Eodemq; modo similes erunt B C, F G, & C D, G H, nec non D A, H E. 16. vndec. 15. 1. huius. 10. vndec.



RVRSVS, quia rectæ ex polo I, ad puncta A, B, C, D, demissæ æquales sunt, ex defin. poli, erunt quoque arcus I A, I B, I C, I D, æquales: Et eodem modo æquales erunt arcus I E, I F, I G, I H. Reliquæ igitur circunferentiæ A E, B F, C G, D H, æquales inter se erunt. Quapropter, si sint in sphæra paralleli circuli, &c. Quod erat demonstrandum. 28. tertij.

THEOR. 11. PROP. 11. 16.

SI in diametris circulorum æqualium æqualia circulorum segmenta ad angulos rectos insistant, à quibus sumantur æquales circunferentiæ, quarum quælibet inchoata ab extremitate sui segmenti, sit minor semisse circunferentiæ integri segmenti, à punctis autem æquales circunferentias terminantibus ducatur æquales rectæ lineę ad circunferentias circulorum primo positorum; ipsæ circulorum primo positorum circunferentiæ interceptæ inter illas rectas lineas, & extremitates diametrorum, erunt æquales.

IN dia-

IN diametris A C, D F, circulorum æqualium A B C, D E F, insistant ipsis circulis ad angulos rectos segmenta circulorũ æqualia A G C, D H F: sumanturq; æquales arcus A G, D H, ita vt puncta G, H, secent segmenta A G C, D H F, non bifariam. Ex G, H, denique in circunferentias circulorum A B C, D E F, cadant rectæ æquales G B, H E. Dico circunferentias A B, D E, esse æquales. Demittantur ex G, H, rectæ G I, H K, ad plana cir-
11. vndec. culorum A B C, D E F, perpendiculares, quæ in communes sectiones A C,
38. vndec. D F, cadent in puncta I, K. Sumptis quoque L, M, centris circulorũ A B C, D E F, ducantur rectæ L B, B I, A G; M E, E K, D H: cadantq; primum puncta I, K, in semidiametros A L, D M. Quoniam igitur arcus A G C, D H F, æquales sunt, nec non & arcus A G, D H; æquales quoque erunt arcus, C G,
27. tertij. F H; ac propterea anguli G A C, H D F, illis insistentes æquales. Sunt autem & anguli A I G, D K H, æquales, quòd recti sint ex defin. 3. lib. 11. Eucl. Itaque duo triangula A I G, D K H, habent duos angulos G A I, A I G, duobus angulis H D K, D K H, æquales. Habent autem & latus
29. tertij. A G, lateri D H, æquale, (ob æqualitatẽ arcuum A G, D H.) quod angulis æqualibus I, K, subtenditur.
26. primi. Igitur & latus A I, lateri D K, & latus G I, lateri H K, æquale erit. Quoniam vero anguli G I B, H K E, recti sunt ex defin. 3. lib. 11. Eucl. erunt quadrata ex G B, H E, quæ inter se æ-



47. primi. qualia sunt, ob æqualitatem rectarum G B, H E, quadratis ex G I, I B, & ex H K, K E, æqualia, ac ꝓpterea quadrata ex G I, I B, quadratis ex H K, K E, æqualia erunt. Ablatis ergo quadratis æqualibus rectarum æqualiũ G I, H K, remanebunt quadrata rectarũ I B, K E, æqualia; & idcirco & rectæ I B, K E, æquales. Et quia A L, D M, semidiametri circulorum æqualiũ æquales sunt; ostensæ autem quoque sunt æquales A I, D K, erunt & reliquæ I L, K M, æquales. Quare latera I L, L B, lateribus K M, M E, æqualia erunt: sunt au
8. primi. tem & bases I B, K E, ostensæ æquales. Igitur & anguli L, M, ad centra æqua
26. tertij. les erunt; ac proinde & arcus A B, D E, æquales erunt.

CADANT deinde puncta I, K, in semidiametros L A, M D, productas ad A, & D: quod quidem contingere potest, quando segmenta A G C, D H F, semicirculo sunt maiora; fiatq; eadem constructio, quæ prius. Osten
27. tertij. demus, vt prius, angulos G A C, H D F, esse æquales; ac propterea cum tam
13. primi. G A C, G A I, quàm H D F, H D K, duobus sint rectis æquales, erũt & G A I, H D K, æquales. Cum ergo & anguli I, K, æquales sint, nempe recti, & late
29. tertij. ra G A, H D, æqualia, ob æquales arcus A G, D H, erunt, vt prius, rectæ
26. primi. G I, I A, rectis H K, K D, æquales; ac propterea & totæ I L, K M, inter se æquales erunt. Igitur, vt prius, ostendemus rectam I B, rectæ K E, & angu-
47. primi. lum L, angulo M, æqualem esse: ac denique arcum A B, arcui D E.
8. primi. CADANT tertio perpendiculares ex G, H, demissæ in plana circulo-
26. tertij.

rum

rum A B C, D E F, in puncta A, D: quod etiam contingere poteſt, quando ſegmenta A G C, D H F, ſemicirculo ſunt maiora. Ductis igitur rectis A B, D E, erũt anguli G A B, H D E, recti, ex defin. 3. lib. 11. Euclid. Quare, vt prius, æqualia erunt quadrata rectarũ G A, A B, quadratis rectarum H D, D E: 47. primi. Sunt autẽ quadrata ex G A, H D, æqualia, quòd & rectæ G A, H D, æquales ſint, ob æquales arcus A G, D H. 29. tertij. Igitur & quadrata ex A B, D E, æqualia erunt; & propterea & rectæ A B, D E, æquales. Quare & arcus A B, D E, æquales erunt. Quod eſt propoſitum. Itaque ſi in diametris circulorum æqualium æqualia circulorum ſegmenta ad angulos rectos inſiſtant, &c. Quod erat demonſtrandum.



THEOR. 12. PROPOS. 12. 16.

SI in diametris circulorum æqualium, æqualia ſegmenta circulorum erigantur, & ab ipſis ſegmentis æquales circunferentiæ ad extremitates ſegmentorum deſumantur minores dimidijs ipſorum partibus, ab ipſis autem circulis æquales circunferentiæ ſumantur ad eaſdem partes, quæ ſunt ad extremitates diametrorum, rectæ lineæ ductæ à punctis in circunferentijs ſegmentorum ad puncta in circunferentijs circulorum, erunt æquales.

REPETANTVR figuræ propoſitionis præcedentis, cum eiſdẽ conſtructionibus, ponanturq; arcus A B, D E, æquales. Dico & rectas G B, H E, 27. tertij.
æquales eſſe. Quoniam enim, vt in præcedenti propoſ. demonſtratum eſt, 29. tertij.

F rectæ 26. primi.

rectæ A I, I G, rectis D K, K H, æquales sunt; erunt & reliquæ I L, K M, ex semidiametris A L, D M, vt in prima figura, vbi puncta I, K, cadunt in semidiametros A L, D M, vel certe erunt & totæ I L, K M, æquales, vt in secunda figura, vbi puncta I, K, cadunt in semidiametros A L, D M, productas ad A, & D. Quia igit I L, L B, rectis K M, M E, æquales sunt; cõtinentque angulos ad L, M, æquales, ob æqualitatẽ arcuũ A B, D E; erunt & bases I B, K E, æquales. Quamobrem cum latera G I, I B, lateribus H K, K E, æqualia sint, contineantq; angulos G I B, H K E,

27. tertij.

4. primi.



4. primi. æquales, nimirum rectos, ex defin. 3. lib. 11. Eucl. erunt & bases G B, H E, æquales. quod est propositum. Facilius idem concludetur, si perpendiculares ex G, H, in plana circulorum A B C, D E F, demissæ cadant in puncta A, D, vt in tertia figura. Nam quia rectæ G A, A B, rectis H D, D E, æquales sunt,
29. tertij. ob æquales arcus A G, D H, & A B, D E, continentq; angulos æquales, vtpote rectos, ex defin. 3. lib. 11. Eucl. erunt bases G B, H E, æquales. Si igitur
4. primi. in diametris circulorum æqualium, æqualia segmenta, &c. Quod erat ostendendum.

18. THEOREMA 13. PROPOS. 13.

SI in sphæra sint paralleli circuli, & describantur maximi circuli, qui vnum quidem parallelorum tangant, reliquos vero secent; circunferentię parallelorum interceptæ inter eos maximorum circulorum semicirculos, qui non concurrunt, similes erunt; maximorum vero circulorum circunferentiæ inter duos quoscunque parallelos interceptæ, erunt æquales.

2. huius. SINT in sphæra paralleli circuli A B, C D E, F G H, qui eundem polũ habebunt, nempe I. Circuli autem maximi A F K, B H K, tangant parallelũ A B, in punctis A, B, & reliquos secent in punctis F, C, L, M; H, E, D, G: seipsos aũt mutuo secent in K, N, vt sint semicirculi K M N, N F K; K G N,
11. 1. huius. N H K. Maximi enim circuli se secant mutuo bifariam. Sumatur quoque arcus,



cus K O, arcui N A, & arcus K P, arcui N B, æqualis, vt ſint quoque ſemicirculi A M O, O F A; B G P, P H B. Erunt igitur ſemicirculi A M O, B H P, non coeuntes, cũ ſe mutuo non ſecent. Eodem modo nõ coeuntes erunt ſemicirculi B G P, A F O. Dico arcus parallelorum A B, L E, M H, interceptos inter ſemicirculos A M O, B H P, non coeuntes ſimiles eſſe, necnon & arcus A B, C D, F G, interceptos inter ſemicirculos B G P, A F O, non concurrentes ſimiles eſſe: Arcus vero maximorum circulorum A C, A L, B D, B E, æquales eſſe; necnon & arcus C F, L M, D G, E H: quorum illi inter parallelos A B, C D E, hi vero inter parallelos C D E, F G H, interijciuntur: Eodemq; pacto æquales eſſe arcus A F, A M, B G, B H, inter parallelos A B, F G H, interiectos. Per polum enim I, & puncta contactuum A, B, circuli 20.1.huius. maximi deſcribantur Q A I R, S B I T, ſecantes parallelos in Q, S, V, X. Tranſibunt hi circuli maximi per polos quoque circulorum A F K, B H K; 5.huius. ac proinde biſariam ſecabunt ſegmenta C A L, D B E, C V L, D X E: necnõ 9.huius. ſegmenta F A M, G B H, F Q M, G S H. Præterea iidem circuli ad angulos rectos ſecabunt parallelos A B, C D E, F G H, & maximos circulos A F K, 15.1.huius. B H K. Quoniam igitur diametris circulorum æqualium A F K, B H K, inſiſtunt ad angulos rectos ſegmenta circulorum æqualia, nempe ſemicirculi inchoati à punctis A, B, & per I, tranſeũtes, donec iterũ ſecent circulos A F K, B H K; ſuntq; arcus æquales A I, B I, quòd ex defin. poli recta I A, I B æquales ſint; 28.tertij. qui quidem minores ſunt dimidijs ſemicirculorum partibus: (cum enim dimidij ſint arcuum A I R, B I T, quòd, ex defin. poli, rectæ ex I, ad puncta A, B, R, T, atque adeo arcus quoque ſint æquales: ſint autem arcus 28.tertij. A I R, B I T, ſemicirculo minores, quòd ſemicirculi tendant ex A, & B, per I, vſque ad circulos A F K, B H K; erunt arcus A I, B I, minores dimidijs partibus illorum ſemicirculorum.) ſunt quoque æquales rectæ I C, I E, ex poli defin. erunt arcus A C, B E, æquales: Eſt autem A C, ipſi A L, & B E, ipſi 11.huius. B D, æqualis, propterea quòd arcus C A L, D B E, biſariam ſecantur, vt de- 9.huius. monſtratum eſt. Quatuor ergo arcus A C, A L, B E, B D, æquales ſunt. Eodem modo oſtendemus, æquales eſſe quatuor arcus A F, A M, B H, B G; ac propterea & reliquos C F, L M, E H, D G, qui quidem ſinguli inter binos parallelos intercipiuntur. Quod ſecundo loco proponebatur demonſtrandũ.

QVIA vero arcus toti C A L, D B E, æquales ſunt, quòd ipſorum dimidia æqualia ſint, vt demonſtratum eſt; erunt & rectæ ſubtenſæ C L, D E, æ- 29.tertij. quales, quæ quidem arcubus quoque C V L, D X E, ſubtenduntur; ac pro-

28. tertij.



pterea & arcus parallelorum C V L, D X E, æquales erunt. Cum ergo
9. huius. secetur bifariam in V, X, vt dictum est, æquales erunt eorum medietates, nimirum quatuor arcus C V, V L, D X, X E. Si igitur arcubus equalibus C V, D X, communis arcus addatur V D, æquales erunt arcus CD, VX:
10. huius. Est autem arcus V X, arcui A B, similis. Igitur & C D, eidem A B, similis erit. Non secus ostendemus F G, eidem A B, similem esse; nec non & arcus E L, H M, eidem arcui A B, esse similes. Quod secundo loco proponebatur demonstrandum. Si ergo in sphæra sint paralleli circuli, &c. Quod ostendendum erat.

17. PROBL. 1. PROP. 14.

CIRCVLO in sphæra dato, qui minor sit quàm circulus maximus, datoq; aliquo puncto in eius circunferentia, per illud punctum describere circulum maximum, qui tangat datum circulum.

IN sphæra datus circulus sit non maximus A B, cuius polus C, oporteatq; per A, punctum in eius circũferentia datum, describere maximum circulum, qui circulum A B, tangat. Per polum C, & punctum A, describatur circulus maximus



20. 1. huius. C A D E B, in quo sumatur quadrans A D, & polo D, interuallo D A, circulus describatur A E, qui maximus erit, quòd recta subtensa D A, latus sit quadrati in maxi-
17. 1. huius. mo circulo descripti. Dico circulum maximum AE, tangere circulum AB, in A. Quoniam enim duo circuli A B, A E, eundem circulum C A D, per eorum polos transeũtem se-

tem secant in eodem puncto A, ipsi se mutuo tangent in puncto A. Circu- 3.huius
lo igitur in sphæra dato, &c. Quod faciendum erat.

PROBL. 2. PROPOS. 15. 19.

CIRCVLO in sphæra dato, qui minor sit maximo circulo, & puncto aliquo dato in sphæræ superficie, quod sit inter datum circulum, & alium eidem æqualem, & parallelum, per punctum illud datum describere maximum circulum, qui tangat datum circulum maximo minorẽ.

SIT in sphæra datus circulus non maximus A B, cui æqualis sit & parallelus C D, datumq; punctum sit G, inter duos circulos A B, C D; oporteatq; per G, circulum maximum describere, qui tangat circulum A B. Sint E, F, poli parallelorum A B, C D, (habent enim paralleli eosdem polos.) & per 1. huius.
E, G, circulus maximus describatur E A C, qui per reliquum polum F, transibit, ex coroll. scholij propos. 10. lib. 1. huius. In hoc accipiatur quadrans 20.1.huius.
B H; cadetq; pũctum H, vel supra D, vel in D, vel infra D: Quodcũque autẽ horũ cõtingat, ita rẽ exequemur.



Ex polo E, ad interuallum E H, vel ex polo F, ad interuallum F H, circulus describatur H I, qui ipsis A B, C D, parallelus erit, existetq; vel su- 2.huius.
pra C D, vel idem erit qui C D, vel infra C D, situs erit, prout punctum H, supra D, vel in D, vel infra D, positum fuerit. Sumatur rursum quadrans G K, eritq; punctum K, vltra H, cum G H, quadrante minor sit. Polo deinde G, interuallo autem G K, circulus describatur K L, qui maximus erit, quòd recta subtendens quadrantẽ G K, æqualis sit lateri quadrati 17.1.huius.
in maximo circulo descripti. Secet autem K L, circulum H I, in L, & per L, F, circulus maximus describatur F L, qui per reliquum polum E, transi- 20.1.huius
bit, ex coroll. scholij propos. 10. lib. 1. huius. Secet autem hic circulus F L E, circulum A B, in M. Eruntq; arcus M L, B H, circulorum maximorum per

E, F,

20. huius. E, F, polos parallelorum transeuntium, intercepti inter parallelos AB, HI, æquales, ac propterea existente BH, quadrante per constructionem, erit & LM, quadrans. Polo igitur L, interuallo autem LM, circulus describatur
17.1. huius. MN, qui maximus erit, quòd recta subtendens quadrantem LM, æqualis sit lateri quadrati in maximo circulo descripti. Quoniam vero maximus circulus KL, transit per L, polum maximi circuli NM, transibit vicissim ma-
Scho. 15. 1. huius. ximus circulus NM, per G, polum circuli KL: atque ita transit maximus circulus NM, per datum punctum G. Dico iam eundem tangere circulum AB, in M. Quoniã enim circuli AB, GN, in eodem puncto M, secãt maximũ
5. huius. circulum EF, in quo polos habent, ipsi se mutuo tangent in M. Descriptus est ergo per G, circulus maximus GN, tangens circulum AB, in M. Quare circulo in sphæra dato, &c. Quod faciendum erat.

SCHOLIVM.

QVOD *si punctum G, datum sit præcise in medio arcus* BD, *erit quadrans* GF. *Polo igitur* G, *interualloq́;* GF, *circulus descriptus* FE, *secabit* HI, *in* L, *puncto, quod rursum erit polus circuli tangentis, vt prius. Si vero* G, *punctum datum sit idem, quod* D, *erit polus circuli tangentis in medio arcus* DCA, *cum hic arcus se-*
5. huius. *micirculus sit. Circulus autem ex illo polo descriptus tanget* AB, *in* A, *&* CD, *in* D, *vt patet: quoniam videlicet circulus hic maximus, & paralleli* AB, CD, *secãt in pũctis* A, D, *circunferentiã maximi circuli* ACDB, *in quo polos habent.*



QVONIAM *vero sicut* L, *polus est ostensus circuli maximi* GN, *tangentis, circulum* AB, *ita quoque ostendi potest, aliud punctũ, in quo maximus circulus* KL, *circulum* HI, *ex altera parte secat, polum esse alterius cuiusdam circuli maximi, qui per* G, *transeat, tangatq́; circulum* AB, *in alio puncto: perspicuum est per punctum in sphæra datum inter duos circulos æquales, & parallelos describi posse duos circulos maximos, qui circulum* AB, *tangant in duobus punctis.*

20. ## THEOR. 14. PROPOS. 16.

MAXIMI circuli, qui similes circũferentias

paral-

parallelorum circulorum in sphæra auferunt, aut per parallelorum polos transeunt, aut eundem vnum parallelum tangunt.

IN sphæra maximi circuli A B C, D B E, auferant ex parallelis A D C, F G, circunferentias similes A D, F G. Dico maximos circulos A B C, D B E, aut transire per polos parallelorum A D C, F G, aut vnum eundem parallelum tangere. Aut enim alter illorum, nempe A B C, transit per polos parallelorum, atque ita ostendemus, alterum per eosdem transire, aut nõ transit quidẽ per polos parallelorũ, sed alterũ tamen illorũ tangit, atq; ita demonstrabimus, alterum eundem tangere; aut deniq; neque per polos parallelorum incedit, neq; alterum illorum tangit: quo posito concludemus circulos maximos datos aliquẽ aliũ parallelum tangere datis parallelis minorẽ.



Transeat enim primum A B C, per polos parallelorum. Dico & D B E, per eosdem trãsire, hoc est, pũctum B, in quo se secant maximi circuli A B C, D B E, polum esse parallelorum A D C, F G. Si namque B, non est eorum polus, sit H, polus ipsorum. Et quia circulus A B C, ponitur transire per eorum polos, erit H, in circunferentia A B C. Per H, G, describatur circulus maximus H G, secans A D C. in I. Eruntq; arcus A I, F G, similes, cum intercipiantur inter maximos circulos A H, H I, per polum H, descriptos: Ponitur autem & arcus A D, eidem arcui F G, similis. Similes ergo sunt arcus A I, A D; atque adeo cum sint eiusdem circuli, inter se æquales erunt, totum & pars. Quod est absurdum. Non ergo aliud punctum, præter B, polus erit parallelorum, si alter circulorum A B C, D B E, nempe A B C, per illorum polos ducitur, Quare vterque circulus maximus A B C, D B E, per polum B, parallelorum transit, si vnus ipsorum transit. 20.1.huius. 10.huius.

SED iam duo maximi circuli ABC, DEF, auferant rursum ex parallelis A D C, B E, circunferentias similes A D, B E, & neuter illorum transeat per parallelorum polos, sed alter, nempe A B C, vnum eorum, puta B E, tangat in B. Dico & circulum D E F, eundem B E, tangere in E. Si enim non tangit, sed secat, describatur per E, punctũ in parallelo BE, datũ maximus circulus GEH, tangens parallelum B E, in E; eruntq; semi circuli, quorum alter ex E, per G, ducitur, alter vero ex B, per A, transit, non coeuntes, vt constat ex figura propos. 13. huius libri, & ex demonstratis ibidem. 14.huius. 13.huius.



Igitur

Igitur arcus B E, A G, similes erunt: Ponuntur autem & similes B E, A D. Similes ergo sunt inter se A G, A D; ac proinde, cum sint eiusdem circuli, inter se æquales erunt, totum, & pars. Quod est absurdũ. Nullus ergo alius circulus maximus per E, ductus præter D E F, parallelum B E, tangit in E, si A B C, eundem in B, tangit. Quare si A B C, tangit B E, tanget & D E F, eundem B E.

POSTREMO maximi circuli A B C, D E F, auferant ex parallelis A D C, G H, circunferentias similes A D, G H; & neuter illorum per parallelorum polos ducatur, aut alterum eorum tangat. Dico circulos maximos A B C, D E F, tangere alium quendam parallelum ipsis A D C, B E, minorẽ. Quoniam enim circulus maximus A B C, neque transit per polos parallelorum, neque alterum ipsorum tangit, erit circulus maximus A B C, ad vtrumque parallelorum A D C, G H, obliquus. Si enim rectus esset, transiret per ipsorum polos, quod non ponitur. Tanget igitur A B C, duos circulos æquales inter se, & parallelos vtrique A D C, G H. Tangat ergo parallelum B E, qui minor erit vtroque A D C, G H; (cum A B C, ipsos secet) atque adeo & alter sibi æqualis, & parallelus minor erit vtroque A D C, G H: ac pinde paralleli A D C, G H, positi erũt inter illos duos, quos circulus A B C, tangit. Dico & D E F, eundem B E, tangere. Si enim non tangit, describatur per punctum H, quod est inter circulum B E, & sibi æqualem, ac parallelum, ut ostendimus, circulus maximus K H, tangens B E, in I; eruntq; semicirculi, quorum alter ex I, per H, alter vero ex B, per G, transit, non coeuntes, vt constat ex figura proposi. 13. huius libri, & ex demonstratis ibidem. Igitur arcus A K, G H, similes erunt: Ponuntur autem & A D, G H, similes. Similes igitur sunt A K, A D; atque adeo, cum sint eiusdem circuli, inter se æquales erunt, totum & pars. Quod est absurdum. Nullus ergo alius circulus maximus per H, descriptus, præter D E F, parallelum B E, tangit, si A B C, eundem tangit in B. Quare si A B C, tangit circulum B E, tanget & D E F, eundem B E. Quapropter maximi circuli, qui similes circunferentias, &c. Quod erat ostendendum.

13.1.huius.

8.huius.



15.huius.

13.huius.



SCHOLIVM.

MANIFESTVM *autem est, circulos maximos* A B C, D E F, *ita tangere eundem parallelum* B E, *vt semicirculi eorum à contactibus per arcus similes procedentes non coeant. Alias non essent arcus ablati similes, vt constat ex propos.* 13. *huius libri.*

THEO-

THEOREMA 15. PROPOS. 17. 21.

IN sphæra paralleli circuli, inter quos & maximum parallelorum æquales circunferentiæ maximorum circulorum intercipiuntur, sunt inter se æquales: Illi vero, inter quos, & maximum parallelorum maiores maximorum circulorum circunferentiæ intercipiuntur, sunt minores.

SINT in sphæra paralleli circuli A B, C D, E F; sitque C D, maximus parallelorum. Inter circulum vero C D, & vtrumq; parallelorum A B, E F, intercipiantur æquales circunferentiæ A C, C E, maximi alicuius circuli A C E F D B. Dico parallelos A B, E F, æquales esse. Sint enim communes sectiones parallelorum, & circuli A C E F D B, rectæ A B, C D, E F, quæ parallelæ inter se erunt. Transeat autem primum circulus maximus A C E F D B, per polos parallelorum. Quo posito, secabit circulus A C E F D B, parallelos A B, C D, E F, bifariam, & ad angulos rectos; atq; adeo diametri erunt A B, C D, E F, parallelorum. Quoniam vero arcus A C, B D, æquales sunt, nec non & arcus C E, D F; poniturque A C, æqualis ipsi C E; erunt A C, B D, simul ipsis C E, D F, simul æquales: Sunt autem semicirculi æquales C A B D, C E F D: quia circuli maximi C D, A C E F D B, se mutuo bifariam diuidunt. Igitur reliqui arcus A B, E F, æquales erunt; ac propterea & rectæ A B, E F, hoc est, diametri circulorum A B, E F, æquales. Circuli ergo A B, E F, æquales sunt.

16. vndec.

15.1. huius.

10.1. huius.

11.1. huius.

29. tertij.



QVOD si arcus A C, maior ponatur arcu C E. Dico circulum A B, minorem esse circulo E F. Posita enim eadem constructione, & demonstratione, erunt vt prius, arcus A C, B D, æquales, nec non C E, D F, cum ergo A C, maior ponatur quam C E, erunt duo arcus A C, B D, simul, maiores duobus arcubus C E, D F, simul. Reliquus igitur A B, ex semicirculo C A B D, minor erit reliquo E F, ex semicirculo C E F D; ac propterea & recta A B, hoc est, diameter circuli A B, minor erit, quàm recta E F, hoc est, quàm diameter circuli E F, vt in scholio propos. 29. lib. 3. Eucl. à nobis est demonstratum, cum arcus A B, E F, semicirculo sint minores. Quare minor erit circulus A B, circulo E F. quod est propositum. 10. huius.

SED iam circulus maximus A C E F D B, non transeat per polos parallelorum A B, C D, E F; sintque rursus arcus A C, C E, æquales. Dico adhuc circulos A B, E F, esse æquales. Sint enim G, H, poli parallelorum A B, C D, E F, & per G, H, ac polos circuli maximi A C E F D B, circulus maximus describatur

G scribatur

10.1.huius. ſcribatur G I H K, qui circulum A C E F D B, ſecabit duobus in punctis, vt in
15.1.huius. I, K, ad angulos rectos. Quoniam igitur circulus maximus G I H K, per polos maximorum circulorum A C E F D B, C D, tranſit, ex conſtructione, trãſibunt hi viciſsim per illius polos. Puncta igitur C, D, vbi ſe duo hi circuli
Schol.15.1. huius. interſecant, poli erunt circuli G I H K; (alias non vterque circulus ACEFD, C D, per polos circuli G I H K, tranſiret) ac proinde ductæ rectę C I, C K, ex defin. poli, æquales erunt, ac propterea & arcus C I, C K, inter ſe erunt æquales. Sunt



28.tertij. autem & arcus A C, C E, per hypotheſim, æquales. Reliqui igitur arcus A I, E K, æquales quoque erunt. Rurſus quia ſemicirculus I G K; ſemicirculo GKH, æqualis eſt; (Diui-
11.1.huius. dunt enim ſe mutuo circuli A C E F D B, & G I H K, bifariam; ac proinde I G K, ſemicirculus eſt; Arcus autem G K H, ſemicirculus eſt propter G, H, polos parallelorum.) dempto communi arcu G K, erunt reliqui arcus G I, H K, æquales. Quoniam igitur in diametro circuli I C K D, ſegmenta circulorũ
11.1.huius. æqualia I G K, K H I, quæ ſemicirculi ſunt, vt oſtendimus, inſiſtunt ad angulos rectos, ſuntque arcus I G, K H, æquales, & non ſunt ſegmentorum ſemiſſes, ſiue quadrantes, cum G, H, non ſint poli circuli I C K D: Item æquales ſunt arcus I A, K E, vt demonſtratum eſt;
13.huius. erunt rectæ demiſſæ G A, H E, æquales. Quare circuli A B, E F, æquales inter ſe erunt.

Schol.21.1. huius. QVOD ſi arcus A C, maior ponatur arcu C E; Dico circulum A B, minorem eſſe circulo E F. Sumpto enim arcu C L, qui æqualis ſit arcui C E, erit, vt proxime demonſtratum eſt, parallelus per L, deſcriptus æqualis parallelo
6.1.huius E F: ſed parallelus A B, minor eſt, quàm parallelus per L, deſcriptus, cum ille longius à maximo parallelorum, atque adeo à centro ſphæræ, abſit. Minor igitur quoque eſt parallelus A B, quam E F. Quod eſt propoſitum. In ſphæra ergo paralleli circuli, inter quos & maximum parallelorum, &c. Quod erat demonſtrandum.

22. THEOR. 16. PROPOS. 18.

IN ſphæra circunferentiæ maximorum circulorum interceptæ inter maximum parallelorum, & duos alios circulos æquales, & parallelos, ſunt æquales: Illæ vero, quæ intercipiuntur inter maiorem parallelum, & maximum, ſunt minores.

IN ſphæra ſint duo paralleli æquales A B, C D, & maximus parallelorũ ſit E F: Hos autem omnes parallelos ſecet maximus alius circulus A C D B. Dico arcus A E, E C, nec non B F, F D, æquales eſſe. Si enim non ſunt æquales,

les, sit A E, maior. Erit igitur circulus A B, minor circulo C D. quod est contra hypothesim. Sunt ergo ęquales arcus AE, E C, nec non B F, F D. 17. huius.



QVOD si circulus A B, maior ponatur circulo C D; Dico arcum A E, minorem esse arcu E C. Si enim non est minor, erit vel æqualis, vel maior. Si æqualis, erunt circuli A B, C D, æquales: si maior, erit circulus A B, minor circulo CD, quorum vtrũque est cõtra hypothesim. Minor ergo est arcus A E, quam E C. Quamobrem In sphæra circunferenriæ maximorum circulorum interceptæ, &c. Quod ostendendũ erat. 17. huius. 17. huius.

THEOR. 17. PROPOS. 19. 23.

SI in sphæra maximus circulus parallelos aliquot circulos in sphærica superficie descriptos secet quidẽ, non tamen per polos, in partes inæquales eos secabit, excepto maximo parallelorum: De parallelorum autem segmentis in vno hemisphæriorum interceptis, ea quæ sunt inter maximum parallelorum, & polum conspicuum, sunt maiora semicirculo; reliqua vero, quæ sunt inter maximũ parallelorum, & polum occultum, sunt semicirculo minora: Æqualium denique ac parallelorum circulorum alterna segmenta sunt inter se æqualia.

IN sphęra maximus circulus A B C D, parallelos E F, G H, I K, secet in L, M; B, D; & O, P, non per polos, qui sint Q, R; & sit GH, parallelorum maximus, & Q, polus conspicuus, & R, occultus in hemisphęrio, quod supra circulum maximum A B C D, extat, & ad partes F, vergit. Dico circulum A B C D, parallelos non bifariam secare, excepto maximo G H; hunc enim bifariam secat: segmentum autem L F M, inter maximũ parallelum, & polum Q, conspicuum semicirculo esse maius, & O K P, minus. Si denique paralleli E F, IK, ęquales sint, alterna segmẽ 11. 1. huius





ta L F M, OIP, ęqualia esse. Per polum
20.1.huius. enim Q, & punctum B, circulus maximus describatur Q B R D; qui per reliquum polum R, transibit ex coroll. scholij propos. 10. lib. 1. huius; nec non per punctum D, cum vtrumque circulum G B H D,
11.1.huius. A B C D, bifariam diuidat; circuli autem hi secentur bifariam in B, D. Ex quo fit, circulum Q B R D, parallelum E F, secare supra circulum A B C D, at parallelum I K, infra eundem; vt in punctis S, T; & V, X. Quoniam vero circulus Q B R D, parallelos E F, I K, bifariam secat, erunt S F T, V K X, semicirculi; ac
15.1.huius. propterea arcus L F M, semicirculo maior, & O K P, semicirculo minor erit. Quod est propositum.

SINT iam paralleli E F, I K, ęquales. Dico alterna segmenta LFM, OIP, ęqualia inter se esse; nec non segmenta alterna L E M, OKP. Nam per polos
20.1.huius. parallelorũ, & polos circuli A B C D, describatur circulus maximus AGCH,
9.huius. qui diuidet segmenta L A M, O C P, bifariam. Aequales ergo sunt arcus AL, A M, inter se, & C O, C P, inter se. Et quoniam circulus maximus A G C H,
Schol.15.1. huius. transit per polos maximorum circulorum G H, A C; transibunt vicissim hi per illius polos. Puncta igitur B, D, poli sunt circuli A G C H; ac propte-
28.tertij. rea rectę B A, B C, æquales erunt, ex defin. poli; atque idcirco & arcus ipsi BA
18.huius. B C, æquales erunt: Sunt autem & arcus B L, B O, ęquales; propterea quòd æquales ponuntur paralleli E F, I K. Igitur & reliqui arcus A L, C O, ęquales erunt: Sunt autem arcus A L, C O, dimidij arcuum L A M, O C P; propterea quòd A L, ipsi A M, & C O, ipsi CP, ostensus est ęqualis. Aequales ergo
29.tertij. sunt quoque arcus L A M, O C P, ac proinde & rectę subtensę L M, O P,
28.tertij. æquales erunt. Quare ex circulis ęqualibus E F, I K, auferent æquales arcus, maiorem quidem L F M, maiori O I P, & minorem L E M, minori O K P, (hoc est alternum segmentum alterno segmento) ęqualem. Quod est propositum. Itaque si in sphera maximus circulus parallelos aliquot circulos in spherica superficie descriptos secet quidem, &c. Quod erat demonstrandum.

24. THEOREMA 18. PROPOS. 20.

SI in sphæra maximus circulus parallelos aliquot circulos secet, non tamen per polos; de parallelorum assumptis circumferentijs in vno hemisphærio, illæ quæ propius accedunt ad polũ conspicuum, erunt maiores, quàm vt similes esse possint illis, quæ ab eodem conspicuo polo longius absunt.

IN sphæ-

IN sphæra parallelos A B, C D, E F, secet in H, O; I, N; K, M, non tamen per polos, circulus maximus G H I K L M N O, sitque supra hemisphærium G B L, polus conspicuus P, occultus autem Q. Dico arcum O B H, maiorem esse, quàm vt similis sit arcui N D I, & N D I, maiorem, quàm vt similis sit arcui M F K. Per polum enim parallelorum P, & puncta I, N, describãtur duo circuli maximi P I, P N, secantes parallelum A B, supra circulũ G I L N, in R, S: eritque arcus R B S, arcui I D N, similis. Cum ergo arcus O B H, maior sit arcu R B S, maior quoque erit, quam vt similis sit arcui N D I. Eodem modo ostendemus arcum N D I, maiorem esse, quàm vt similis sit arcui M F K, si nimirum per polum P, & puncta K, M, duo alij circuli maximi describantur. Igitur si in sphæra maximus circulus parallelos aliquot, &c. Quod demonstrandum erat.



20.i.huius.

10. huius.

COROLLARIVM.

HINC fit, simpliciter arcum O B H, maiorem esse partem sui paralleli A B, quàm arcum N D I, sui paralleli, &c. quandoquidem arcus R B S, tanta pars est sui paralleli, quanta est arcus I D N, sui paralleli, cum hi arcus demonstrati sint esse similes, &c.

THEOREMA 19. PROPOS. 21. 25.

SI in sphæris æqualibus maximi circuli ad maximos circulos inclinentur, ille cuius polus sublimior supra planum subiectum est, inclinatior erit: illi vero circuli, quorum poli æqualiter distant à subiectis planis, æqualiter inclinantur.

IN sphæris æqualibus ABCD, E F G H, quarum centra I, K, ad circulos maximos A B C D, E F G H, quorum poli L, M, inclinẽtur duo circuli maximi BND, F O H, quorum poli, P, Q; sitque primum polus P, sublimior supra planum circuli A B C D, quàm polus Q, supra planũ circuli E F G H. Dico cir-



culum B N D, inclinatiorem esse ad circulum A B C D, quàm F O H,
20.1.huius ad E F G H. Describantur enim per L, P, polos, & per polos, M, Q, circuli maximi A N C, E O G; sitque communis sectio circulorum A B C D, B N D, recta B D; circulorum autem A B C D, A N C, recta A C; & circulorum B N D, A N C, recta N I: quæ omnes rectæ per centrum sphæræ I, tran-
6.1.huius. sibunt, cum circuli maximi per idem centrum sphæræ ducantur. Eodem ordine sint in alia sphæra communes sectiones circulorum, vt recta F H, circulorum E F G H, F O H; recta vero E G, circulorum E F G H, E O G; & recta O K, circulorum F O H, E O G: quæ omnes rectæ similiter per centrum sphæræ K, transibunt. Et quoniam circulus A N C, per polos circulorum
15.1.huius A B C D, B N D, transiens, eos secat ad angulos rectos; erit vicissim vterque circulus A B C D, B N D, ad circulum A N C, rectus, atque adeo & recta B D,
19.vndec. communis eorum sectio, ad eundem circulum A N C, perpendicularis erit. Quare anguli A I D, N I D, recti erunt, ex defin. 3. lib. 11. Eucl. ac proinde A I N, angulus erit inclinationis circuli B N D, ad circulum A B C D, ex defin. 6. lib. 11. Eucl. Eodem modo erit E K O, angulus inclinationis circuli F O H, ad circulũ E F G H. Quoniam vero P, polus circuli B N D, sublimior ponitur supra circulum A B C D, quàm polus Q, circuli F O H,



supra circulum E F G H, erit maior arcus C P, arcu G Q. Hi enim arcus, cum sint perpendiculares ad circulos A B C D, E F G H, altitudines polorum P, Q, supra ipsos circulos metiuntur. Sunt autem arcus P N, Q O, æquales, cum sint quadrantes. Poli enim P, Q, à circulis maximis B N D,
Coroll. 16. huius. F O H, per quadrantem absunt. Arcus ergo C N, maior erit arcu G O, ac prorea A N, reliquus ex semicirculo A N C, minor erit reliquo E O, ex semicir-
Schol. 27. tertij. culo E O G. Quare angulus A I N, angulo E K O, minor erit, ac proinde magis inclinatus erit circulus B N D, ad circulum A B C D, quam circulus F O H, ad circulum E F G H, vt in explicatione definitionis 7. lib. 11. Eucl. scripsimus.

SED sint iam arcus C P, G Q, æquales, hoc est, poli B, Q, æqualiter distent à planis circulorum A B C D, E F G H. Dico circulos B N D, F O H, æqualiter inclinari ad circulos A B C D, E F G H. Quoniam enim arcus C P, G Q, æquales sunt, si addantur quadrantes P N, Q O, erunt & arcus C H, G O, æquales; ac propterea & reliqui arcus A N, E O, ex semicirculis æqua-
27.tertij. les erunt. Anguli igitur A I N, E K O, æquales erunt, ac propterea, ex defin. 7. lib. 11. Eucl. similes, siue æquales erunt inclinationes circulorũ B N D, F O H, ad circulos A B C D, E F G H. Si igitur in sphæris æqualibus maximi circuli ad maximos circulos, &c. Quod erat ostendendum.

SCHO-

SCHOLIVM.

HINC fit, si circulorum maximorũ ad alios inclinatorum poli æqualiter distent à polis maximorum, ad quos inclinantur, inclinationes esse æquales: cuius vero polus vicinior sit polo eius, ad quem inclinantur, inclinationem esse maiorem. Nam si arcus L P, M Q, sint æquales, erunt & C P, G Q, æquales, cum quadrantes sint C L, G M; atque adeo poli P, Q, circulorum inclinatorum æqualiter distabunt à subiectis planis circulorum A B C D, E F G H. Quare, vt demonstratum est in hac propos. æquales erunt inclinationes circulorum B N D, F O H, ad circulos ABCD, EFGH. Si vero arcus L P, minor sit arcu M Q, erit reliquus arcus C P, ex quadrante maior arcu G Q, reliquo ex quadrante. Igitur, vt ostendimus in hac propos. maior erit inclinatio circuli B N D, ad circulum A B C D, quam circuli F O H, ad circulum E F G H. Coroll. 16. 1. huius.

CONVERSVM quoque huius Theorematis, & scholij demonstrabimus in hunc modum.

SI in sphæris æqualibus maximi circuli ad maximos circulos æqualiter inclinentur, erunt distantiæ polorum ipsorum à subiectis planis æquales: Illius verò, qui magis inclinatur, sublimior erit polus. Item distantiæ polorum illorum circulorum, qui æqualiter inclinantur, à polis circulorum, ad quos inclinantur, æquales erunt: Distantia vero poli illius circuli, qui magis inclinatur, à polo circuli, ad quem inclinatur, minor erit.

SI namque circuli B N D, F O H, ad circulos A B C D, E F G H, æqualiter inclinentur, erunt anguli A I N, E K O, æquales, ex defin 7 lib. 11. Eucl. ac propterea & arcus A N, E O, æquales erunt. Additis igitur quadrantibus N P, O Q, æquales erunt arcus A P, E Q; ac propterea & reliqui C P, G Q, ex semicirculis æquales erunt. 26. tertij.

SI verò circulus B N D, ad circulum A B C D, magis inclinetur, quam circulus F O H, ad circulum E F G H, erit minor angulus A I N, angulo E K O, vt in definitionem 7. lib. 11 Eucl scripsimus; ac propterea & arcus A H, minor erit arcu FO. Additis igitur quadrantibus N P, O Q, minor erit arcus A P, arcu EQ; ac proinde reliquus CP, ex semicirculo A N C, reliquo GQ, ex semicirculo FOG, maior erit. Scho. 26. tertij.

RVRSVS, si circuli æqualiter inclinentur, erunt arcus C P, G Q, vt proxime ostendimus, æquales. Cum ergo quadrantes sint C L, G M; erunt & arcus L P, M Q, æquales. Coroll. 16. 1. huius.

SI denique circulus B N D, magis inclinetur, erit ex proxime demostratis, arcus C P, maior arcu G Q. Reliquus igitur L P, ex quadrante C L, minor erit reliquo M Q, ex quadrante G M, &c.

DVO quoque alia Theoremata in alia versione hoc loco adiecta sunt, videlicet.

I.

CIRCVLI maximi tangentes eundem parallelum, æqualiter inclinantur ad maximum parallelorum: qui vero maiorem parallelum tangit, inclinatior est ad maximum parallelorum. Et circuli 26.

æqua-

æqualiter inclinati ad maximum parallelorum, tangunt eundem parallelum: Qui vero inclinatior est ad maximum parallelorum, maiorem parallelum tangit.



MAXIMI circuli A B, C B, tangant eundem parallelum A C, sitque parallelorum maximus D E. Dico circulos A B, C B, æqualiter inclinari ad circulum D E. Sit enim F, polus parallelorum, & per F, & contactus A, C, circuli maximi describantur F A D, F C E, qui per polos circulorum A B, C B, transibunt; atque adeo ipsos ad angulos rectos secabunt. Quare arcus A F, C F, metientur altitudinem poli F, circuli D E, supra circulos A B, C B; ac proinde cum arcus A F, C F; æquales sint, propterea quòd rectæ subtensæ F A, F C, æquales sunt, ex defin. poli, æqualiter inclinabitur circulus D E, ad circulos A B, C B; & hi vicissim ad illũ æqualiter inclinabuntur.

20.1.huius. 5.huius. 15.1.huius. 28.tertij. 21.huius.

TANGAT iam maximus circulus G H, maiorem parallelum G I. Dico maiorem esse inclinationem circuli G H, ad maximum parallelorum D E, quàm circuli A B. Descripto enim per F, & contactum G, circulo maximo F G E, metietur eodem modo, vt proxime demonstratum est, arcus F G, altitudinem poli F, circuli D E, supra circulum G H. Est autem arcus F G, maior arcu F A, quòd circulus G I, maior ponatur circulo A C, ac proinde à polo F, remotior. Igitur magis inclinabitur circulus D E, ad circulum G H, quàm ad circulum A B; & vicissim G H, magis ad D E, inclinabitur, quàm A B.

20.1.huius. 21.1.huius.

RVRSVS circuli maximi A B, C B, æqualiter inclinentur ad circulum D E, maximum parallelorum. Dico illos eundem parallelum tangere. Per F, enim polum parallelorum, & polos circulorum A B, C B, circuli maximi describantur F A D, F C E, secantes circulos A B, C B, in A, C. Et quoniam eos secant ad angulos rectos; metientur arcus F A, F C, altitudinem poli F, circuli D E, supra circulos A B, C B: sunt autem arcus F A, F C, æquales, quòd circuli A B, C B, æqualiter ponantur inclinari ad circulum D E, atque adeo & hi vicissim ad illos. Si igitur ex polo F, interuallo F A, vel F C, circulus describatur A C, tanget hic circulos A B, C B; propterea quod circulus A C, & circuli A B, C B, in eisdem punctis A, C, secant circulos maximos F D, F E, qui per eorum polos transeunt.

20.1.huius. 15.1.huius. Schol.21. huius. 3.huius.

IAM vero circulus maximus G H, magis inclinatus sit ad circulum D E. Dico illum tangere maiorem parallelum. Descripto enim per F, polum parallelorum, & per polum circuli G H, circulo maximo F G, qui circulum G H, secabit ad angulos rectos, nimirum in puncto G; metietur rursus arcus F G, altitudinem poli F, circuli D E, supra circulum G H: Est autem F G, maior quàm F A, quod magis inclinatus ponatur circulus G H, quàm A B. Igitur circulus ex polo F, & interuallo F G, descriptus maior erit circulo ex eodẽ polo F, & interuallo F A, descripto.

20.1.huius. 15.1.huius. Schol. 21. huius.

Cum

Cum ergo A B, A C, *se mutuo tangant in* A, *&* G H, G I, *se mutuo quoq; tangant in* G, *constat propositum.* 3.huius.

II.

CIRCVLI maximi ad maximum parallelorum æqualiter inclinati, polos habent in circunferentia eiusdem paralleli. Et circuli maximi, qui polos habent in circunferentia eiusdem paralleli, ad maximum parallelorum æqualiter inclinantur. 27.

CIRCVLI *maximi* A B, C D, *quorum poli* E, F, *æqualiter sint inclinati ad* D B, *maximum parallelorum. Dico eorum polos* E, F, *esse in eodem parallelo. Descriptis enim per* G, *polum parallelorum, & per* E, F, *polos circulorum* A B, C D, *maximis circulis* G E, G F, *qui recti erunt ad circulos* A B, C D; *erunt arcus* E G, F G, *distantiæ polorũ* E, F, *à polo* G: *sunt autem æquales, quòd circuli* A B, C D, *ponantur æqualiter inclinati ad circulum* D B. *Igitur circulus* E F, *ex polo* G, *& interuallo* G E, *vel* G F, *descriptus, parallelus est circulo* D B; *in quo quidem parallelo* E F, *circuli* A B, C D, *polos* E, F *habent. Quod est propositum.* 20.1.huius. 15.1.huius. Schol.21. huius. 2.huius.



SED *iam circuli maximi* A B, C D, *habeant polos* E, F, *in parallelo*, E F. *Dico eos æqualiter inclinari ad* D B, *maximum parallelorum. Erunt enim ex defin. poli, rectæ* G E, G F, *æquales, atque ob id arcus* E G, F G, *æquales quoque erunt. Cum ergo ijdem arcus sint distantiæ polorum* E, F, *à* G, *polo parallelorum; æqualiter inclinati erunt circuli* A B, C D, *ad* D B, *parallelorum maximum.* 28. tertij. Schol.21. huius.

SEQVITVR *iam in codice græco propositio* 22. *cuius demonstratio longissima est. Vnde quoniam in alia versione multo breuius, dilucidiusque eadem demonstratur, visum est hoc loco inserere alia tria theoremata alterius versionis, vt facilius deinde propositionem* 22. *huius libri demonstremus. Est autem primum* Theorema *secunda pars propos.* 1. *lib.* 3. Theodosii, *quamuis magis vniuersale sit, vt hic proponitur. Primum ergo* Theorema, *quod ordine tertium est in hoc scholio, ita se habet.*

III.

SI super diametro circuli constituatur rectum circuli segmentum, diuidatur autem segmenti insistẽtis circunferentia in duas inæquales partes, & à puncto sectionis ad circunferentiam circuli primi plurimæ rectæ lineæ cadant; erit recta subtendens minorem partem insistentis segmenti omnium minima: quæ autem maiorem subtendit, omnium maxima. Reliquarum vero propinquior maximæ remotiore semper maior est: At propinquior minimæ remotiore semper 28.

minor est. Duæ vero rectæ lineæ æquales ab eodem puncto in circunferentiam circuli cadunt, à maxima æqualiter distantes.

SVPER diametro A D, circuli A B C D E, constituatur rectum circuli segmentum A F D, quod secetur non bifariam in F, sitque minor pars A F, & maior D F: Cadant autem ex F, plurimæ rectæ lineæ F A, F I, F H, F B, F C, F D, F E. Dico omnium minimam esse F A; maximam vero F D: At F C, maiorem, quàm F B, &c. Et F I, minorem, quàm FH. &c. Denique duas F E, F C, æquales esse, si æqualiter distent
11. vndec. à maxima F D, hoc est, si arcus D E, D C, æquales sint. Demittatur enim ex F, in pla
38. vndec. num circuli A B C D E, perpendicularis F G, quæ in A D, communem sectionem cadet: eritque punctum G, vel inter puncta A D, vt in prima figura; (Id quod semper continget, quando segmentum A F D, semicirculo maius non est, quamuis idem accidere possit in segmento maiore.) vel idem quod A; vel extra circulum in diametro D A, protracta, vt posteriores duæ figuræ indicant. Id quod solum in segmento, quod semicirculo maius sit, contingere potest. In prima autem figura non erit G, centrum circuli A B C D E, quod G F, non diuidat bifariam segmentum A F D: Multò minus in posterioribus duabus figuris erit G, centrum circuli A B C D E. Iungantur rectæ G I, G H, G B, G C, G E; eruntque omnes anguli ad G, recti, ex defin. 3. lib. 11. Eucl.



7. vel 8. tertij. Quoniam vero rectarum ex G, in circulum A B C D E, cadentium in prima figura, & tertia minima est G A; In omnibus autem figuris maxima est G D; & G C, ma-
7. vel 15. vel 8. tertij. ior, quàm G B; atque G I, minor, quàm G H; duæ denique G C: G E, æquales: erunt propterea in prima, & tertia figura duo quadrata rectarum A G, G F, minora duo-
47. primi. bus quadratis rectarum I G, G F: quibus cum æqualia sint quadrata rectarum F A, F I; minus quoque erit quadratum ex F A, quadrato ex F I; atque adeo & recta F A, minor erit quàm F I. Eodem modo ostendemus F A, in eadem figura prima, & tertia minorem esse, quàm F H, &c. In secunda verò figura minor quoque est F A,
19. primi. quam F I, vel F H, &c. propterea quòd in triangulis A I F, A H F, (in quibus angulus A, rectus est, ex defin. 3. lib. 11. Eucl. ac proinde alij acuti.) recta F A, subtendit angulum acutum I, vel H, at recta F I, vel F H, &c. angulum rectum A. Minima ergo omnium est recta F A. Rursus in omnibus figuris erunt duo quadrata
47. primi. ex G D, G F, maiora duobus quadratis ex G C, G F: quibus cum æqualia sint quadrata ex F D, F C; maius quoque erit quadratum ex F D, quadrato ex F C; ac proinde & recta F D, maior erit, quam recta F C. Non aliter ostendemus, rectam F D,

maio-

maiorem esse, quàm F B, *&c. Maxima ergo omnium est recta* F D. *Præterea in omnibus figuris erunt duo quadrata ex* G C, G F, *maiora duobus quadratis ex* G B, G F: *quibus cum æqualia sint quadrata ex* F C, F B; *erit quoque quadratum ex* F C, *maius quadrato ex* F B; *ac proinde & recta* F C, *maior erit, quàm* F B. *Non aliter ostendemus, rectam* F C, *quæ propinquior est maximæ* F D, *maiorem esse quacunque alia remotiore, &c. Adhuc in omnibus figuris erunt duo quadrata ex* G I, G F, *minora duobus quadratis ex* G H, G F: *quibus cum æqualia sint quadrata ex* F I, F H; *erit quoque quadratum ex* F I, *minus quadrato ex* F H; *proptereaq; & recta* F I, *minor, quàm* F H, *erit. Eodemq; modo demonstrabimus, rectam* F I, *quæ propinquior est minimæ* F A, *minorem esse quacunque alia remotiore, &c. Postremo erunt duo quadrata ex* G C, G F, *æqualia duobus quadratis ex* G E, G F: *quibus cum æqualia sint quadrata ex* F C, F E, *æqualia quoque erunt quadrata ex* F C, F E; *atque adeò & rectæ* F C, F E, *æquales erunt. Constat ergo id, quod proponitur. Cæterum vt ex demonstratione patet, eam rectam dicimus propinquiorem maximæ* F D, *quæ cadit in punctum vicinius puncto* D: *Illam verò propinquiorem minimæ* F A, *quæ cadit in punctum propinquius puncto* A.

47. primi.

47. primi.

47. primi.

IIII.

SI in sphæræ superficie intra circuli cuiusque peripheriam punctum signetur præter eius polum, ab eo autem ad circuli circunferetiam plurimi arcus circulorum maximorum ducantur semicirculo minores; maximus est, qui per circuli polum ducitur; minimus autem, qui ei adiacet: Reliquorum verò propinquior maximo, remotiore semper maior est: Duo verò arcus ab eodem maximo, vel minimo æqualiter remoti inter se æquales sunt. 31.

SIT *in sphæra circulus* A B C D E, *cuius polus* F, *signeturq; in sphæræ superficie intra peripheriam circuli præter polum* F, *punctum quodlibet* G, *à quo plurimi arcus maximorum circulorum ad circunferentiam circuli* A B C D E, *ducantur, quorum* G A, *in vtramque partem eductus transeat per polum* F; *arcus verò* G B, *propinquior sit ipsi* G A, *quàm* G C; *duo denique* G B, G E, *æqualiter distent ab eodem* G A, *vel à* G D; *sintque omnes hi arcus semicirculo minores: quod tum demum erit, cum se mutuo non intersecabunt in alio puncto, quàm in* G. *Cum enim circuli maximi se mutuo diuidant bifariam, erunt arcus* G A, G E, *semicirculo minores, cum nondum se intersecent. Eademq; ratione erunt alij arcus ex* G, *exeuntes minores semicirculo, si se mutuo non intersecent. Quòd si vnus eorum, vt v. g. arcus* G A, *esset semicirculus, transirent omnes alij per punctum* A, *essentq; semicirculi quoque: Si vero* G A, *esset semicirculo maior, secarent eum omnes alij, antequam ad circunferentiam peruenirent, essentq; semicirculo maiores, vt patet. Vnde nihil colligi posset. Dico arcum* G A, *omnium esse maximum, &* G D, *minimum:* G B, *verò maiorem esse arcu* G C; *duos denique* G B, G E, *esse æquales. Quoniam enim arcus* A D, *secat circulum* A B C, *bifariam, & ad angulos rectos; erit recta subtensa* A D, *diameter*



11.1.huius.

15.1.huius.

meter circuli A B C; *& super ipsam rectum circuli segmentum* A G D, *constitutum, quod quidem inæqualiter secatur in* G, (*Nam quia, ex defin. poli, rectæ subtensæ*
28.tertij. F A, F D, *æquales sunt, erunt quoque arcus* F A, F D, *æquales; ac proinde arcus* A D, *sectus erit bifariam in* F, *atque ob id in* G, *non bifariam.*) *maiorq́; pars est* GA,
Schol.21. huius. *& minor* G D. *Igitur rectarum ductarum ex* G, *ad circunferentiam circuli* A B C, *maxima est* G A, *& minima* G D: G B, *verò maior quàm* G C; *&* G B, G E, *æqua-*
Schol.28. tertij. *les. Quare cum arcus, quibus subtenduntur, ponantur semicirculo minores, erit & arcus* G A, *maximus, &* G D, *minimus:* G B, *verò maior, quàm* G C; *Arcus de-*
28.tertij. *nique* G B, G E, *æquales.*

V.

32. SI in sphæræ superficie extra circuli cuiusque peripheriam punctum signetur præter eius polum, ab eo autem ad circuli circunferentiam plurimi arcus circulorum maximorum ducantur semicirculo minores, secantesq́; circunferentiam circuli; maximus est, qui per circuli polum ducitur; Reliquorum verò maximo propinquior, remotiore semper maior est: Minimus autem est ille, qui inter punctum, & circuli circunferentiam extra circulum interijcitur; Reliquorum verò minimo propinquior, remotiore semper minor est: Duo verò arcus ab eodem maximo, vel minimo æqualiter remoti inter se æquales sunt.

IN *sphæra circulus sit* A B C D E, *cuius polus* F, *signeturq́; in sphæræ superficie extra peripheriam circuli, punctum quodvis* G, *præter alterum polum circuli* A B C D E: *& à* G, *plurimi arcus maximorum circulorum ducantur ad circunferentiam circuli* A B C D E, *ipsam secantes; quorum* G D F A, *per polum* F, *transeat; arcus verò* G H B, *propinquior sit ipsi* G D F A, *quàm* G I C: *duo denique* G H B, G K E, *æqualiter distent ab eodem* G D F A, *vel à* G D, *sintque omnes hi arcus semicirculo minores: quod tum demum erit, cum se mutuo non intersecabunt in alio puncto, quàm in* G, *veluti in antecedenti theoremate est ostensum. Dico arcum* G A, *esse omnium maximum; &* G B, *maiorem quàm* G C: *Minimum autem esse* G D; *&* G H, *minorem quàm* G I: *Denique duos arcus* G B, G E,



35.1.huius. *Item* G H, G K, *æquales esse. Quoniam enim arcus* G A, *secat circulum* A B C D E, *bifariam, & ad angulos rectos; erit recta subtensa* A D, *diameter circuli* A B C D E, *& super ipsam rectum circuli segmentũ constitutum* D G, *quod initium sumens à* D, *per* G, *ducitur, donec in alio puncto* A, *circulum* A B C D E, *iterum secet: quod quidem non bifariam sectum est in* G, (*quòd* G, *non ponatur polus circuli* A B C D E, *in quo dictum segmentum bifariam diuiditur, vt in præcedenti theoremate ostensum est.*) *maiorque pars est à puncto* G, *vsque ad* A, *cum in ea sit reliquus polus,* (*alias arcus* G D A, *per vtrumque polum duceretur.*) *minor vero* D G. *Igitur rectarum ex* G,
Schol.21. huius. *ad circunferentiam circuli* A B C D E, *ductarum, maxima est* G A, *& minima* G D:

G B, *ve-*

GB, verò maior quàm GC; & GB, GE, æquales. Item GH, minor quàm GI; & GH GK, æquales. Quapropter cum arcubus ſemicirculo minoribus ſubtendantur, ex hypotheſi, erit quoque arcus GA, omnium maximus, & GD, minimus: at GB, maior, Schol. 28. tertij.
quàm GC; & GH, minor quàm GI: Denique GB, GE, nec non GH, GK, æquales inter ſe. Quod eſt propoſitum. 28. tertij.

PERSPICVVM *autem eſt in proximis duobus theorematibus arcus ſingulorũ ex G, ductos non debere eſſe maiores ſemicirculo: alias non auferrent maiores lineæ maiores arcus, & contra, vt conſtat ex ſcholio propoſ. 28. lib. 3. Eucl.*

THEOREMA 20. PROPOS. 22. 33.

SI in ſphæra maximus circulus vnum quidem circulum tangat, alium vero ei parallelum ſecet, poſitum inter ſphæræ centrum, & eum circulum, quem tangit maximus circulus, polus autem maximi circuli fuerit inter vtrumque parallelorum, deſcribanturque maximi circuli tangentes duorum parallelorum maiorem: hi omnes erunt inclinati ad maximum circulum, & eorum rectiſſimus quidem erit ille, cuius contactus erit in eo puncto, in quo maius ſegmentum paralleli maioris bifariam diuiditur; humillimus vero & maxime inclinatus, cuius contactus erit in eo puncto, in quo minus ſegmentum bifariã diuiditur: Reliquorum autem illi quidem, qui æqualiter diſtant ab alterutro eorum punctorum, in quibus ſegmenta bifariam ſecantur, ſunt ſimiliter inclinati: qui vero contactum remotiorem habet à puncto, in quo maius ſegmentum bifariam ſecatur, inclinatior perpetuo eſt, quam qui contactum eidem puncto propiorem habet. Poli denique maximorum circulorum erunt in vno circulo, qui & minor erit eo circulo,

quem

quem tangit maximus in principio circulus, & eidem parallelus erit.

IN sphæra maximus circulus A B C D, cuius polus E, tangat circulum A F, secet autem alium huic parallelum G B H D, positum inter sphæræ centrum, & circulum A F, ita vt circulus G B H D, maior sit, quam A F; sitque E, polus circuli maximi A B C D, inter vtrumque circulum A F, G B H D. Quoniam verò maximus circulus A B C D, secat circulum G B H D, non bifariam, cum non transeat per eius polos, hoc est, per polos parallelorum, erit segmentum B H D, ad polum conspicuum, qui sit I, mai⁹ semicirculo, & BGD, minus. Ducatur per E, polum circuli A B C D, & I, polũ parallelorũ circulus maximus G A C, qui secabit segmenta BGD, BHD, bifariam: puncta autem M, N, æqualiter distent ab H; & O, magis distet ab H, quàm N. Tangant autem parallelum G B H D, in punctis G, H, M, N, O, circuli maximi G L, H K, MP, N K, O L, qui quidem omnes inclinati erunt ad maximum circulum A B C D, cum non transeant per E, polum ipsius. Cum enim E, polus ponatur inter parallelos A F, G B H D, non poterunt circuli tangentes circulum G B H D, per E, transire, alias secarent ipsum, cum alter polus, per quem etiam necessario transeunt, sit extra dictos parallelos, vt patet.

19.huius.

20.1.huius.

9.huius.

14.huius.



Coroll. 10. 1.huius.

Dico circulum H K, esse rectißimum, hoc est, minime inclinatum, humilimum autem, id est, maximè inclinatum esse G L; At M P, N K, similiter inclinari, & O L, magis quàm N K: Polos denique horum circulorum tangentium esse in vno eodemque parallelo, qui minor sit, quàm A F. Quoniam enim E, polus est circuli A B C D, erit E A, quadrans maximi circuli; sumatur ei æqualis arcus H Q; eritque punctum Q, inter puncta A, & I, cum arcus H A, maior sit quadrante, (quòd E A, quadrans sit ostensus.) & H I, quadrante minor, propterea quòd arcus ex I, polo per H, vsque ad maximum parallelorum porrectus sit quadrans. Si igitur ex polo I, ad interuallum I Q, circulus describatur Q T R, erit is ipsi AF, parallelus, & eo minor. In hoc ergo parallelo Q T R, dico esse polos omnium circulorum parallelum G B H D, tangentium. Per polum enim I, & puncta contactuum describantur circuli maximi M I S, N I T, O I V; qui transibunt quoque per polos tangentium. Quia vero arcus H I, M I, N I, O I, G I, æquales sunt, quòd ex definitione poli, rectæ illis arcubus subtensæ æquales sint, eademque ratione & arcus I Q, I S, I T, I V, I R, æquales sunt; erunt toti arcus H Q, M S, N T, O V, G R, æqua-

Coroll. 16. 1.huius.

Coroll. 16. 1. huius.

2. huius.

20.1.huius

5.huius.

28. tertij.

æquales; atque adeò cum HQ, sit quadrans, omnes illi arcus quadrantes erunt. Quare cum demonstratum sit eos transire per polos tangentium, erunt puncta Q, S, T, V, R, poli circulorum tangentium; quæ quidem omnia sunt in parallelo QTR, quod vltimo loco proponebatur demonstrandum. Corol. 16. 1. huius.
Iam verò quia arcus circulorum maximorũ ex E, polo circuli maximi ABCD, ad Q, S, T, V, R, polos tangentium ducti metiuntur distantias poli E, à polis tangentium; estque omnium maximus EQ; minimus autem ER; æquales verò ES, ET; & denique ET, maior, quàm EV; quòd omnes hi arcus sint semicirculo minores; (est enim EQ, quadrante EA, minor; atque adeo reliqui eum non secabunt citra punctum Q, ideoque semicirculo minores erunt.) erit circulus HK, minimè inclinatus ad circulum maximum ABCD; & GL, maximè; at MP, NK, æqualiter, seu similiter; & OL, magis quàm NK, quod primo loco demonstrandum proponebatur. Quocirca si in sphæra maximus circulus. &c. Quod erat demonstrandum. Schol. 21. huius. Schol. 21. huius.

THEOR. 21. PROPOS. 23. 34.

IISDEM positis, si circunferẽtiæ circulorum tangentium à contactibus ad nodos sint æquales; prædicti circuli maximi similiter inclinati erũt.

RVRSVS in sphæra maximus circulus ABCD, cuius polus E, tangat circulum AF, secet autem alium huic parallelum GBHD, positum inter sphæræ centrum, & circulum AF, ita vt GBHD, maior sit, quàm AF; sitque E, polus maximi circuli ABCD, inter vtrumque circulum AF, GBHD: Tangãt deinde in punctis M, N, circuli maximi MO, NP, circulũ GBHD, secantes ABCD, in O, P, nodis, sintque arcus MO, NP, æquales. Dico circulos MO, NP, similiter inclinari ad maximum circulum ABCD. Ducatur enim per E, polum circuli ABCD, & I, polum parallelorum circulus maximus GAC: Itẽ per I, polum parallelorũ, & puncta contactuum circuli maximi IM, IN, qui per polos quoque circulorum tangentium transibũt; atque adeo ipsos ad angulos rectos secabunt. 20. 1. huius. 5. huius. 15. 1. huius.



Quoniam igitur segmenta circulorum æqualia, nempe semicirculi, qui tendunt ex M, & N, per I, donec iterum secent circulos tangentes MO, NP, insistunt diametris circulorum MO, NP, (est enim communis sectio circulorum

11.1.huius. lorum maximorum I M, MO, diameter vtriusque, cum se mutuo secent bifariam) ad angulos rectos, & diuiduntur non bifariam in I, quod I, polus parallelorum non sit polus tangentium; ponunturque arcus M O, N P, æquales;
12.1.huius. erunt ductæ rectæ I O, I B, æquales. Si igitur ex I, polo parallelus describatur O K, ad interuallum I O, transibit is quoque per P. Et quia circulus maximus I M, transiens per polos circulorum M O, O Q, se secantium in
9.huius. O, Q, secat eorum segmenta bifariam, æquales erunt arcus M O, M Q, & S O, S Q; Eodemque argumento æquales erunt arcus N P, N R, & T P, T R; nec non K O, K P, & C O, C P; propterea quòd circulus maximus IkC,
9.huius. transiens per polos circulorum O K P, O C P, secat eorum segmenta bifariam in K, & C. Cum ergo arcus M O, N P, ponantur æquales, erunt & toti O M Q, P N R, quorum ipsi dimidij sunt, æqua-
29.tertij. les; atque adeo & rectæ subtensę O Q, PR, æqua-
28.tertij. les erunt. Igitur & arcus O S Q, P T R, ęquales erunt; ac proinde & eorum dimidij O S, P T, æquales erunt. Sunt autem & toti K O, K P, ostensi ęquales. Reliqui ergo KS, KT, æquales erunt; atque adeo, cum sint vnius eiusdemque circuli, similes in-
10.huius. ter se erunt. Quia verò arcubus K S, K T, similes sunt arcus H M, H N; erũt quoq; æquales arcus HM, H N. Itaque cum seg-
9.huius. mentum B H D, bifariam



secetur in H, sintque ęquales arcus H M, H N; erunt circuli M O, N P, similiter inclinati ad circulum A B C D. Quare ijsdem positis, si circunferentiæ à contactibus, &c. Quod erat demonstrandum.

FINIS LIBRI II. THEODOSII.

THEO-

THEODOSII SPHAERICORVM LIBER TERTIVS.

THEOREMA 1. PROPOS. 1.

SI recta linea circulum in partes inæquales secet, super qua constituatur rectum circuli segmentum, quod non sit maius semicirculo; diuidatur autem segmenti insistentis circunferentia in duas inæquales partes: Recta linea subtendens earum minorem, minima est linearum rectarum ductarum ab eodem puncto ad minorem partem circunferentiæ primi circuli: Rectarum verò ductarum ab eo ipso puncto ad circunferentiam interceptam inter illam minimam rectam, & diametrum, in quam cadit perpendicularis deducta ab illo puncto semper minimæ propior remotiore minor est. Omnium autem maxima est ea, quæ ab illo eodē puncto ducitur ad extremitatem eiusdem diametri: Item recta subtendens maiorem circunferentiam segmenti insistentis, minima est earum, quæ cadunt in circunferentiam interceptam inter ipsam, & diametrum, semperque huic propior remo tiore minor est. Si verò recta linea subiectum circulum secans sit eius diameter, & reliqua omnia eadem sint, vt supra; recta linea subtendens minorem partem circunferentiæ segmenti insistentis, minima est rectarum ductarum ab illo eodem puncto ad primi, & subiecti circuli circunferentiam; ea verò, quæ maiorem partem circunferentiæ segmenti insistentis subtendit, maxima est.



RECTA linea AB, secet circulum A C B D, cuius centrum E, in partes
inæquales, quarum maior sit A CB: Insistat
autem ipsi A B, rectum circuli segmentum
AFB, semicirculo nō maius, quod in partes in-
æquales diuidatur in F; sitque minor pars BF:
11. vndec. Ex F, demittatur in circulum A C B D, per-
38. vndec. pendicularis F L, quæ in A B, communem se-
ctionem cadet: Per E, autem, & L, diameter
agatur CD; & ex F, in circunferentiam ACB,
maioris segmenti circuli A C B D, plurimę
rectæ cadāt F B, F G, F H, F C, F A, FI, F K.
Dico omnium minimam esse FB, & FG, mino-
rem, quàm F H; Omnium autem maximam es-
se F C. Item F A, esse omnium minimam, quæ
ex F, in portionem A C, cadent; & F I, minorem, quàm F K. Ducantur ex L,
lineæ rectę L G, L H, L I, L K; eruntque ex defin. 3. lib. 11. Eucl. omnes an-
guli ad L, quos recta F L, facit, recti. Quoniam igitur recta L D, est omnium
7. tertij. rectarum ex L, cadentium minima, & L B, minor, quàm L G, L H, L C, L K,
L I, L A; erunt quadrata ex F L, L B, minora quadratis ex F L, L G: Est au-
47. primi. tem tam quadratum ex F B, quadratis ex F L, L B, quàm quadratum ex F G,
quadratis ex F L, LG, æquale. Igitur erit quoq; quadratum ex F B, minus qua-
drato ex FG; atq; adeo & recta FB, minor erit quàm FG. Nō aliter ostēdemus,
rectā F B, minorē esse, quàm F H, FC, F K, F I, FA. Quare FB, omniū minima est.
7. tertij. RVRSVS quia L G, minor est, quàm L H, erunt quadrata ex F L, L G,
minora quadratis ex F L, L H: Est autem tam quadratum ex F G, quadratis
47. primi. ex F L, L G, quàm quadratum ex F H, quadratis ex F L, L H, æquale. Igitur
& quadratum ex F G, quadrato ex F H, minus erit; atq; adeo & recta F G, mi-
nor erit, quàm recta F H.
7. tertij. AMPLIVS quia L C, omnium ex L, cadentium maxima est; erunt qua-
drata ex F L, L C, maiora quadratis ex F L, L K: Est autem tam quadratum
47. primi. ex F C, quadratis ex F L, L C, quàm quadratum ex F k, quadratis ex FL, Lk,
æquale. Igitur & quadratum ex F C, maius erit quadrato ex F K; ac proinde &
recta F C, maior erit, quàm recta F K. Non aliter demonstrabimus, rectam FC,
maiorem esse, quàm F I, & F A. Est ergo recta F C, omnium maxima.

ITEM

ITEM quia L A, minor eſt, quàm L I, L k, L C; erunt quadrata ex FL, L A, minora quadratis ex F L, L I: Eſt autem tam quadratum ex F A, quadratis ex F L, L A, quam quadratum ex F I, quadratis ex F L, L I, æquale. Igitur & quadratum ex F A, minus erit quadrato ex F I; atque ob id recta quoque F A, minor erit, quàm recta FI. Eodem modo oſtendemus, rectam F A, maiorem eſſe, quàm F K, F C. Eſt ergo F A, omnium rectarum ex F, in arcum A C, cadentium minima. 7. tertij. 47. primi.

DENIQVE quia L I, minor eſt, quàm L K; erunt quadrata ex F L, LI, minora quadratis ex F L, L K: Eſt autem tam quadratum ex F I, quadratis ex F L, L I, quàm quadratum ex F K, quadratis ex F L, LK, æquale. Igitur & quadratum ex F I, minus erit quadrato ex F K, ideoque & recta F I, minor erit, quàm recta F K. 7. tertij. 47. primi.

QVOD ſi recta A B, ſecet circulum A C B D, bifariam, ita vt ſit eius diameter, demonſtratum à nobis iam eſt theoremate tertio ſcholij propoſ. 21. præcedentis libri, rectam F B, minimam eſſe, & F A, maximam. Vnde non eſt neceſſe, idem hoc loco demonſtrare. Immo plura ibi ſunt demonſtrata, quàm hic proponuntur. Si recta igitur linea circulum in partes inæquales ſecet, &c. Quod oſtendendum erat.

THEOREMA 2. PROPOS. 2.

30. Secundi huius.

SI recta linea ſecans circulum ſegmentum auferat, quod ſemicirculo minus non ſit, ſuper ipſa autem recta linea ſtatuatur aliud circuli ſegmentum, quod & ſemicirculo maius non ſit, & inclinatum ſit ad alterum ſegmentum, quod ſemicirculo maius non eſt; diuidatur vero inſiſtentis ſegmenti circunferentia in partes inæquales: Recta linea ſubtendens minorem circunferentiæ partem minima eſt rectarum omnium ductarum ab illo puncto, à quo ipſa ducitur, ad ſubiecti circuli circunferentiam illam, quæ ſemicirculo minor non eſt: & reliqua omnia, quæ in præcedẽti, ſequuntur.

RECTA linea A B, à circulo A C B D, cuius centrum E, auferat ſegmentum A C B, ſemicirculo non minus, ſed vel ſemicirculo æquale, vt in prima figura, vel maius, vt in alijs figuris; & ſuper recta A B, ſtatuatur ſegmentum aliud circuli A F B, ſemicirculo non maius, ſed vel ſemicirculo æquale, vt in poſtrema trium figurarum, vel minus, vt in primis duabus figuris, & inclinatum ad ſegmentum alterum A D B, quod ſemicirculo maius non eſt, cum A C B, vel ſemicirculo æquale, vel maius ponatur. Diuidatur quoque circunferentia A F B, in F, in partes inæquales, & sit F B, minor. Ex F, demittatur in planum circuli A C B D, perpendicularis F L, quæ ad partes segmenti A D B, cadet, propterea quod segmentum A F B, ad segmentum A D C, est inclinatum, ita vt punctum L, sit vel intra segmentum A D B, vel extra, vel certe in ipsa circunferentia A D B. Per centrum autem E, & punctum L, diameter agatur C D, & ex F, in circunferentiam A C B, plurimæ rectæ cadant F B, F G, &c. Dico omnium minimam esse F B; & F G, minorem quàm F H: omnium autem maximam esse F C: Item F A, esse omnium minimam, quæ ex F, in circunferentiam A C, cadunt; & F I, minorem quàm F K. Ducantur ex L, rectæ lineæ L B, L G, L H, L A, L I, L K, eruntque omnes anguli ad L, quos facit perpendicularis F L, recti, ex defin. 3. lib. 11. Eucl.



7. vel 8. vel 15. tertii. Quoniam igitur recta L D, est omnium minima, (hæc autem linea nihil est omnino in ea figura, vbi punctum L, cadit in D.) & L B, minor, quàm L G, L H, L C, L K, L I, L A, & omnium maxima L C, &c. demonstrabimus, vt in præcedenti, rectam F B, esse omnium minimam, & F G, minorem quàm F H: Item F C, omnium maximam, & F A, minimam omnium ex F, in circunferentiam A C, cadentium; & F I, minorem quàm F K. Si igitur recta linea secans circulum, &c. Quod erat ostendendum.

7. vel 8. vel 15. tertij. & 47. primi.

1. THEOREMA 3. PROPOS. 3.

SI in sphæra duo circuli maximi se mutuo secent, ab eorum verò vtroque æquales circunferentiæ sumantur vtrinque à puncto, in quo se secant: Rectæ lineæ, quæ extrema puncta circunferentiarum connectunt ad easdem partes, æquales inter se sunt.

IN sphæra duo circuli maximi A B C, D B E, se mutuo secent in B, & in vno quoque vtrinque à B, sumantur duo arcus æquales B A, B C, & BD, BE, iungan-

iunganturque rectæ A D, C E. Dico rectas A D, C E, æquales esse. Polo enim B, & interuallo B A, circulus describatur, qui etiam per C, transibit, ob æqualitatem arcuum B A, B C. Aut igitur idem circulus transit etiam per C, atque adeo & per E, ob æqualitatem arcuum B D, B E, aut non. Transeat primũ per D, & E, vt in priori figura; sintque communes sectiones circulorum maximorũ, & circuli ADCE, rectæ A C, D E. Et quoniã circuli maximi ABC, D B E, per B, polum circuli A D C E, transeuntes secant ipsum bifariã, 15.1.huius.



erunt A C, D E, diametri circuli A D C E, & F, centrum; ac proinde rectæ F A, F D, rectis F C, F E, æquales. Cum ergo & angulos æquales comprehendant ad verticem F; erunt & rectæ A D, C E, æquales. 15.primi. 4.primi.

SED non transeat iam circulus ex B, polo descriptus ad interuallum BA, per D, sed vltra punctum D, atque adeò & vltra punctum E, excurrat. Producantur arcus B D, B E, ad G, H. Quoniam igitur arcus B G, B H, æquales sunt, quòd ex defin. poli, rectæ subtensæ B G, B H, æquales sint: Sunt autem & B D, B E, ex hypothesi, æquales; erunt & reliqui D G, E H, æquales. Et quoniam rectæ ductæ A G, C H, æquales sunt, vt proxime demonstratum est in prima parte huius propos. erunt & arcus A G, C H, æquales. Quia igitur circulus maximus G B H, per polum B, ductus secat circulum A G C H, bifariam, & ad angulos rectos, insistet segmentum G H, rectum diametro circuli A G C H. Cum ergo arcus D G, E H, æquales sint, & minores dimidio arcu G D H; sintque arcus G A, H C, ostensi quoque æquales; erunt rectę D A, E C, inter se æquales. Si igitur in sphæra duo maximi circuli se mutuo secent, &c. Quod erat demonstrandum. 28.tertij. 28.tertij. 15.1.huius. 12.1.huius.

THEOREMA 4. PROPOS. 4. 2.

SI in sphæra duo maximi circuli se mutuo secent, ab eorumque altero æquales circunferentiæ sumantur vtrinque à puncto, in quo se intersecant, & per puncta terminantia æquales circunferentias ducantur duo plana parallela, quorum alterum conueniat cum communi sectione ipsorum circulorum extra sphæram versus prædictum punctum; sit vero vna illarum æqualium circunferentiarum maior vtralibet circunferentiarum in altero maximo circulo interceptarum inter prædictũ punctum, & vtrumque planorum parallelorum: Ea circunferentia, quæ est inter illud punctum, & planum, quod non conuenit cum communi sectione ipsorum circulorum, maior est, quam ea eiusdem circuli circunferentia, quæ est inter idem punctum, & planum, quod conuenit cum communi sectione circulorum.

IN sphæra duo maximi circuli A B C, D B E, se mutuo secent in B, & in A B C, sumantur arcus B A, B C, æquales, & per A, C, puncta duo plana pa-
1.1. huius. rallela inter se ducantur facientia in superficie sphæræ circunferentias circulorum A F G, C H I, quæ secent circunferentiam D B E, in punctis F, H; sit verò arcus B A, vel B C, maior vtralibet circunferentiarum B F, B H, inter punctum B, & plana parallela interceptarum. Ex polo deinde B, & interuallo B A, vel B C, circulus describatur A D C E, qui puncta F, H, transcendet, propterea quòd arcus B F, B H, minores ponuntur arcubus B A, B C. Producantur arcus B F, B H, vsque ad circunferentiam circuli A D C E, ad puncta D, E; sintque communes sectiones circuli A D C E, & circulorum A F G, C H I, rectæ A G, C I; communes autem sectiones circulorum maximorum, & circuli A D C E, rectæ A C, D E; quæ ipsius diametri erunt, atque adeo eiusdem centrum K, cum circuli maximi ipsum per B, polum bifariam secent: Secet au-
15.1.huius, tem recta D E, rectas A G, C I, in M, N. Sit quoque maximorum circulorum communis sectio K B, recta, cum qua producta ad partes B, conueniat planum A F G, productum extra sphæram in puncto L. Quo posito, non conueniet alterum planum C H I, cum recta K B, ad partes B, ne cum sibi parallelo plano A F G, conueniat. Dico arcum B H, maiorem esse arcu B F. Sint enim rectæ F M, H N, communes sectiones circuli D B E, & circulorum A F G, C H I. Et quoniam planum A F C, conuenit productum cum recta K B, producta in L, erit L, punctum tam in plano D B E, quàm in plano A F G; atque adeo in cõmuni eorum sectione, nempe in recta M F. Producta ergo M F, coibit cum K B, producta in L. Quoniam verò planum D B E, secat plana pa-



16.vndec. rallela A F G, C H I, erunt sectiones factæ M F, N H, parallelæ. Rursus quia
16.vndec. planum A D C E, eadem plana parallela secat, erunt quoque sectiones factæ
29.primi. A G, C I, parallelæ. Anguli ergo alterni K A M, K C N, æquales sunt:

sunt

ſunt autem & anguli A K M, C K N, ad verticem æquales, & latera K A, KC, 15.primi.
æqualia, cum ſint ſemidiametri circuli A D C E. Igitur & latera K M, K N, 26.primi.
æqualia erunt: ſunt autem & ſemidiametri K D, K E, æquales. Reliquæ ergo
rectæ D M, E N, æquales erunt. Rurſus quoniam recta B K, ex B, polo circuli
A D C E, ad eiuſdem centrum K, ducta, recta eſt ad planum circuli, erit an- Schol. 8. 1. huius.
gulus M K L, in triangulo K L M, rectus, ex defin. 3. lib. 11. Eucl. Angulus igi-
tur K M L, acutus erit. Cum ergo duo anguli F M N, H N M, duobus ſint 17.primi. 29.primi.
rectis æquales; erit angulus H N M, obtuſus. Quare, vt mox, lemmate ſequen
ti oſtendemus, arcus E H, minor erit, arcu D F; atque adeo, cum æquales
ſint arcus B D, B E, quòd rectæ ſubtenſæ B D, B E, ex defin. poli, ſint æqua- 28.tertij.
les, maior erit arcus B H, arcu B F. Si igitur in ſphæra duo maximi circuli ſe
mutuo ſecent, &c. Quod erat demonſtrandum.

LEMMA.

QVOD autem arcus EH, arcu DF, minor ſit, facile demonſtrabimus, hoc propoſito theoremate prius demonſtrato.

SI arcui circuli recta ſubtendatur, ad quam ex arcu duæ perpendiculares demittantur auferentes verſus terminos arcus duos arcus æquales; auferent eædem duas rectas ex recta ſubtenſa æquales. Et ſi duæ perpendiculares ad rectam ſubtenſam ducantur auferẽtes duas rectas æquales; auferent eædem duos arcus æquales.

ARCVI circuli ABCD, ſubtendatur recta AD, ad quam ex arcu demittantur duæ perpendiculares BE, CF, auferentes duos arcus AB, DC, æquales. Dico eaſdem auferre æquales rectas AE, DF. Ducta enim recta BC, erunt AD, BC, parallelæ, Schol. 27. tertij.
ob æqualitatem arcuum AB, DC: ſunt autem & BE, CF, parallelæ. Parallelogrammum igitur eſt BEFC, atque adeò 28.primi.



& rectæ BE, CF, æquales. Et quoniam æqualibus arcubus AB, DC, re- 34.primi.
ctæ ſubtenſæ AB, DC, æquales ſunt; erunt quadrata ex AB, DC, æqua- 29. tertij.
lia. Cum ergo tam illud æquale ſit quadratis ex AE, BE, quàm hoc qua- 47.primi
dratis ex DF, CF; ſi auferantur æqualia quadrata rectarum BE, CF, æqualia erunt quadrata rectarum AE, DF; ac proinde & rectæ AE, DF, æquales erunt. quod primo loco proponebatur.

SED iam perpendiculares BE, CF, auferant æquales rectas AE, DF. Dico eaſdem auferre æquales arcus AB, DC. Si enim non ſunt æquales, ſit, ſi fieri poteſt, maior arcus AB, à quo æqualis abſcindatur AG, & ex G, ad AD, perpendicularis ducatur GH. Erit igitur, vt proxime demonſtratum eſt, recta AH, rectæ DF, æqualis, atque adeò & rectæ AE, pars toti: Quod eſt abſurdum. Non eſt ergo arcus AB, maior arcu DC: eademque ratione neque minor erit. Aequalis ergo eſt. quod

quod est propositum. Ex his constat, arcum H E, in figura propositionis minorem esse arcu D F. Nam cum angulus F M K, acutus sit, & H N K, obtusus, si ex M, N, ad D E, perpẽdiculares ducerentur, caderent hæ in arcus D F, B H, auferrentque, vt in proximo lemmate ostendimus, arcus æquales. Quare arcus H E, minor est arcu D F.

5. THEOR. 5. PROPOS. 5.

SI in circunferentia maximi circuli sit polus parallelorum, huncque maximum circulum secet ad angulos rectos duo alij maximi circuli, quorũ alter sit vnus parallelorum, alter verò obliquus sit ad parallelos; ab hoc autem obliquo circulo æquales circunferentiæ sumantur deinceps ad eandem partem maximi parallelorum, perque illa puncta terminantia æquales circunferentias describantur paralleli circuli: Circunferentiæ maximi illius circuli primo positi inter parallelos interceptæ inæquales erunt, semperque ea, quæ propior fuerit maximo parallelorum, remotiore maior erit.

IN circunferentia maximi circuli A B C D, sit A, polus parallelorum, eumq́ue secent duo maximi circuli B D, E C, ad angulos rectos, quorum B D, sit maximus parallelorum, & E C, ad parallelos obliquus: & per F, G, H, puncta, quæ ex obliquo circulo arcus æquales auferunt F G, G H, describantur paralleli I K, L M, N O, ex



20.1.huius polo A. Dico arcum I L, maiorẽ esse arcu L N. Per polum enim A, & punctum G, circulus maximus describatur A P, secans parallelos in P, Q. Quoniam igitur in sphæræ superficie intra periphæriam circuli I K, punctum G, signatum est præter polum A, & ex G, duo arcus G P, G F, circulorum maximorum cadunt in circunferentiam circuli I K; erit arcus G P, omnium minimus; atque adeo minor quam G F: quod arcus G P, G F, minores sint semicirculo, cum se non intersecent, antequam parallelum I K, diuidunt. Rursus quia in superficie sphæræ extra periphæriam circuli N O, punctum G, signatum est præter eius polum; erit

Schol. 21. 2. huius.

erit & arcus G Q, omnium ex G, cadentium minimus, hoc est, minor, quàm G H: quod arcus G Q, G H, minores sint semicirculo, cum se non intersecent, antequàm parallelo N O, occurrant. Vterque igitur arcus F G, G H, vtroque G P, G Q, maior est. Et quoniam recta per G, & centrum sphæræ ducta, id est, communis sectio circulorum maximorum A P, E C, secant paralleli I K, planum intra sphæram; (non enim recta illa ad centrum sphæræ perueniet, hoc est, ad centrum maximi circuli B D, nisi prius planum circuli I K, secet; quòd parallelus I K, positus sit inter maximum parallelorum, & punctum G.) secabit eadem recta planum paralleli N O, extra sphæram, si recta illa, & planum circuli ad partes G, producantur: propterea quòd punctum G, positum est inter maximum parallelorum, & parallelum N O. Quoniam igitur duo circuli maximi A P, E C, se mutuo secant in G, puncto, & à circulo E C, vtrinque à puncto G, duo arcus æquales sumpti sunt G F, G H, & per F, H, plana parallela circulorum I K, N O, ducta, quorum N O, occurrit communi sectioni circulorum maximorum A P, E C, extra sphæram, vt ostensum est, estque vterque arcuum G F, G H, maior vtroque arcuum G P, G Q, erit arcus G P, maior arcu G Q: Est autem arcus G P, arcui I L, & arcus G Q, arcui L N, æqualis. Igitur & arcus I L, arcu L N, maior erit. Quare si in circunferentia maximi circuli sit polus, &c. Quod demonstrandum erat.

Schol. 21. & huius.

4. huius.

10. 2. huius.

THEOREMA 6. PROPOS. 6. 4.

SI in circunferentia maximi circuli sit polus parallelorum, huncq; maximum circulum ad angulos rectos secent duo alij circuli maximi, quorum alter sit vnus parallelorũ, alter verò obliquus sit ad parallelos; sumantur autem ab obliquo circulo æquales circunferentiæ deinceps ad easdem partes maximi illius paralleli, & per puncta terminantia æquales circũferentias, perq; polum, describantur maximi circuli: Hi circunferentias inæquales intercipient de maximo parallelorum, quarum propior maximo circulo primo posito semper erit remotiore maior.

IN circunferentia maximi circuli A B C D, sit A, polus parallelorum, eumque secent duo maximi circuli B D, E C, ad angulos rectos, quorum B D, sit parallelorum maximus, at E C, ad parallelos obliquus, ex quo sumantur

arcus æquales F G, G H; & per puncta F, G, H, perque polum A, circuli ma-
20.1.huius ximi describantur A I, A K, A L, secantes B D, in I, K, L. Dico arcum K L,
maiorem esse arcu I K. Describantur enim per eadem puncta F, G, H, paral-



leli M N, O P, Q R, secantes A K,
5.huius. in V, X . Erit igitur arcus MO,
maior arcu O Q; atque adeo, cũ
10.2.huius arcui MO, arcus VG;& arcui OQ,
arcus G X, sit æqualis; erit & V G,
maior, quàm G X . Sumatur arcus
G Y, ipsi G X, æqualis, & per Y,
parallelus describatur S T, secans
circulum A I, in Z . Quoniam igi-
tur arcus G Y, G X, æquales sunt,
nec non G F, G H, erunt ductæ re-
ctæ H X, Y F, æquales. Et quia cir-
3.huius. culus maximus A I, per polum A,
15.1.huius. secat circulum S T, ad angulos re-
ctos, & bifariam, erit communis
sectio, nempe recta ex Z, ad alte-
ram sectionem ducta diameter circuli S T, super quam insistit semicirculus
rectus ad circulum AI, nempe semicirculus à puncto Z, incipiens, & per S, vsq;
ad alteram sectionem progrediens, (hoc est, segmentum circuli, quod semicir-
culo maius non est.) aufertque recta illa ex circulo A I, segmentum semicir-
culo maius, quod nimirum à puncto Z, per I, vsque ad alteram sectionem cum
circulo S T, ducitur, atque est Y Z, arcus insistentis semicirculi quadrante
10.2.huius minor, (propterea quòd arcus I k, qui illi est similis, quadrante quoque mi-
nor est. quod ita ostendi potest. Quoniam circuli maximi B D, E C, recti sunt
ad maximum circulum A B C D, erit hic vicissim ad illos rectos, ac proinde
13.1huius. per illorum polos transibit. Quare eorum segmenta, quæ semicirculi sunt, bi-
9.2.huius. fariam secabit, id est, in quadrantes. Quadrans ergo est arcus circuli B D, po-
situs inter B, & illud punctum, vbi se mutuo secant circuli B D, E C, ideoque
I K, quadrante minor. Nam circulus A k, cadit inter puncta B, I, cum circu-
lum A B C D, secet in altero polo.) atque adeo reliquus arcus ex semicirculo
insistente interceptus inter Y, & altetam sectionem cum circulo AI, quadran-
1.huius. te maior; erit recta Y Z, omnium rectarum ex Y, cadẽtium in circunferentiam
Z I, minima; atq; adeò minor quàm YF, hoc est, quàm HX, quam equalẽ osten
ndimus esse rectæ Y F. Quocirca cum circulus Q R, minor sit circulo S T, au-
feret recta H X, maior maiorem arcum ex suo circulo, quàm recta YZ, minor
ex suo, vt mox ostendemus. Maior igitur est arcus H X, quàm vt similis esse
10.2.huius possit arcui YZ: Est autem arcui H X, arcus k L, & arcui Y Z, arcus I k, similis.
Igitur & k L, maior est, quàm vt similis sit ipsi I k; ac proinde, cum sint in eo-
dem circulo, maior erit arcus kL, quàm I k. Quamobrem, si in circumferentia
maximi circuli sit polus parallelorum, & c. Quod demonstrandum erat.

LEMMA.

QVOD *autem recta* H X, *maiorem arcum auferat ex suo circulo quàm recta* Y Z, *ex suo, perspicuum fiet, si prius theorema, quod sequitur, demonstretur.*

ÆQVALES

ÆQVALES rectæ lineæ ex circulis inæqualibus auferunt arcus inæquales, maiorque est arcus minoris circuli, quàm vt similis sit arcui maioris circuli.

SINT circuli inæquales A B, C D, circa idem centrum E, descripti: ducantur autem ex E, duæ rectę vtcunque E A, E B, secantes circulum C D, in punctis C, D: eruntq́; arcus A B, C D, similes, cum illis idem angulus E, insistat ad centrum. Et quoniam rectæ E A, E B, proportionaliter sunt sectæ in punctis C, D, quòd E A, E B, æquales sint, nec non E C, E D; erunt rectæ ductæ A B, C D, parallelæ; atque adeo triangula E A B, E C D, similia, habentia angulos E A B, E C D, inter se æquales, nec non & angulos E B A, E D C, & angulũ E, communem. Quare erit, vt E A, ad A B, ita E C, ad C D: Est autem E A, maior quam E C. Igitur & A B, maior erit, quàm C D. Accommodetur igitur ipsi C D, in circulo A B, æqualis B F; eritq́; arcus A B, maior, quàm F B. Quare cum arcus C D, arcui A B, sit similis; erit arcus C D, maior, quàm vt similis sit ipsi F B. Aequales igitur rectæ F B, C D, ex circulis inæqualibus A B, C D, inæquales arcus auferunt, maiorq́; est arcus C D, circuli minoris, quàm vt similis sit arcui F B, circuli minoris. quod est propositum.

Schol. 35. sexti. 2. sexti. Coroll. 4. sexti. 4. sexti. 14. quinti. 1. quarti. Schol. 28. tertij.



HINC perspicuum est, multo magis maiorem lineam ex circulo minore auferre arcum maiorem, quàm vt similis sit ei, quem ex circulo maiore aufert linea minor. Cum enim recta C D, æqualis ipsi F B, auferat arcũ C D, maiorem, quàm vt similis sit arcui F B; multo magis linea maior quàm C D, auferet maiorem arcum, quàm vt similis sit arcui F B; cum illa maior maiorem arcum abscindat, quam C D. Quare in propos. hac sexta etiam recta H X, maior existens, quàm recta Y Z, auferet ex circulo minore Q R, arcum H X, maiorem, quàm vt similis sit arcui Y Z, quem recta Y Z, aufert ex S T, circulo maiore.

Schol. 28. tertij.

HOC autem lemmate demonstrato, facile etiam ostendemus, æquales rectas lineas ex circulis inæqualibus auferre arcus inæquales simpliciter, ita vt arcus minoris circuli simpliciter maior sit arcu circuli maioris, & non solũ maior, quàm vt similis sit. Sint enim rectæ lineæ C D, B F, æquales, auferatq́; C D, arcum minoris circuli C E D, & F B, arcum circuli maioris F G B. Dico simpliciter arcum C E D, maiorem esse arcu F G B. Congruente enim recta C D, rectæ F B, cadet necessario arcus C E D, extra arcũ F G B; atque adeo arcus C E D, maior erit arcu F G B, cum ille hunc totum intra se *contineat, sintq́; ambo arcus in eandē partem caui, atq́; eadem extrema puncta habeant, vt vult Archimedes in suppositionibus ante lib. 1. de sphæra & cylindro. Neque vero arcus C E D, arcui F G B, congruet, aut intra ipsum cadet. Nam si dicatur congruere, congruet etiam tota circumferentia circuli C E D, toti circumferentiæ circuli F G B, atque adeo æquales erunt circuli. quod est absurdum, cum inæquales ponantur: Si vero arcus C E D, dicatur cadere intra arcum F G B, cuiusmodi est arcus C A D, quoniam vt paulo ante in hoc lemmate ostensum est, arcus C E D, id est, C A D, maior est, quàm vt similis sit arcui F G B, sumatur arcus H F B, arcui C A D, similis, atque adeo maior arcu F G B: Assumpto autem in arcu C A D, puncto A, vtcunque, ducantur rectæ A F, A B; productaque recta F A, donec arcum F G B, secet in G, ducantur rectæ G H, G B. Itaque quoniam arcus C A D, H F B, similes sunt, erunt anguli C A D, H G B, in illis segmentis existentes, æquales. Quia*



16.primi. *vero angulus C A D, angulo C G B, maior est, externus interno; & angulus C G B, angulo H G B, maior quoque, totum parte; erit multò maior angulus C A D, angulo H G B. quod est absurdū. Ostensus enim est æqualis. Non ergo arcus C E D, cadet intra arcū F G B: sed neq; ei congruit, vt demōstratū est. Cadet ergo extra, atq; adeo maior erit arcus C E D, arcu F G B, vt dictū est.*

H I N C etiam liquido constat, multo magis maiorem lineam ex circulo minore auferre arcum maiorem simpliciter eo, quem minor linea ex circulo maiore aufert.

THEOR. 7. PROPOS. 7.

SI in sphæra maximus circulus tāgat aliquem sphæræ circulum, alius autem maximus circulus ad parallelos obliquus sit, tangatq́; circulos maiores illis, quos tangit maximus circulus primo positus, fuerintq́; eorum contactus in maximo circulo primo posito, & sumantur à circulo obliquo circuncunferentiæ æquales, & continuæ ad easdem partes maximi parallelorum; per puncta autem terminantia æquales circunferentias describantur paralleli circuli: Hi circumferentias inæquales intercipient de maximo circulo primo posito, quorum ea, quæ propior erit maximo parallelorum, erit maior remotiore.

IN sphæra maximus circulus A B C D, tangat circulum A E, in puncto A; atque adeo & alium C F, illi æqualem: Alius autem circulus maximus GH, ad parallelos obliquus tangat alios duos circulos maiores illis, quos ABCD, tangit, sintque puncta contactuum G, H, in maximo circulo A B C D; sitq; B D, maximus parallelorum: Ex obliquo denique circulo G H, sumantur arcus æquales I k, K L, & per puncta I, k, L, paralleli describantur M N, O P, Q R. Dico arcum M O, maiorem esse arcu O Q. Nam per k, & S, polum parallelorum circulus maximus describatur S k, secans parallelos in punctis T, V. Item per k, describatur maximus circulus k E, tangens parallelum A E, in E, secansq; parallelos alios in X, Y; ita tamen, vt hæc puncta X, Y, sint inter puncta L, T, & V, I. quod ita fiet. Quoniam per k, duo circuli describi possunt tãgentes circulum A E, quorum vnus inter arcus k G, k S, cadit, alter vero extra ipsos; (Nã si ambo ex eadem parte circulum A E, tangerent, secarent sese mutuo prope puncta contactuum, quòd alter alteri occurreret. quod est absurdum; cum se intersecent in puncto, quod ipsi K, opponitur inter alterum polum, & maximum parallelorũ.) si prior sumatur, cadẽt puncta X, Y, inter puncta L, T, & V, I, vt patet. Igitur quoniã in sphęræ superficie intra peripheriam circuli MN, punctum k, signatum est præter polum S, & ex k, tres arcus cadunt in eius circunferentiam k V, k Y, k I; erit k V, omnium minimus, & K Y, minor, quàm k I. Rursus quia in superficie sphæræ extra peripheriam circuli Q R, signatum est punctum K, præter eius polum, & ex K, in eius circunferentiam cadunt tres arcus K T, K X, K L, erit K T, omnium minimus, & k L, minor quam K L. Vterque igitur arcus



6.2.huius.

20.1.huius.

15.2.huius

schol.15.2. huius.

Schol.21.2. huius.

Schol.21.2. huius.

kI,

KI, KL, vtroque KY, KX, maior est. Et quoniam recta per K, & sphæræ centrũ ducta, id est, communis sectio maximorum circulorum GH, EY, secat planum paralleli QR, extra sphæram, si recta illa, & planum circuli QR, producantur ad partes K, vt in demonstratione propos. 5. huius lib. dictum
4.huius. est; erit arcus KY, maior arcu KX: Sed arcui KY, arcus MO, & arcui KX,
13.2.huius arcus OQ, æqualis est; Sunt enim semicirculi, quorum vnus ex A, per B, alter vero ex E, per K, ducitur, non conuenientes, vt ex ijs, quæ in demonstratione propos. 13. secundi lib. diximus, perspicuum est. Igitur & arcus MO, maior erit arcu OQ. Si ergo in sphæra maximus circulus tangat, &c. Quod demonstrandum erat.

6. THEOREMA 8. PROPOS. 8.

SI in sphæra maximus circulus aliquem sphæræ circulum tangat, aliquis autem alius maximus circulus obliquus ad parallelos tangat circulos maiores illis, quos tangebat maximus circulus primo positus, fuerintque eorum contactus in maximo circulo primo posito; sumantur autem de obliquo circulo æquales circunferentiæ continuæ ad easdem partes maximi parallelorum, perque puncta terminantia æquales circunferentias describantur maximi circuli, qui & tangant eundem circulum, quem tangebat maximus circulus primo positus, & similes parallelorũ circunferentias intercipiant, habeantque eos semicirculos, qui tendunt à punctis contactuum ad puncta terminantia æquales obliqui circuli circunferentias, per quæ describuntur, eiusmodi, vt minime conueniant cum illo circuli maximi primo positi semicirculo, in quo est contactus obliqui circuli inter apparentem polum, & maximum parallelorum: Inæquales inter-

cipient

cipient circunferentias de maximo parallelorum, quarum propior circulo maximo primò posito semper erit maior remotiore.

IN sphæra maximus circulus A B, tangat circulum A C, in A; atque adeo alium illi æqualem, & parallelum: & alius circulus maximus D E, ad parallelos obliquus tangat alios parallelos maiores, sintque cõtactus in circulo AB, cuiusmodi est punctum D; & sit B E, parallelorum maximus: Ex obliquo autem circulo D E, sumantur arcus æquales F G, G H; & per puncta F, G, H, circuli maximi describantur C I, K L, M N, tangentes parallelum A C, in C, K, M, secantesque B E, maximum parallelorum in I, L, N, ita vt similes arcus parallelorum intercipiant, eorumque semicirculi à punctis C, K, M, incipientes, & per F, G, H, transeuntes non conueniant cum semicirculo circuli A B, ab A, incipiente, & per B, transeunte. Dico arcum I L, maiorem esse arcu L N. Describantur enim per F, G, H, paralleli P F, Q G, R H, secantes circulum KL, in O, S. Erit ergo arcus P Q, maior arcu Q R; quibus cum sint æquales arcus GO, GS, erit & GO, maior, quàm G S. Fiat G T, ipsi G S, æqualis, & per T, parallelus describatur V T, secans circulum M N, in X. Et quoniam communis sectio circulorum M N, V X, hoc est, recta ab X, sectione, ad alteram sectionem ducta aufert segmentum, quod incipit ab X, & transit per V, vsq; ad alteram sectionem, semicirculo minus; (Nam circulus maximus M N, secans parallelum V X, non per polos aufert segmentum maius semicirculo, quod nimirum est inter maximum parallelorum, & polum conspicuum, quale est segmentum incipiens ab X, & transiens per α, vsque ad alteram sectionem cum circulo M N.) aufertque ex maximo circulo MN, segmentum maius semicirculo, quod nimirum ab X, incipiens per N, ad alteram sectionem transit; estque segmentum X V, ad segmentum X M, inclinatum versus partes R. Nam si per N, & Y, polum parallelorum circulus maximus describatur Y N, erit hic rectus ad B E. Ergo M N, qui inter hos duos est positus, (Quoniam enim ex puncto F, duo circuli tangentes parallelum A C, duci possunt, vnus ad sinistram circuli maximi Y N, & ad dexteram alter, nos priorem eligimus, vt nimirum ponatur inter maximos circulos Y N, B E.) ad eundem B E, inclinatus



6.1.huius.

7.huius.

13.2.huius.

19.2.huius.

15.1.huius

Schol.15.2 huius.

clinatus

clinatus est ad partes R, & vicissim B E, atque adeò & sibi parallelus V X, ad M N, ad easdem partes R, erit inclinatus. Item segmentum incipiens ab X, & per V, vsque ad alteram sectionem transiens sectum est inæqualiter in T, estque minor pars T X, vt mox ostendemus. Igitur recta T X, minor est, quàm
2.huius. recta T F: Sed recta T F, æqualis est rectæ H S. Igitur & recta T X, minor erit
3.huius. quàm recta H S; atque adeo, vt in lemmate propos. 6. huius lib. demonstratum est, maior erit arcus H S, quàm vt similis esse possit arcui T X. Cum ergo ar-
13.2.huius. cus I L, arcui H S, & arcus L N, arcui T X, sit similis, maior erit quoque arcus I L, quàm vt similis sit arcui L N; atque adeo, cum in eodem circulo sint, erit I L, maior, quam L N. Si igitur sphæra maximus circulus aliquem sphæræ circulum tangat, &c. Quod erat ostendendum.

LEMMA. I.

QVOD autem arcus T X, minor sit semisse segmenti, quod ab X, incipit, et per V, vsque ad alteram sectionẽ protenditur, ita demonstrabimus. Per E, ducatur circulus maximus E Z, tangens parallelum A C, in Z, puncto, quod sit ad dexteram circuli maximi N Y: cùm ex E, duo circuli tangẽtes A C, describi possint, vnus ad sinistram circuli N Y, et ad dexteram alter. Eritq; E Z, quadrans. Nam circulus maximus Z Y, per Y, polum circuli A C, & per Z, cõtactum descriptus trãsit quoq; per polum circuli tangentis E Z. Quare idem circulus Y Z, secabit segmenta circulorum B E, E Z, bifariam. Cum ergo hi maximi circuli se bifariam secent, secabitur segmẽtum à puncto E, per Z, vsque ad alteram sectionem, in duos quadrantes in puncto Z; atque adeo E Z, quadrans erit. Eodem modo quadrans erit E D, si per polum Y, & contactum D, circulus maximus Y D, describatur. Est autem & arcus circuli maximi inter E, & Y, polum, quadrans. Igitur circulus maximus ex E, tanquam polo, & interuallo E Z, descriptus transibit per puncta Y, D. Non aliter ostendemus N M, esse quadrantem; atque adeo circulum maximum ex N, polo, & interuallo N M, descriptum transire per Y, polum parallelorum, qualis est M Y, atque adeo secare arcum B D, vltra punctum D, & ar-

schol. 15.2. huius.
5.2.huius.
9.2.huius.
11.2.huius
Corol. 16.1 huius.



& arcum NB, vltra arcum DB, ideoque & arcum XV, vltra eundem arcum DB: propterea quòd maximi circuli ZYD, MY, se mutuo secant in Y, polo, & punctum M, est inter D, & Z. Quoniam verò circulus maximus MY, ductus per Y, polum paralleli AC, & per contactum M, transit etiam per polum circuli tangentis NM; transibit per polos 5. 2. huius *circulorum XV, & NM, se mutuo secantium in X. Quare bifariam secabit ipsorum segmenta. Cum ergo vltra punctum V, secet segmentum ab* 9. 2. huius. *X, per V, vsque ad aliud punctum, vbi se mutuo secãt circuli XV, NM, vt proxime est ostensum; erit XV, arcus minor semisse segmenti ab X, per V, vsque ad alteram sectionem; ac proinde multo minor semisse eiusdem segmenti erit TX. quod est propositum.*

LEMMA. II.

PROPOSITIS duabus magnitudinibus inæqualibus, reperire aliam mediam, quæ datæ cuicunque magnitudini commensurabilis sit.

SINT propositæ duæ magnitudines inæquales AB, AC, & data alia quæcunque DG: oporteatq́, inuenire aliam mediam, hoc est, quæ maior quidem sit, quàm AC, minor vero, quàm AB, & ipsi DG, commensurabilis. Sit primum DG, minor, quàm BC, excessus inter magnitudines AB, AC; & E, multiplex ipsius DG, proxime maior quàm AC. Quo posito, erit E, minor, quàm AB. Si enim æqualis esset, si detraheretur ex E, vna magnitudo ipsi DG, æqualis (quę quidem minor ponitur, quàm BC,) maneret adhuc reliqua multiplex ipsius DG, maior quàm AC. Non ergo E, esset multiplex ipsius DG, proxime maior, quàm AC. Quod est absurdum. Non ergo æqualis est E, ipsi AB; atque adeo multo magis neque maior erit. Minor igitur est, quàm AB; atque adeo cum maior quoque sit quàm AC, & ipsi DG, commensurabilis, quòd eius multiplex sit, constat propositum.



SED iam data magnitudo DG, non minor sit, quàm BC. Diuisa igitur DG, bifariam, & dimidia parte rursus bifariam, & sic deinceps, donec relinquatur pars DF, minor quàm BC; sit E, ipsius DF, multiplex 1. decimi. *proximè maior, quàm AC; eritq́, E, ipsi DF, commensurabilis; atque adeo & ipsi DG: propterea quod vtraque E, & DG, ipsi DF, commen*- 12. decimi. *surabilis est. Rursus eodem pacto, vt paulo ante demonstrauimus, erit E, minor, quam AB. Cum ergo maior quoque sit, quàm AC, & ipsi DG, commensurabilis; constat propositum.*

L THEOR.

8. ## THEOREMA 9. PROPOS. 9.

SI polus parallelorum sit in circunferentia maximi circuli, quem duo alij maximi circuli ad angulos rectos secent, quorum circulorum alter sit vnus parallelorũ, alter verò ad parallelos obliquus sit: & ab hoc obliquo circulo sumantur æquales circunferentiæ, quæ continuæ quidem non sint, sed tamen sint ad easdem partes maximi illius paralleli; per polum autem, & singula puncta æquales circunferentias terminantia describantur maximi circuli: Inæquales circunferentias de maximo parallelo intercipient, quarum ea, quæ propior erit maximo circulo primo posito, semper erit maior remotiore.

IN circunferentia maximi circuli A B, sit A, polus parallelorum, cumque secent duo maximi circuli B C, D C, ad angulos rectos, quorum B C, sit maximus parallelorum, & D C, ad parallelos obliquus; ex quo sumantur arcus æquales non continui E F, G H: & per puncta E, F, G, H, & polum
20.1.huius A, describantur maximi circuli A E I, A F K, A G L, A H M. Dico arcum M L, maiorem esse arcu K I. Aut enim intermedius arcus F G, vtrique æqualium E F, G H, commensurabilis est, aut incommensurabilis. Sit primum commensurabilis. In-
4.decimi. uenta autem maxima communi mensura X, diuidantur tres arcus E F, F G, G H, in partes ipsi X, æquales, vt in prima figura appa-
20.1.huius. ret; & per puncta diuisionum, & polum A, circuli maximi ducantur. Quoniam igitur arcus E Q, Q F, F P, &c. æquales sunt, ma-
4.huius. ior erit arcus M R, arcu R L, & R L, maior, quàm L, S, &c. Igitur cum M R, maior sit quàm K V, & R L, maior quàm V I, erit & totus M L, maior toto K I. quod est propositum.

SED iam sit arcus intermedius F G, incommensurabilis vtrique arcuum æqualium E F, G H. Dico Rursus arcum M L, maiorem esse arcu K I. Si enim maior non est, erit vel minor, vel æqualis. Sit primum, si fieri potest, M L, minor quàm K I, vt in secunda figura;

&ex

& ex K I, sumatur K N, ipsi M L, æqualis; & per N, & A, circulus maximus describatur A O N, secans circulum C D, & in O. Deinde per lemma 2. præcedentis propos. inueniatur arcus F P, maior quidem, quàm F O, minor verò quàm F E, & ipsi F G, commensurabilis: 20.1. huius
sitque G Q, ipsi F P, (qui minor est, quàm E F, atque adeo minor etiam quàm G H, ipsi E F, æqualis.) æqualis: & per P, Q, & A, circuli maximi describantur A P R, A Q S. Quoniam igitur arcus P F, G Q, æquales sunt non continui, estque vtrique illorum commensurabilis arcus intermedius FG; erit, vt demonstratum iam est in prima figura, arcus S L, maior arcu K R. Igitur & multo maior erit, quàm K N; ac proinde & M L, multo maior erit, quàm K N: Sed & K N, ipsi M L, æqualis positus est. Quod est absurdum. Non ergo M L, minor est quàm K I. 20.1. huius



SIT deinde, si fieri potest, arcus M L, æqualis arcui KI, vt in tertia figura. Diuisis autẽ arcubus EF, G H, bifariã in N, O, describantur per N, O, & A, circuli maximi A N P, A O Q. Erit igitur arcus M Q, maior arcu QL, & K P, maior quàm PI. Quare QL, minor erit, quàm dimidiũ ipsius M L; & K P, maior, quàm dimidium ipsius K I. Cum ergo M L, K I, ponãtur æquales; erit QL, minor, quàm K P, quod est absurdum. Quoniam enim arcus F N, G O, dimidij æqualium arcuum E F, G H, æquales sunt non continui, non poterit QL, minor esse, quàm K B; vt proximè in secunda figura demonstratum est. Non ergo arcus M L, arcui KI, æqualis est: sed neque minor est ostensus. Maior ergo est. Si igitur polus parallelorum sit in circunferentia, &c. Quod erat demonstrandum. 20 1. huius 6. huius.



SCHOLIVM.

SICVT *Theodosius in hac propositione 9. idem demonstrauit de arcubus non continuis, quod de continuis propos. 6. docuit, ita in alia versione demonstrantur tribus Theorematibus eadem de arcubus non continuis, quæ Theodosius de continuis demonstrauit propos. 5. 7. & 8. Primum autem theorema eiusmodi est.*

I.

SI polus parallelorum sit in circunferentia maximi circuli, quem duo alij maximi circuli ad angulos rectos secẽt, quorum circulorum alter sit vnus parallelorum, alter verò ad parallelos obliquus sit, & ab hoc obliquo circulo sumantur æquales circunferentiæ, quæ continuæ quidem non sint, sed tamen sint ad easdem partes maximi illius pa- 7.

ralleli; per singula autem puncta æquales circunferentias terminantia, describãtur paralleli circuli. Circunferentię maximi illius circuli primo positi inter parallelos interceptæ, inæquales erunt, semperq; ea, quæ propior fuerit maximo parallelorum, remotiore maior erit.

IN circunferentia maximi circuli A B, sit polus parallelorum, quem alij duo maximi B C, A C, secent ad angulos rectos, sitque B C, parallelorum maximus, & A C, ad parallelos obliquus. Sumantur arcus non continui æquales D E, F G; ac per D, E, F, G, paralleli ducantur D H, E I, F K, G L. Dico arcum H I, maiorem esse arcu K L. Aut enim arcus intermedius E F, vtrique æqualium D E, F G, commensurabilis 4. decimi. *est, aut incommensurabilis. Sit primum commensurabilis. Inuenta autem maxima mensura V, secentur tres arcus D E, E F, F G, in partes ipsi V, æquales, & per puncta diuisionum paralleli describantur, vt in prima figura apparet. Quoniam igitur*



5. huius. *arcus continui D P, P E, E O, &c. æquales sunt; erit arcus H T, maior arcu T I, & T I, maior, quàm I S, &c. Quare cum H T, maior sit, quàm K Q, & T I, maior quam Q L; erit totus H I, maior toto K L. Quod est propositum.*

SED iam E F, incommensurabilis sit vtrique D E, F G. Dico adhuc arcum H I, maiorem esse arcu K L. Si enim maior non est, erit vel minor, vel æqualis. Sit primum minor; & ex K L, (vt in secunda figura) auferatur ipsi H I, æqualis K M; & per M, parallelus ducatur M N. Deinde per Lemma 2. Propos. 8. huius lib. reperiatur arcus F O, maior quidem, quàm F N, minor verò quam F G, & commensurabilis intermedio arcui E F: Sitque E P, ipsi F O, (qui minor est, quàm F G, atque adeo minor etiam, quam D E, ipsi F G, æqualis.) æqualis, ac per O, P, paralleli describantur O R, P Q. Quoniam igitur arcus non continui P E, F O, æquales sunt, estque vtrique illorum commensurabilis arcus intermedius E F; erit, vt iam est demonstratum in prima figura, arcus Q I, maior arcu K R. Ergo & multo maior erit, quàm K M; ac proinde multo magis arcus H I, maior erit quàm K M: Sed & H I, æqualis ponitur ipsi K M. Quod est absurdum. Non ergo H I, minor est, quàm K L.

SIT deinde, si fieri potest, arcus H I, arcui K L, æqualis, vt in tertia figura. Diuisis autem arcubus D E, F G, bifariam in M, N, ducantur per M, N, paralleli M O, 5. huius. *N P. Erit igitur arcus H O, maior, quàm O I; & K P, maior, quam P L. Quare O I, minor erit, quam dimidium ipsius H I, & K P, maior dimidio ipsius K L. Cum*

ergo

ergo H I, K L, *ponantur æquales, minor erit* O I, *quàm* K P. *Quod est absurdum. Quia enim arcus* E M, F N, *dimidij æqualium* D E, F G, *æquales sunt, & non continui, non poterit* O I, *minor esse, quàm* K P, *vt in secunda figura demonstratum est. Non ergo arcus* H I, *arcui* K L, *æqualis est: Sed neque minor est ostensus.* Maior *igitur est. Quod est propositum.*

II.

SI in sphæra maximus circulus tangat aliquem sphæræ circulum, alius autem maximus circulus ad parallelos obliquus sit, tangatque circulos maiores illis, quos tangit maximus circulus primò positus, fuerintque eorum contactus in maximo circulo primo posito; & sumantur à circulo obliquo circunferentiæ æquales, quæ continuæ quidem non sint, sed tamen sint ad easdem partes maximi parallelorum; per puncta autem terminantia æquales circunferentias describantur paralleli circuli: HI circunferentias inæquales intercipient de maximo circulo primò posito, quarum ea, quæ propior erit maximo parallelorum, maior erit remotiore. 9.

HOC *Theorema demonstrabitur ex propos. 7. huius lib. quemadmodum præcedens* Theorema *ex propos. 5. demonstratũ fuit: dummodo duo circuli maximi* A B, A C, *præcedentis* Theorematis *tangant duos parallelos, vt in propos. 7. huius lib. dictum est.* Reliqua *constructio figuræ à constructione præcedentis* Theorematis *non differt, &c.*

III.

SI in sphæra maximus circulus aliquem sphæræ circulum tangat, aliquis autem alius maximus circulus obliquus ad parallelos tangat circulos maiores illis, quos tangebat maximus circulus primo positus, fuerintque eorum contactus in maximo circulo primo posito; sumantur autem de obliquo circulo æquales circunferentiæ, quæ continuæ quidem non sint, sed tamen sint ad easdem partes maximi parallelorum, per quę puncta terminantia æquales circunferentias describantur maximi circuli, qui & tangant eundem circulum, quem tangebat maximus circulus primo positus, & similes parallelorum circunferentias intercipiant, habeantque eos semicirculos, qui tendunt à punctis contactuum ad puncta terminantia æquales obliqui circuli circunferentias, per quæ describuntur, eiusmodi, vt minimè cõueniant cum illo circuli maximi primò positi semicirculo, in quo est contactus obliqui circuli inter apparentem polum, & maximum parallelorum: Inæquales intercipient circunferentias de maximo parallelorum, quarum propior circulo maximo primò posito, semper erit maior remotiore. 10.

HOC

HOC etiam Theorema demonstrabitur ex propos. 8. huius lib. quemadmodum propositio 9. ex propos. 6. fuit ostensa, dummodo maximi circuli propos. 9. ex A, prodeuntes tangant eundem circulum minorem illo, quem DC, tangere debet, &c.

11. THEOREMA 10. PROPOS. 10.

SI polus parallelorum ſit in circunferentia maximi circuli, quem duo alij maximi circuli ad angulos rectos ſecent, quorum alter ſit vnus parallelorum, alter verò ſit obliquus ad parallelos; in hoc autem obliquo circulo ſumãtur duo quælibet puncta ad eaſdem partes maximi illius paralleli, perq; polum parallelorum, & per vtrumque illorum punctorum deſcribantur maximi circuli: Erit, vt circunferentia maximi parallelorum intercepta inter maximum circulum primò poſitum, & proximum maximum circulum per polum, & per vnum punctorum deſcriptum, ad circunferentiam obliqui circuli inter eoſdem circulos interceptam, ita circunferentia maximi parallelorum intercepta inter duos magnos circulos per polum, perque vtrumque punctorum deſcriptos, ad circunferentiam aliquam, quæ ſit minor, quam circunferentia obliqui circuli inter vtrumque punctum intercepta.

SIT polus A, parallelorum in circunferentia maximi circuli AB, quem duo alij maximi circuli BD, CD, ſecent ad angulos rectos, & ſit BD, parallelorum maximus, & CD, ad parallelos obliquus; in quo ſumptis duobus
30.1.huius punctis vtcunque E, F, deſcribantur per A, polum, & per E, F, circuli maximi AEG, AFH. Dico, vt eſt arcus BH, ad arcum CF, ita eſſe arcum HG, ad arcum minorem arcu FE. Aut enim arcus CF, FE, commenſurabiles ſunt, aut incommenſurabiles. Sint primum commenſurabiles, vt in prima fi-
9.decimi. gura; & inuenta eorum maxima menſura P, diuidantur arcus CF, FE, in ar-
20.1.huius cus maximæ menſuræ æquales, perque puncta diuiſionum, & polum A, circuli maximi ducantur IM, KN, LO. Quoniam igitur arcus continui CL, LK,

K F, F I, I E, æquales ſunt, erit arcus B O, maior quàm O N, & O N, maior quàm N H, &c. Igitur maior erit proportio B O, ad C L, quàm O N, ad L K; & maior proportio O N, ad L K, quàm N H, ad K F, &c. Quare, cum ſint quotcunque magnitudines B O, O N, N H, & totidem numero C L, LK, 6.huius. 8.quinti.



K F, ſitque maior proportio primæ B O, ad primã C L, quàm ſecundæ O N, ad ſecundam L K; & maior ſecundæ O N, ad ſecundam L K, quàm tertiæ N H, ad tertiam K F; maior erit proportio B H, ad C F, quàm N H, ad K F: 34.quinti. Sed proportio N H, ad K F, maior adhuc eſt proportione H M, ad F I, vt 8.quinti. oſtenſum eſt. Multo ergo maior eſt proportio B H, ad C F, quàm H M, ad F I: Sed adhuc maior eſt proportio H M, ad F I, quàm H G, ad F E; propterea quòd arcus H M, M G, multitudine æquales ſunt arcubus F I, I E; eſtque 34.quinti. maior proportio primæ H M, ad primam F I, quæ ſecundæ M G, ad ſecundam I E, vt dictum eſt. Multo igitur maior eſt proportio B H, ad C F, quàm H G, 8.quinti. ad F E. Sit vt B H, ad C F, ita H G, ad P. Erit ergo maior proportio quoque H G, ad P, quam H G, ad F E; ac proinde P, arcus minor erit arcu F E. Quare eſt, vt arcus B H, ad arcum C F, ita arcus H G, ad arcum P, arcu F E, minorem. Quod eſt propoſitum. 10. quinti.

SED iam ſint arcus C F, F E, incommenſurabiles, vt in ſecunda figura. Dico adhuc, vt eſt arcus B H, ad arcum C F, ita eſſe arcum H G, ad arcum arcu F E, minorem. Si enim non ita ſit, erit, vt B H, ad C F, ita H G, vel ad arcũ arcu F E, maiorem, vel ad ipſummet F E. Sit primum, ſi fieri poteſt, vt B H, ad C F, ita H G, ad arcum F I, arcu F E, maiorem. Inueniatur per lemma 2. propoſ. 8. huius lib. arcus F K, maior quidem quàm F E, minor autem quàm F I, & ipſi C F, commenſurabilis, ducaturque per K, & A, polum circulus maximus K L. Quoniam igitur commenſurabiles ſunt arcus C F, F K, erit, vt demonſtratum iam eſt in prima figura, vt B H, ad C F, ita H L, ad arcum arcu F K, minorem: Sed vt B H, ad C F, ita ponebatur H G, ad F I. Igitur erit quoque, vt H G, ad F I, ita H L, ad arcum arcu F K, minorem: & permutando, vt H G, ad H L, ita F I, ad arcum arcu F K, minorem: Sed H G, arcus minor eſt arcu H L. Igitur & arcus F I, minor erit, quàm arcus arcu F K, minor, totum quàm pars. Quod eſt abſurdum. Non ergo eſt, vt B H, ad C F, ita H G, ad arcum arcu F E, maiorem. 20.1.huius.

SIT deinde, ſi fieri poteſt, vt B H, ad C F, ita H G, ad F E, vt in tertia figura. Diuiſo arcu F E, biſariam in I, deſcribatur per I, & per A, polum circulus 20.1.huius

culus

culus maximus I K. Quoniam igitur arcus continui F I, I E, æquales sunt, erit
6. huius. H K, maior quàm K G; atque adeo H K, maior erit dimidio ipsius H G. Qua-
8. quinti. re maior erit proportio H K, ad F I, quàm arcus dimidij ipsius H G, ad F I:
15. quinti. Sed vt dimidium arcus H G, ad F I, dimidium arcus F E, ita est totus arcus
H G, ad totum arcum F E. Igitur maior erit proportio H K, ad F I, quàm HG,
ad F E: Ponitur autem, vt H G, ad F E, ita B H, ad C F. Igitur maior erit quo-
que proportio H K, ad F I, quàm B H, ad C F; atque adeo arcus H K, ad ar-
10. quinti. cum arcu F I, maiorem erit, vt B H, ad C F. Quod est absurdum. Demonstra-
tum enim proxime fuit in secunda figura, non posse esse, vt est arcus B H, ad
C F, ita arcum H K, ad arcum arcu F I, maiorem. Non ergo est, vt B H, ad
C F, ita H G, ad F E: sed neque, vt B H, ad C F, ita est H G, ad arcum arcu
F E, maiorem, vt demonstratum est. Igitur erit, vt B H, ad C F, ita H G, ad
arcum arcu F E, minorem. Quare si polus parallelorum sit in circunferentia,
&c. Quod ostendendum erat.

COROLLARIVM.

HINC fit, maiorem esse proportionem arcus B H, ad arcum C F, quàm arcus H G, ad
10. huius. arcum F E. Cum enim sit, vt B H, ad C F, ita H G, ad arcum arcu F E, minorem: Sit autem
8. quinti. maior proportio arcus H G, ad arcum arcu F E, minorem, quàm ad F E; erit quoque maior
proportio B H, ad C F, quàm H G, ad F E.

12. THEOR. 11. PROPOS. 11.

SI polus parallelorum sit in circunferentia maximi circuli, quem duo alij maximi circuli ad angulos rectos secent, quorum alter sit vnus parallelorum, alter vero sit obliquus ad parallelos; alius autem maximus circulus per polos parallelorum transiens obliquum circulũ secet inter maximum parallelorum, & eum, quem obliquus circulus tangit: Diameter sphæræ ad diametrum eius circuli, quem tãgit obliquus circulus, maiorem rationem habet, quàm circunferentia maximi parallelorum intercepta inter maximum circulum primo positum, & maximum circulum per polos parallelorum transeuntem, ad circunferentiam obliqui circuli inter eosdem circulos interceptam.

IN circunferentia maximi circuli A B, ſit parallelorum polus A, cumque duo alij circuli maximi B C, D E, ad angulos rectos ſecent, quorum B C, ſit maximus parallelorum, & DE, ad parallelos obliquus tãgens parallelum D F. Per polum quoq; A, alius circulus maximus deſcribatur A E, ſecans obliquũ D E, in puncto E, inter maximũ parallelorum B C, & parallelum D F, quem obliquus tangit, poſito. Dico diametrum ſphæræ ad diametrum paralleli D F, maiorem habere rationẽ, quàm circunferẽtiam BC, ad circunferentiam D E. Sit A G, recta communis ſectio circulorũ A B, A E; & B G, communis ſectio circulorũ AB, BC; eruntq; A G, B G, ſemidiametri ipſorum, (cum ſe mutuo ſecent bifariã circuli maximi in ſphæra) atque adeo & ſphæræ, ſecantes ſe ſe in G, centro ſphæræ, & circulorum maximorum. Sit quoque D L, communis ſectio circulorum A B, D E, quæ quoque diameter ſphæræ erit tranſiens per centrum G. Rurſus D M, ſit communis ſectio circulorum A B, D F; eritque D M, diameter circuli D F, propterea quòd circulus A B, parallelum D F, ſecet bifariam per polos. Item F N, C G, ſint communes ſectiones circulorum DF, BC, cum circulo A E. Ex polo A, interuallo vero A E, parallelus deſcribatur O E, ſintque O H, E H, communes eius ſectiones cum circulis A B, A E; Eruntque & F N, E H, C G, ſemidiametri circulorum D F, O E, B C, quòd ipſos bifariam ſecet circulus maximus A E, per polos; atque adeo communes ſectiones diametri ſint occurrentes diametris D M, O H, B G, in centris N, H, G. Eſt enim & O H, diameter circuli O E, cum eum circulus A B, per polum A, biſariam ſecet. Sit rurſum E G, communis ſectio circulorum maximorum A E, D E, quæ etiam diameter erit tranſiens per G, centrum ſphæræ. Denique E I, communis ſit ſectio circulorum D E, O E. Et quoniam recta A G, ducta per polos paralleli O E, recta eſt ad planum paralleli, caditque in eius centrum H; erit angulus O H G, ex defin. 3. lib. 11. Eucl. in triangulo G H I, rectus; atque adeo angulus H G I, acutus. Latus igitur G I, maius erit latere H I. Auferatur recta I K, rectæ I H, æqualis, iungaturque recta E K. Rurſus quia vterq; circulus D E, O E, rectus eſt ad circulum AB; erit & E I, communis eorum ſectio ad eundem perpendicularis: ac proinde, ex defin. 3. lib. 11. Eucl. vterque angulus E I H, E I K, rectus. Quoniam igitur duo latera E I, I H, trianguli E I H, duobus lateribus E I, I K, trianguli E I K, ęqualia ſunt, anguloſq; continent æquales, nẽpe rectos, vt oſtendimus, erunt anguli quoq; I H E, I K E, æquales. Quia verò maior eſt proportio rectæ G I, ad rectam I k, quàm anguli I k E, hoc eſt anguli O H E, ſibi æqualis,



11.1.huius.
15.1.huius.
15.1.huius.
15.1.huius.
10.1.huius.
19.primi.
19.vndec.
4.primi.

M ad

10. vndec. ad angulũ I G E, vt mox demonstrabimus: Est autem angulus O H E, angulo B G C, æqualis; (sunt enim rectæ O H, B G, communes sectiones planorum pa-
15. vndec. rallelorũ OE, B C, factæ à plano A B, parallelæ; necnõ & rectæ E H, C G, communes sectiones eorundem planorum factæ à plano A E.) erit quoque maior proportio rectę G I, ad rectam I K, hoc est, ad rectam sibi æqualem I H, quàm anguli BGC, ad angulum D G E: Vt autem angulus EGC, ad angulum DGE,
33. sexti. ita est arcus B C, ad arcum D E. Maior igitur proportio quoq; erit rectæ GI,
4. sexti. ad rectam I H, quàm arcus B C, ad arcum D E: Est autem, vt G I, ad I H, ita
15. quinti. G D, ad D N, hoc est, ita tota diameter D L, ad totam diametrum D M. (sunt enim D N, O H, communes sectiones planorum parallelorum D F,
16. vndec. O E, factæ à plano A B, parallelæ.) Igitur maior quoque proportio erit D L, diametri sphæræ ad D M, diametrum paralleli D F, quàm arcus B C, ad arcum D E. Quapropter, si polus parallelorum sit in circunferentia maximi circuli, &c. Quod demonstrandum erat.

LEMMA.

QVOD *autem maior sit proportio rectæ* G I, *ad rectam* I K, *quàm anguli* IKE, *ad angulum* I G E, *hoc theoremate proposito demonstrabimus.*

IN omni triangulo rectangulo, si ab vno acutorum angulorum vtcunque ad latus oppositum linea recta ducatur; erit maior proportio huius lateris ad eius segmentum, quod prope angulum rectum existit, quàm anguli acuti, quem linea ducta cum prædicto latere, effecit, ad reliquum angulum acutum trianguli.

SIT triangulum rectangulum E G I, habens angulum I, rectum, ducaturque ab angulo acuto I E G, ad latus oppositum G I, recta linea E K, vtcunque. Dico maiorem esse proportionem rectæ G I, ad I K, quàm anguli acuti I K E, ad angulum acutum I G E. Ducatur enim
31. primi. *per G, recta G A, ipsi E K, parallela, occurrens rectæ I E, protractæ in A. Et quoniam angulus I, rectus est, erit angulus I E G, acutus, & propterea A E G, obtusus. Latus igitur E G,*



19. primi. *in triangulo G E I, maius est latere G I; in triangulo verò A E G, minus latere A G. Quare arcus circuli ex centro G, ad interuallum G E, descriptus secabit rectam G I, productam vltra I, nempe in B; rectam vero G A, citra A, vt in C. Quoniam igitur triangulum G A E, maius est sectore G C E, maior erit proportio trianguli G A E, ad*
8. quinti. *triangulum G E I, quàm sectoris G C E, ad triangulum G E I: Est*
8. quinti. *autem maior adhuc proportio sectoris G C E, ad triangulum G E I, quàm*

ad

ad sectorem G E B; quòd triangulum G E I, minus sit sectore G E B. Multo igitur maior erit proportio trianguli G A E, ad triangulum G E I, quàm sectoris G C E, ad sectorem G E B: ac proinde & componendo maior erit proportio trianguli G A I, ad triangulum G E I, quàm sectoris G C B, ad sectorem G E B: Est autem vt triangulum G A I, ad 28. quinti. *triangulum G E I, ita recta A I, ad rectam I E; & vt sector G C B,* 1. sexti. *ad sectorem G E B, ita angulus B G C, ad angulum B G E. Maior igitur* Corol. 1. 33 sexti. *erit quoque proportio A I, ad I E, quàm anguli B G A, hoc est, quàm anguli sibi æqualis I K E, ad angulum I G E: Vt autem A I, ad I E, ita est* 29. primi. *G I, ad I K. Igitur & maior erit proportio rectæ G I, ad rectam I K,* 2. vel 4. sexti. *quàm anguli I K E, ad angulum I G E. Quod est propositum.*

SCHOLIVM.

ADDITVR *in alia versione hoc loco sequens* Theorema.

IISDEM positis, Diameter sphæræ ad diametrum paralleli per punctum obliqui circuli, per quod maximus circulus è polo transit, descripti, minorem rationem habet quàm circunferentia maximi parallelorum intercepta inter maximum circulum primo positum, & maximum circulum per polos parallelorum transeuntem, ad circunferentiam obliqui circuli inter eosdem circulos interceptam. 13.

SINT *descripti circuli, vt in præcedenti propos. Dico minorem esse proportionem diametri sphæræ ad diametrum paralleli* G E, *quàm circunferentiæ* B C, *ad circunferentiam* D E. *Sint* G H, B I, *communes sectiones circulorum* G E, B C, *cum circulo* A B, *quæ diametri illorum erunt, cum* A B, *per eorum polos ductus ipsos secet bifariã, & ad angulos rectos. Erit ergo* B I, *diameter etiã sphæræ.* 15. 1. huius. *Et quoniã circulus* D E, *ponitur rectus ad* A B, *transibit* D E, *per polos ipsius* A B. 13. 1. huius. *Eodem modo* B C, *per polos eiusdem* A B, *tansibit, cum rectus ad ipsum ponatur. Quare* M, *punctum, vbi se mutuo secant, polus erit circuli* A B; *ac propterea segmẽtum* DEL, *quod rectum est ad circulum* AB, *inæqualiter diuidetur in* E, *puncto, vbi circuli* DE, GE, *se intersecant, minorq́; pars erit* E D: *quandoquidem arcus* MD, ML, *æquales sunt, quod rectæ illis subtensæ, ex defin. poli, æquales sint.* 28. tertij.



schol. 21. 2. huius. *Recta igitur ducta E D, minor erit, quàm recta E G; ac proinde cum circulus G E, minor sit circulo D E, maior erit circunferentia E G, quàm circunferentia D E.*
lemma 6. huius. *Si enim recta rectæ E D, æqualis aufert ex circulo G E, maiorem arcum, quàm recta D E, ex circulo D E; multo magis recta E G, quæ maior est, quàm recta E D, vt ostendimus, maiorem arcum auferet, &c. Quare minor erit propor-*
8. quinti. *tio arcus B C, ad arcum G E, quàm ad arcum D E. Quoniam vero est, vt arcus B C, ad totam circunferentiam circuli B C, ita arcus G E, ad totam circũferentiã circuli G E, propter similitudinem arcuum B C, G E; (In hoc enim consistit similitudo arcuum, vt ad suorum circulorum circunferentias integras eandem habeant proportionem, vt in scholio prop. 33. li. 6. Eucl. tradidimus) atque adeo permutando, vt arcus B C, ad arcũ G E, ita tota circunferentia circuli B C, ad totam circunferentiam circuli G E; erit quoque minor proportio circunferentiæ circuli B C, ad circunferentiã circuli G E, quàm arcus B C, ad arcum D E: Vt autem circunferentia circuli B C, ad circunferentiam circuli G E, ita est diameter B I, (quæ sphæræ etiam diameter est.) ad diametrum G H, vt Pappus demonstrauit, & nos in libello Archimedis de dimensione circuli ostendimus. Igitur minor quoque erit proportio diametri sphæræ B I, ad G H, diametrum paralleli G E, quàm arcus B C, ad circunferentiam DE. Quod est propositum.*



COROLLARIVM.

HINC fit, iisdem positis, maiorem esse rationem circunferentiæ B C, maximi parallelorum interceptæ inter maximum circulum A B, primo positum, & maximum circulum A C, per polos parallelorum transeuntem, ad circunferentiam D E, obliqui circuli inter eosdem circulos interceptam, quàm sinus totius ad sinum circunferentiæ A E, maximi circuli per polos parallelorum transeuntis; minorem vero, quàm sinus totius ad sinum circunferentiæ A D, maximi circuli primò positi inter polos parallelorum, & obliquum circulum interceptæ. Quoniam enim hoc Theoremate ostensum est, maiorem esse rationem arcus B C, ad arcum D E, quàm diametri sphæræ ad diametrum paralleli G E: vt autem diameter B I,
15. quinti. sphæræ ad G H, diametrum circuli G E, ita est B K, semidiameter, hoc est, sinus totus, ad
10. 2. huius. G N, semidiametrum, hoc est, ad sinum arcus A E. (Cum enim arcus A G, A E, æquales sint, sitque G N, sinus arcus A G; erit quoque G N, sinus arcus A E.) Maior igitur erit quoque ratio arcus B C, ad arcum D E, quàm sinus totius B K, ad G N, sinum arcus A E.

11. huius. RVRSVS, quoniã ostensum est, minorem esse rationem arcus B C, ad arcum D E, quàm diametri sphæræ ad diametrum paralleli D F: Vt autem diameter sphæræ B I, ad D F, diame-
15. quinti. trum paralleli D F, ita est B K, sinus totus ad D O, sinum arcus A D. Minor igitur quoque est proportio arcus B C, ad arcum D E, q̃ sinus totius ad sinũ arcus AD. Quod est propositũ.

CÆTERVM quid sit sinus, ex sequenti tractatione intelligetur.

THEO-

THEOREMA 12. PROPOS. 12. 14.

SI in ſphæra maximi circuli tangant vnum, eundemq; parallelorum, intercipiantq; ſimiles parallelorum circunferentias inter vtrũque maximorum circulorum interiectas; alius autem maximus circulus ad parallelos obliquus circulos tangat maiores illis, quos tangunt maximi circuli primò poſiti, ſecetq; obliquus idem circulus eoſdem maximos circulos primò poſitos in punctis poſitis inter maximum parallelorum, & circulum, quem tangunt circuli maximi primo poſiti: Diameter ſphæræ ad diametrum circuli, quem tangit obliquus circulus, maiorem rationem habet, quàm circunferentia maximi paralleli intercepta inter circulos primo poſitos, eundemq; circulum tangentes ad circunferentiam obliqui circuli inter eoſdem circulos interceptam.

IN ſphæra duo maximi circuli A B, C D, tangant eundem parallelum A C, intercipiantq; ſimiles parallelorum circunferentias inter ipſos interiectas; alius autem circulus maximus E F, tangat parallelum E G, maiorem parallelo A C, in E, ſitque obliquus ad parallelos, & ſecet duos priores A B, C D, inter maximum parallelorum H F, & parallelum A C, in punctis I, K. Dico maiorem eſſe rationem diametri ſphæræ ad diametrum paralleli E G, quàm circunferentiæ B D, ad circunferentiam I K. Per L, enim polum parallelorum, & puncta E, I, K, maximi circuli deſcribantur L H, L M, L N; ac per K, parallelus K O, ſecans circulum A B, in P. Quoniam igitur maior eſt ratio diametri ſphæræ ad diametrum circuli E G, quàm arcus H M, ad arcum E I; ratio



20.1.huius.

11. huius.

coroll. 10. huius. tio autem arcus H M, ad arcum E I, maior eſt, quàm arcus M N, ad arcum I K; erit quoq; maior ratio diametri ſphæræ ad diametrum circuli E G, quàm arcus M N, ad arcum I K. Et quia arcus P K, ſimilis eſt arcui B D, ex hy-
10.2.huius. potheſi, & arcus O K, ſimilis arcui M N; eſtque arcus P K, minor arcu O K; erit quoque arcus B D, minor arcu M N; ac proinde minor erit ratio arcus B D,
8. quinti. ad arcum I K, quàm arcus M N, ad eundẽ arcum I K. Cum ergo oſtenſum ſit, rationem diametri ſphæræ ad diametrum circuli E G, maiorem eſſe, quàm arcus M N, ad arcum I K; Multo maior erit ratio diametri ſphæræ ad diametrum circuli E G, quàm arcus B D, ad arcum I K. Si igitur in ſphæra maximi circuli tangant vnum, &c. Quod erat demonſtrandum.

SCHOLIVM.

IN exemplari græco habetur, maiorem eſſe rationem duplæ diametri ſphæræ ad diametrum circuli E G, *quàm arcus* B D, *ad arcum* I K *Quod quidem ex noſtra demonſtratione liquidò conſtat. Cum enim diameter ſphæræ maiorem habeat rationem ad diametrum circuli* E G, *quàm arcus* B D, *ad arcum* I K; *multo maiorem rationem habebit dupla diametri ſphæræ ad diametrum circuli* E G, *quàm arcus* B D, *ad ar-*
8.quinti. *cum* I K; *propterea quòd dupla diametri ſphæræ ad diametrum circuli* E G, *maiorem rationem habet, quàm diameter ſphæræ ad eandem diametrum circuli* E G.

15.

THEOR. 13. PROPOS. 13.

SI in ſphæra paralleli circuli intercipiant circunferentias maximi alicuius circuli vtrinq; æquales ab illo puncto, in quo ipſe maximus circulus ſecat maximum parallelorum; per puncta autem terminantia æquales circunferentias, & per parallelorum polos deſcribantur maximi circuli, aut ſi deſcribantur maximi circuli, qui vnum eundemque parallelorum tangant: æquales intercipient circunferentias de maximo parallelorum.

IN ſphæra A B, paralleli circuli C D, E F, auferant de maximo circulo A F, duas circunferentias æquales G C, G F, vtrinque à puncto G, in quo circulus A F, ſecat maximum parallelorum B G; & per puncta C, G, F, ducatur maximi circuli ſiue per polos parallelorum, vt in priori figura, ſiue tangẽtes vnum eundemque parallelũ, vt in figura poſteriori, ſecantes maximum parallelorum in H, I.



H, I. Dico arcus G H, G I, æquales esse. Quoniam enim arcus GC, G F, æquales ponuntur, erunt paralleli C D, E F, æquales. Igitur & arcus G K, G L, æquales erunt. Quare rectæ ductæ C K, F L, æquales erunt; ac proinde in circulis æqualibus C D, E F, arcus æquales auferent C K, F L; & idcirco inter se similes erunt arcus C k, F L: Est autem arcus G H, arcui C K, & arcus G I, arcui F L, similis. Igitur & arcus G H, G I, similes inter se erunt, ac proinde, cum sint eiusdem circuli, æquales inter se. Si igitur in sphæra maximus circulus, &c. Quod demonstrandum erat.

17. 2. huius
18. 2. huius
3. huius.
28 tertij.
10. vel. 13.
2. huius.

SCHOLIVM.

HINC etiam constat, ijsdem positis, omnes arcus maximorum circulorum inter parallelos interceptos inter se æquales esse, quales sunt C H, H E, K G, G L, D I, I F. *Cum enim arcus* G C, G H, *arcubus* G F, G I, *æquales sint, erunt & rectæ* C H, F I, *æquales; ac propterea & arcus* C H, F I, *æquales erunt: Sunt autem arcui* CH, *arcus* K G, D I, *& arcui* F I, *arcus* L G, E H, *æquales. Igitur omnes illi sex arcus æquales erunt.*

3. huius.
28. tertij.
10. vel 13.
2. huius.

THEOREMA 14. PROPOS. 14. 16.

SI in sphæra maximus circulus aliquem circulum tangat, alius autem maximus circulus obliquus ad parallelos tangat circulos maiores illis, quos tangebat maximus circulus primo positus: inæquales intercipient circunferētias parallelorũ circulorum, quarum propiores vtriuis polorum maiores erunt, quàm vt similes sint remotioribus.

IN sphæra maximus circulus A B, tangat circulum AC; & alius maximus, DE, tāgat alium maiorē DF, secetque duos parallelos quoscũq; GH, B I, in k, E. Dico arcus k H, E I, inæquales esse, maioremque esse k H, polo conspicuo propiorem, quàm vt similis sit arcui E I, remotiori: vel ipsum E B, polo occulto propiorē esse maiorem, quam vt arcui K G, remotiori similis sit. Per puncta enim E, K, describantur maximi circuli L E, C N, tangentes circulum A C, ita vt semicirculi à C, per N, & ab A, per B, procedentes non conueniant: item semicirculi ab L, per E, & ab A, per I, tendentes non coeant. Erunt igitur arcus M H, E I, similes. Quare k H, maior est, quàm vt arcui E I, similis sit. Eodem modo,



15. 2. huius.
13. 2. huius.

modo, quoniam similes sunt arcus B N, G k, erit B E, alteri polo propior maior, quàm vt similis sit arcui G k, ab eodem polo remotiori. Itaque si in sphæra maximus circulus aliqué circulum tangat, &c. Quod erat demonstrandum.

FINIS LIBRI III. THEODOSII.

AD LECTOREM.

POTERVNT, si placet, hæ duæ figuræ tribus illis propositionis secundæ lib. 3. adiungi, vt omnes casus lineæ perpendicularis F L, perspiciantur. In prima namque harum figurarum segmentum insistens A F B, est semicirculus, caditq́; perpendicularis F L, intra segmentum A D B: In posteriore autẽ eadem F L, in ipsam circunferentiam A D B, cadit, existente eodem segmento insistente A F B, semicirculo; quemadmodum & in tertia figura dictæ propositionis idem segmentum insistens A F B, semicirculus est, lineaq́; perpendicularis F L, extra segmentum A D B, cadit. Hoc, benigne lector, te latere noluimus.



CHRISTOPHORI CLAVII BAMBERGENSIS E SOCIETATE IESV

SINVS, VEL SEMISSES RECTARVM IN CIRCVLO SVBTENSARVM:

LINEAE TANGENTES: ATQVE SECANTES.

CHRISTOPHORI CLAVII BAMBERGENSIS E SOCIETATE IESV

SINVS, VEL SEMISSES RECTARVM in circulo subtensarum:

LINEÆ TANGENTES, ATQVE SECANTES.

PRÆFATIO.

DICI vix potest, quantam in rebus tã Astronomicis, quàm Geometricis, vtilitatẽ habeat Sinuũ cognitio: cũ innumerabilia pene problemata Astronomica, & Geometrica ad vsum per calculum & rationem Sinuũ reuocentur, vt tum ex nostris triangulis rectilineis, ac sphæricis, tum ex Almagesto Ptolemæi, ex nostra Gnomonica, & ex alijs variorum Astronomorum libris manifestum est. Quare, cum à paucis admodum Sinuum demonstrationes sint explicatæ, operæpretiũ me facturum arbitror, si, quanta potero breuitate, ac perspicuitate, ex varijs auctoribus, præsertim ex Ptolemæo, Purbachio, Sinuũ vtilitas.

atque Iohanne Regiomontano, demonstrationes colligam, quibus omnium arcuum sinus & chordas cognitas habeamus, vt & tabulas Sinuum, ac chordarum iam à multis scriptoribus supputatas examinare, (facile enim error in numerorum impressione committitur) & nouas alias, quando res tulerit (posito Sinu toto vel diametro quotcunq; particularum) condere poßimus.

QVONIAM vero Recentiores summa felicitate ex sinubus alias lineas collegerũt, nimirum Tangentes, atque Secantes, vt facilius quædam, ac breuius demonstrarent; de hisce etiam lineis agemus. Habent enim lineæ hæ egregium vsum in rebus Astronomicis & Geometricis, vt ex nostris triangulis planis, ac sphæricis fiet perspicuum. Initium autem sumemus à definitionibus.

DEFINITIONES.

I.

Complementũ arcus quid.

COMPLEMENTVM arcus alicuius, est excessus, quo quadrans eum superat, si arcus minor est quadrante, vel ab eo superatur, si est quadrante maior.

CHOR-

II.

CHORDA est linea recta arcum quemcunque in circulo subtendens. Chorda quid.

III.

SINVS rectus est dimidium chordæ subtendentis duplũ eius arcus, cuius dicitur sinus rectus. Sinus rectus quid.

Vel aliter.

SINVS rectus est linea perpendicularis cadens ab vno extremo arcus, cuius dicitur sinus rectus, in diametrum circuli ab altero extremo eiusdem arcus ductam.

IIII.

SINVS versus est pars diametri circuli inter extremum dati arcus, cuius dicitur sinus versus, & sinum rectum eiusdem arcus intercepta. Sinus versus quid.

V.

SINVS complementi alicuius arcus est sinus rectus alterius arcus, qui complementum est illius arcus, cuius dicitur sinus complementi. Sinus complementi quid.

VI.

SINVS totus est semidiameter circuli, hoc est, sinus rectus, vel versus quadrantis circuli. Sinus totus quid.

VII.

SINVS tam rectus, & versus, quàm complementi alicuius anguli rectilinei est sinus illius arcus, qui in circulo descripto ex angulo inter duas rectas angulum constituentes interijcitur. Sinus anguli rectilinei quid.

EXPO-

EXPONATVR *circulus* ABCD, *cuius centrum* E, *per quod ducantur duæ diametri* AC, BD, *sese ad rectos angulos secantes & totum circulum in quatuor quadrantes æquales diuidentes, vtpote qui angulis rectis æqualibus in centro sub tenduntur: sumanturque arcus æquales* AF, AG: *Item* BF, BI; *& rectæ ducantur* FG, FI, *secantes diametros in* H, *&* K. *Arcus igitur* FB, *dicitur complementum arcus* FA; *quia quadrans* AB, *arcum* FA, *superat arcu* FB. *Eadem ratione arcus* FA, *complementum nominatur arcus* FB. *Item arcus* BI, *complementum appellatur arcus* AI; *quia arcu* BI, *superatur quadrans* AB, *ab arcu* AI.

26. tertij.

Exépla defi nitionum.



RECTA *deinde* FG, *chorda dicitur arcus* FAG; *& recta* FI, *chorda arcus* FBI. *Et quia diameter* AC, *secãs arcũ* FAG, *bifariã secat quoq; rectã* FG, *bifariã; vt ex coroll. 1. propos. 10. lib. 13. Eucl. cõstat, (quod tamen in lẽmate sequẽti breuius ostẽdemus.) erit recta* FH, *sinus rectus arcus* FA, *iuxta priorẽ defin. sinus recti: quia est dimidiũ chordæ* FG, *subtendentis arcũ* FAG, *duplum arcus* FA, *cuius* FH, *dicitur sinus. Itaq; si quemlibet arcũ, eiusq; chordam bifariã secemus, dimidiũ chordæ dicetur sinus rectus dimidiati arcus. Hinc factum est, vt Sinus recti à plerisque dicantur Semisses rectarum in circulo subtensarum. Eadem quoque recta* FH, *erit sinus rectus eiusdem arcus* FA, *secundum posteriorem defin. sinus recti: quoniam perpendicularis est, ducta ab* F, *extremo dicti arcus ad diametrum* AC, *ab altero extremo* A, *eiusdem arcus ductam; propterea quod recta* EA, *secans rectã* FG, *bifariam, secat eandẽ ad angulos rectos.*

Sinus recti cur dicãtur semisses rectarum in circulo sub tensarum.

3. tertij.

RECTA *vero* AH, *sinus versus est eiusdem arcus* FA; *cum sit pars diametri* AC, *inter* A, *extremum dicti arcus, & sinum eius rectum* FH, *intercepta. Dicitur autem versus hic Sinus, quia verso modo collocatur, si cum sinu recto conferatur. Hunc nonnulli dicunt sagittam, quoniam instar sagittæ est in arcu* FAG, *à chorda* FG, *excussæ.*

Sinus versus cur dicatur sagitta.

RECTA *porrò* FK, *est sinus complementi arcus* FA; *quia est sinus rectus arcus* FB, *qui complementum est arcus* FA.

Sin⁹ versus cõpleméti alicuius arcus quid.

RECTA *autem* KB, *est sinus versus complementi arcus* FA, *hoc est, sinus versus arcus* FB, *qui complementum est arcus* FA.

NONNVLLI *porro Astronomi Sinum, quem nos rectum diximus, appellant Sinum rectum primum; Sinum vero, quem Sinum complementi diximus, vocant Sinum rectum secundum. Vt rectam* FH, *appellant sinum rectum primum arcus* FA; *rectam vero* FK, *sinum rectum secundum eiusdem arcus. Sunt alij etiam, qui sinum rectum simpliciter appellent sinum primum, versum autem dicant sinum secundum.*

Sinus rect⁹ prim⁹ ac secundus: Ité sinus primus & sin⁹ secundus apud quosdam quid.

Quod

Quod dixerim, vt intelligas auctores, qui varie de sinubus sunt locuti. Nos communem modum loquendi retinuimus. Cæterum cum scriptores de sinu aliquo loquuntur, semper intelligunt sinum rectum: nisi illum vocent sinum complementi, aut versum.

Quando fit mentio alicuius sinus absolute, intelligit̃ sinus rectus.

SEMIDIAMETER *deinde* A E, *sinus est tam rectus, quàm versus quadrantis* A B: *qui totus dicitur, siue maximus, propterea quòd maximus sit omnium sinuum tam rectorum, quàm complemẽtorum, immo vero & maior omnibus sinubus versis illorum arcuum, qui quadrante minores sunt: Solum minor est sinubus versis illorum arcuum, qui quadrante sunt maiores, vt infra dicemus, qui quidem rarius in vsum veniunt, quàm alij. Vel certe dicitur totus, siue maximus, quia in tabula Sinuum, in qua Sinus recti tantummodo ponuntur, omnium Sinuum maximus est ille, qui quadranti, seu gradibus 90. respondet, vt ex tabula Sinuum, quam infra ponemus, perspicuum erit.*

Sinus totus vel maximus cur sic dicatur.

POSTREMO, *ducta recta* E F, *erit recta* F H, *sinus rectus anguli* F E H: *recta autem* F K, *sinus complementi eiusdem anguli; & recta* A H, *eiusdem anguli sinus versus: quoniam recta* F H, *est sinus rectus arcus* F A, *in circulo descripto ex angulo* F E H, *interceptus inter rectas* E F, E A, *angulum dictum constituentes: recta autem* F K, *est sinus complementi eiusdem arcus; & recta* A H, *sinus versus.*

CAETERVM *duo arcus semicirculum constituentes eundem prorsus habent sinum, tam rectum, quàm complementi; quemadmodũ & duo arcus circulum conficientes vnam eandemq; chordam habent: sinus tamen versi eorum differunt, conficiuntq; totam circuli diametrum. Vt duo arcus* F A, F C, *conficientes semicirculum* A B C, *eundem habent sinum rectum* F H, *quemadmodum & duo arcus* F A G, F C G, *eorum dupli, circulum conficientes, eandem habent chordam* F G, *cuius dimidium est sinus rectus* F H, *vt vult prior definitio sinus recti; qui quidem sinus rectus* F H, *linea perpendicularis est, ducta à communi extremo* F, *vtriusque arcus* F A, F C, *ad diametrum* A C, *ab extremis reliquis* A, C, *eorundem arcuum ductam, vt vult posterior sinus recti definitio. Iidem duo arcus* F A, F C, *eundem sinum complementi habent* F K; *propterea quòd arcus* F B, *cuius sinus rectus est* F K, *est complementum vtriusque arcus. Sinus tamen versi ijdem non sunt, sed* A H, *est sinus versus arcus* F A; & C H, *est sinus versus arcus* F C: *qui quidem duo sinus versi diametrum* A C, *constituũt. Vbi vides sinum versum* C H, *arcus* F C, *quadrantem superantis maiorem esse semidiametro, seu sinu toto* C E.

Duo arcus semicirculum conficientes eũdem habẽt sinum, quẽadmodum & duo arc⁹ circulũ conficiẽtes, eãdẽ chordã: sin⁹ tñ versos habent differentes, conficiẽtes totã diametrum.

Sin⁹ versus arcus quadrãte maioris maior ẽ sinu toto.

SIC *etiam duo anguli duobus rectis æquales eundem sinum habent tam rectum, quam complementi. Vt patet in angulis* A E F, F E C, *quorum vtriusque sinus rectus est* F H; *sinus autem complementi* F K: *propterea quòd arcubus* A F, F C, *insistunt, quorum vtriusque sinus rectus est* F H, *complementi autem sinus* F K, *vt dictum est. Sinus tamen versi eorundem angulorum ijdem non sunt, sed* A H, *sinus versus est anguli* A E F, *nempe arcus* A F; & H C, *est sinus versus anguli* F E C, *puta arcus* F C. *Conficiunt autem ambo sinus versi totam diametrum* A C.

Duo anguli duob⁹ rectis ęquales eundẽ sinũ habent, sed sinus versos differẽtes, vtpote q̃ totã diametrũ cõficiant.

RVRSVM *sinus rectus cuiusuis arcus æqualis est segmento diametri inter centrum, & sinum rectum complementi eiusdem arcus interiecto: Sinus autem complementi cuiuslibet arcus æqualis est segmento diametri inter centrum, & sinum rectum eiusdem arcus posito. Vt* F H, *sinus rectus arcus* F A, *æqualis est segmento diametri* E K: & F K, *sinus complementi eiusdem arcus* F A, *æqualis est segmento diametri* E H; *ob parallelogrammum* H K: *sunt enim tam rectæ* H F, E K, *quàm rectæ* K F, E H, *parallelæ, propter rectos angulos* H, E, K, F. *Hinc fit, si sint duo arcus, quorum vnus alterius sit complementum, vtriusuis sinum rectum æqualem esse complemento sinus*

Sinus tam rectus, q̃ cõplementi, cui segmento diametri sit ęqualis.

34. primi.

28. primi.

versi

Duorum arcuum, quorum vnus alterius eſt complemẽtum, ſinus rect⁹ vtriuſlibet æqualis eſt complemento ſinus verſi alterius arcus.

verſi alterius arcus. Vocamus autẽ cõplementum ſinus verſi ſegmentum diametri, quo ipſe ſinus verſus à ſemidiametro ſuperatur, ſi eius arcus quadrante minor eſt, vel ſemidiametrum ſuperat, ſi eius arcus maior eſt quadrante. Vt H E, dicimus complementum tam ſinus verſi A H, arcui F A, reſpondentis, quàm ſinus verſi C H, arcui F C, reſpondentis. Vides igitur, duorum arcuum F A, F B, quorum vnus alterius eſt complementum, ſinum rectum F K, arcus F B, æqualem eſſe ipſi H E, complemento ſinus verſi A H, alterius arcus F A: Et ſinum rectum F H, arcus F A, æqualem eſſe ipſi E K, complemento ſinus verſi B K, alterius arcus F B. Eadem ratione, quoniam arcus F B, complementum eſt arcus F C, vides ſinum rectum F H, arcus F C, æqualem eſſe ipſi E K, complemento ſinus verſi B K, alterius arcus F B: Et ſinum rectum F K, arcus F B, æqualem eſſe ipſi E H, complemento ſinus verſi C H, alterius arcus F C. Sic etiam ſinus complemẽti arcus cuiuſuis æqualis eſt complemẽto ſinus verſi eiuſdem arcus. Vt F K, ſinus complementi arcus A F, vel F C, æqualis eſt ipſi H E, complemento ſinus verſi A H, vel C H, arcus A F, vel F C.

Complementum ſinus verſi quid.

34. primi.



In eodem circulo, aut æqualibus, arcuum æqualium ſinus æquales ſunt; & contra. At arcuũ inæqualium ſinus inæquales ſunt; & contra.

PARI ratione in eodem circulo, vel in circulis æqualibus, ſinus tam recti, quàm verſi, aut ſinus complementorum arcuum æqualium, & quadrante minorum, æquales ſunt: Et contra, æqualium ſinuũ tam rectorum, quàm verſorum, aut ſinuum complementorum, arcus quadrãte minores æquales ſunt. Arcuũ verò inæqualium, & quadrante minorum, ſinus inæquales ſunt, ſinus quidem tam rectus quàm verſus maioris maior, minoris verò minor; ſinus autem complemẽti maioris arcus minor, & minoris maior; Et contra, inæqualium ſinuum tam rectorum, quàm verſorum, aut ſinuum complementorum, inæquales arcus ſunt, maioris quidem ſinus tam recti quàm verſi maior arcus, & minoris minor; maioris autem ſinus complementi arcus minor, & minoris maior. Sint enim arcus æquales B F, D G. Dico eorum ſinus rectos F K, G L, æquales eſſe; Item ſinus verſos K B, L D; nec non ſinus complementorũ E K, E L. Cum enim arcus B F, D G, æquales ſunt,

27. tertij.

erunt quoque anguli B E F, D E G, æquales. Sunt autẽ & recti anguli K, L, æquales, nec non & latera E F, E G, æqualia, vtpote ſemidiametri. Igitur & tam latera F K,

26. primi.

G L, quàm latera E K, E L, inter ſe æqualia erunt, nempe ſinus recti inter ſe, & ſinus complementorum inter ſe. Detractis autem E K, E L, æqualibus ex ſemidiametris E B, E D, reliqui erunt ſinus verſi K B, L D, æquales. quod eſt propoſitum. Sint iam ſinus æquales ſiue recti F K, G L, ſiue verſi K B, L D, ſiue ſinus complementorum E K, E L. Dico arcus B F, D G, eſſe æquales. Nam ſi F K, G L, ſint æquales, erunt eorum

quadrata

quadrata æqualia. Cum ergo quadrata rectarum E F, E G, *æqualia quoque sint, & illi quidem æqualia sint quadrata ex* F K, K E, *huic vero quadrata ex* G L, L E; *ac proinde duo quadrata ex* F K, K E, *duobus quadratis ex* G L, L E, *æqualia: si auferantur duo æqualia quadrata rectarum* F K, G L, *æqualia remanebunt quadrata ex* E K, E L; *ac proinde & rectæ* E K, E L, *æquales erunt. Quare cum latera* E F, E K, *lateribus* E G, E L, *æqualia sint, & basis* F K, *basi* G L, *æqualis; erunt anguli* F E B, G E D, *æquales; ac proinde & arcus* B F, D G, *æquales erunt. Quod si sinus complementorum* E K, E L, *sint æquales, ostendemus eodem modo, rectas* F K, G L, *æquales esse. Quare vt prius, erunt arcus* B F, D G, *æquales. Si tandem sinus versi* KB, L D, *ponantur æquales; ijs ablatis ex semidiametris* E B, E D, *relinquentur sinus complementorum* E K, E L, *æquales. Quare rursus ostendemus, vt prius, arcus* B F, D G, *æquales esse. quod erat ostendendum. Iam vero sit arcus* B F, *maior arcu* D M, *& ducatur sinus* M O. *Dico sinum rectum* F K, *maiorē esse sinu recto* M O: *Item sinū versum* K B, *maiorē sinu verso* O D: *sinū vero cōplementi* EK, *minorē sinu cōplementi* E O. *Posito enim arcu* DG, *æquali arcui* BF, *erunt, vt demonstrauimus, tam sinus recti* F K, G L, *quàm versi* K B, LD, *& sinus cōplementorū* EK, EL, *æquales. Cum ergo* LD, *maior sit, quàm* O D, *erit quoque sinus versus* KB, *sinu verso* OD, *maior: Item cū* EL, *minor sit, quàm* E O, *erit quoque sinus cōplementi* E K, *minor sinu cōplementi* E O. *Ducatur* M N, *ad* G L, *perpendicularis, eritque* N L, *ipsi* M O, *æqualis. Cum ergo* G L, *maior sit, quàm* N L, *hoc est, quàm* M O, *erit quoq; sinus rectus* F K, *maior sinu recto* M O. *quod demonstrandum erat. Sit denique tam sinus rectus* F K, *maior sinu recto* M O, *quàm sinus versus* K B, *sinu verso* O D; *& sinus complementi* E O, *maior sinu complementi* E K. *Dico sinui maiori tam recto, quàm verso respondentem arcum* B F, *maiorem esse arcu* D M, *qui minori sinui tam recto, quàm verso respondet. At maiori sinui complementi arcum respondentem* D M, *minorem esse arcu* B F, *qui minori sinui complementi respondet. Nam si* F K, *maior sit, quàm* M O, *auferatur* K P, *ipsi* M O, *æqualis, & ducatur* P Q, *ad* F K, *perpendicularis, ducaturque* Q R, *ad* B E, *perpendicularis, quæ ipsi* P K, *hoc est, ipsi* M O, *æqualis erit; ac proinde, vt paulò ante ostensum est, erunt arcus* B Q, D M, *æquales, propter æqualitatem sinuum rectorum* Q R, M O. *Cum ergo arcus* B F, *arcu* B Q, *maior sit, erit idem arcus* B F, *arcu* DM, *maior. Quòd si* K B, *maior sit, quàm* O D, *abscindatur* B R, *ipsi* D O, *æqualis, ducaturque* R Q, *ad* B E, *perpendicularis: Eruntq; arcus* B Q, D M, *vt paulo ante monstrauimus, æquales, ob æqualitatem sinuum versorum* R B, O D. *Quare cū arcus* B F, *maior sit arcu* B Q, *erit idem arcus* B F, *arcu* D M, *maior. Si tandem maior sit* E O, *quàm* E K, *detrahatur* E L, *ipsi* E K, *æqualis, ducaturque ad* E D, *perpendicularis* L G: *Eruntq; arcus* B F, D G, *ob æqualitatem sinuum complementorum* E K, E L, *æquales, vt paulo ante fuit ostensum. Quam ob rem cum arcus* D M, *arcu* D G, *sit minor, erit idem arcus* D M, *arcu* B F, *minor. Quod est propositum.*

47. primi. 8. primi. 26. tertij. 34. primi. 34. primi.

Anguli æquales habent sinus æquales, &c.

IDEM *prorsus dicendum est de sinubus angulorum. Nam & anguli æquales habent sinus æquales tam rectos, quam complemētorum, & versos, &c. propterea quod æquales anguli insistunt in centro æqualibus arcubus, &c.*

Si in triangulo rectāgulo latus recto angulo oppositū sit sinus totus, erit vtrumuis laterum reliquorum sinus rect[us] anguli acuti oppositi.

POSTREMO *in omni triangulo rectangulo, si latus recto angulo oppositum ponatur sinus totus, reliqua duo latera sunt sinus recti reliquorum angulorum acutorum, quibus opponuntur. Vt in triangulo rectangulo* EKF, *in quo* E F, *est sinus totus, vtpote semidiameter circuli ex* E, *descripti, latus* F K, *est sinus rectus anguli* F E K, *ex defin. 6. Sic quoque si idem circulus ex* F, *describeretur, esset latus* E K, *sinus rectus anguli* E F K, *ex eadem defin. 6. Quod etiam hinc patet, quòd angulus* E F K,

O æqualis

29 primi. *æqualis eſt angulo alterno* A E F; *cuius ſinus rectus eſt, ex defin.* 6 *recta* F H, 34 primi. *quæ quidem æqualis eſt lateri* E K. *Eodem pacto vtrumuis reliquorum laterum in triangulo rectangulo eſt ſinus complementi anguli acuti ſibi adiacentis, nempe ſinus complementi illius arcus, cuius alterum latus eſt ſinus rectus. Vt in eodem triangulo rectangulo* E K F, *latus* F K, *eſt ſinus complementi anguli* E F K, *ſiue arcus* F A, *cuius ſinui recto* F H, *alterũ latus* E K, *æquale eſt. Item latus* E K, *æquale eſt ipſi* F H, *ſinui complementi anguli* F E K, *ſiue arcus* F B, *cuius alterum latus* F K, *ſinus rectus eſt. Sed iam lemma, cuius ſupra fecimus mentionem, demonſtremus.*

Si in triangulo rectãgulo latus recto angulo oppoſitũ ſit ſinus totus, erit vtrumui reliquorum alterum latus ſinus rectus eſt.

LEMMA.

SI in circulo recta linea è centro ducta aliam rectam non per centrum ductam bifariam ſecet, ſecabit eadem & arcum, cui illa recta ſubtenditur, bifariam: Et ſi arcum ſecet bifariam, ſecabit quoque rectam ei ſubtenſam bifariam.

Recta linea è cẽtro ducta ſecans aliam rectã bifariã ſecat quoque arcum, cui illa ſubtenditur, bifariam: Et cõtra.

SECET in eadem figura recta E A, rectam F G, bifariam in H. Dico eandem ſecare quoque arcum F G, bifariã in A, & contra. Ducta enim recta E G; quoniã duo latera EF, EH, triãguli E F H, æqualia ſunt duobus lateribus E G, E H, trianguli E G H, vtrumq; vtrique; baſisq; H F, baſi H G, ponitur 8 primi. *æqualis; erit angulus F E H, angulo G E H,* 26 tertij. *æqualis. Igitur arcus A F, arcui A G, æqualis erit. Quod eſt propoſitũ.*



VERVM ſecet iã recta E A, arcum F G, bifariam in A. Dico eandem ſecare quoque rectam F G, bifariam in H. 27 tertij. *Quoniam enim arcus A F, A G, æquales ſunt, erunt quoq; anguli F E H, G E H, æquales. Igitur cum & duo latera E F, E H, trianguli E F H, duobus lateribus E G, E H, trianguli E G H, æqualia ſint; erunt & baſes H F, H G, æquales. Quod eſt propoſitum.* 4 primi.

EX hoc ſequitur, rectam E A, quæ arcum F G, bifariam ſecat in A, ſecare quoque rectam F G, bifariam in H; vt ſupra poſuimus.

QVO-

QVONIAM vero Sinus totus (hoc est, semidiameter cuiusuis circuli) intelligitur ab Astronomis diuisus in aliquot partes æquales, vt ratione harum partium omnes alios sinus metiantur, proportionesve omnium sinuum ad sinum totum, siue ad semidiametrum in numeris exprimant; explicādum paucis erit, in quot partes semidiametrum distribuerint: Neque enim omnes eodem modo eam sunt partiti. Ptolemæus namque semidiametrum secat in 60. partes æquales, totam vero diametrum in 120. Quamlibet deinde partem concipit diuisam esse in 60. Minuta, & quoduis Minutum in 60. Secunda. Hanc diuisionem omnes fermè antiqui, & nonnulli ex recentioribus, inter quos est Orontius, secuti sunt. Supputauit autem Ptolemæus lib. 1. Almagesti tabulam omnium chordarum, quæ arcubus semicirculi dimidiato gradu sese ordine superantibus, initio facto ab arcu 30. Minutorum, respondēt, in partibus, quarum 120. tota diameter continet. Orontius vero tabulam condidit omnium sinuum, qui arcubus quadrantis vno Minuto sese ordine superantibus, initio facto ab arcu 1. Minuti, respondent, in partibus, quarum 60. semidiameter, seu sinus totus continet. ArZahel vero Arabs constituit semidiametrum partium 150. ac proinde totam diametrum partium 300. quas quidem partes rursus distribuit in Minuta, & Secunda, vt Ptolemæus. Sed vtrouis modo semidiameter, siue diameter diuidatur, permolestum est, alios omnes sinus siue chordas in eiusmodi partibus inuestigare, cum semper multiplicatio, diuisio, extractioq; radicum per fractiones Astronomicas instituenda sit; Vel certe Partes in Minuta, ac Secunda conuertendæ, & contra, Minuta ac Secunda in Partes: quæ res valde laboriosa est non solum parum exercitatis in Arithmeticis, verum etiam peritissimis.

Omnes sinus exprimuntur in partibus, in quas sinus totus concipitur esse diuisus.

Semidiameter circuli in quot partes secetur à Ptolemęo & Arzahele.

QVAMOBREM alij Astronomi, inter quos est Georgius Purbachius, Ioannes Regiomontanus. Petrus Appianus, semidiametrum, hoc est, sinum totum, in multo plures particulas æquales partiti sunt, vtpote in partes 10000000. vel 100000. Ita enim opus non erit partes has in Minuta, ac Secunda distribuere; cum vna harum partium sit vel multo minor, quàm vnum Secūdum semidiametri in partes 60. secundum Ptolemæum diuisæ, vel certe non multo maior. Nam vnum Secundum est $\frac{1}{216000}$ totius semidiametri diuisæ in 60. partes, cum 60. partes contineant 216000. Secunda: At vna particula semidiametri diuisæ in partes 10000000. vel 100000. est $\frac{1}{10000000}$. vel $\frac{1}{100000}$. totius semidiametri. Constat autē minutiā hāc $\frac{1}{10000000}$. esse multo minorē illa $\frac{1}{215000}$. hanc vero $\frac{1}{100000}$. non esse multo maiorē illa eadem $\frac{1}{216000}$. Itaque etiāsi in sinu aliquo negligatur interdum vna ferme particula ex 10000000. particulis sinus totius, multò tamen minor error committetur, quàm si negligatur vnum ferè secundum ex 216000. Secundis, in quæ sinus totus intelligitur esse diuisus: Si vero negligatur vna ferè particula ex 100000. particulis sinus totius, non multò maior error cōmittetur, quàm si negligatur vnum fere secundum ex 216000. secundis, in quæ sinus totus distribuitur.

Cōmodior est diuisio semidiametri, vel sin⁹ totius in particulas 10000000. vel 100000. quàm in 60.

SVNT etiam, qui distribuant sinum totum in partes 6000000. vel 60000. extantq; tabulæ sinuū à Ioan. Regiom. compositæ, in quibus sinus totus tot particulas ponitur continere: sed magis in vsu est apud Astronomos diuisio sinus totius in particulas 10000000. vel 100000. Immo communis fere vsus omnium obtinuit, vt in supputationibus, quæ ex sinubus depromuntur, sinus totus statuatur particularum 100000. qualem & nos tam in sphæra, quàm in Gnomonica alijsque operibus constituimus: quamuis, quo maior fuerit sinus totus, eo etiam accuratior supputatio atque calculus reddatur. Construxit porrò Ioan. Regiom. tabulam omnium Sinuum,

Quantus sit sinus totus secundum communem vsum, & quātus ab auctore statuatur. Item eo fieri calculū accuratiorem, quo maior fuerit sinus totus. qui arcubus quadrantis vno Minuto sese ordine superantibus respondent, in partibus sinus totius in partes 10000000. diuisi, initio facto ab arcu 1. Minuti: quam nos summa cura, ac diligentia examinauimus, & in quibusdam locis correximus; quoniam propter typographorum incuriam mendis omnino non carebat. Hanc tabulam emendatam infra subÿciemus, si prius demonstrationes ex Ioanne Regiomontano potissimum decerptas exponamus, quibus omnium arcuum sinus numeris exprimi possint in partibus sinus totius in quotuis partes distributi. Post tabulæ vero vsum subÿciemus quoque Ptolemæi & aliorum demonstrationes, quibus omnium arcuum chordæ numeris exprimantur, ex quibus rursus facili negotio tabula sinuũ construi potest.

ATQVE in primis, si in plano aliquo Quadrans tantæ magnitudinis construeretur, vt eius arcus commode in 90. gradus, & singuli gradus in 60. Minuta, itemque vtraque eius semidiameter, siue sinus totus, in 10000000. partes æquales, vel etiam in plures, paucioresve diuidi posset, facili negotio sine vlla supputationis molestia, aut labore, omniũ sinuũ magnitudines cognoscerẽtur, si ex singulis arcus Minutis rectæ ad vtramque semidiametrũ perpendiculares ducerentur. Vt in quadrãte hoc

Quo pacto omnes sinus possint cognosci in maximo aliquo quadrante, sine vllo supputationis labore, aut molestia. ABC, si arcus BC, in Gradus, ac Minuta secetur; (Nos ob spatÿ angustias eum in nouem partes secuimus, vt singulæ denos complectãtur gradus.) Item vtraque semidiameter in 10000000. particulas, vel in plures, paucioresve distribuatur, atque ad vtramque semidiametrum perpendiculares ducantur: erunt perpendiculares ad semidiametrum AB, ductæ, sinus recti arcuum quadrantis à puncto B, incipientium, quibus æquales sunt portiones semidiametri AC, inter punctum A, & perpẽdiculares ad semidiametrum AC, ductas. Quot ergo particulas cõtinebunt hæ portiones ex illis 10000000. tot particularũ erunt sinus recti arcũ quadrantis. Eodem modo



34. primi.

tam sinus complementorum arcuum eorundem, quàm sinus versi cognoscentur. Perpendiculares enim ad semidiametrum AC, demissæ sunt sinus complementorum, quibus æquales sunt portiones semidiametri AB, inter punctum A, & perpendiculares

34. primi. ad semidiametrum AB, ductas: Portiones vero eiusdem semidiametri AB, inter punctum B, & dictas perpendiculares sunt sinus versi eorundem arcuum à puncto B, incipientium. Sed quoniam fieri non potest, vt Quadrans tantæ magnitudinis reperiatur, qui commode tot diuisiones recipiat, inuestigabimus sinuum magnitudines per demonstrationes Geometricas, posito sinu toto quotcunq; particularum, sequentibus propositionibus. Satis autem erit, sinus rectos omnium arcuum inquiramus: ex his enim cognitis & sinus complementorum, & versi eorundem arcuum patefient, vt in vsu tabulæ Sinuum exponemus.

THEO-

THEOR. 1. PROPOS. 1.

IN Quadrante circuli ſumptis arcubus æqualibus, ſi ab eorum terminis ad alterutram ſemidiametrorum, vel ad rectam ſemidiametro parallelam, perpendiculares ducantur; erunt ſegmenta ſemidiametri, vel illius parallelæ inter illas perpendiculares intercepta, inæqualia, maiusq́; erit illud, quod alteri ſemidiametro propinquius eſt.

Perpēdiculares ex arcubus quadrātis æqualibus ad alterutrā ſemidiametrorum, vel ad rectam ſemidiametro parallelam ductę auferũt ſegmenta inæqualia, maiuſq́; eſt illud, qđ alteri ſemidiametro ꝓpinquius eſt.

SIT Quadrans ABC, in quo arcus æquales ſint D E, E F, à quorum terminis ad ſemidiametrum A C, vel ad rectam R S, ipſi A C, parallelam perpendiculares ducantur D K G, E L H, F M I. Dico ſegmenta G H, H I, vel K L, L M, inæqualia eſſe, maiusque eſſe G H, quàm H I, vel K L, maius, quàm L M. Completo enim ſemicirculo B C N, producantur rectæ D G, E H, F I, vſque ad O, P, Q. Ductis quoque rectis E T, F V, ad D O, E P, perpendicularibus, iungantur rectæ E O, F P. Et quoniam arcus D E, E F, æquales ſunt, erunt anguli quoque D OE, E P F, illis inſiſtentes, æquales: Sunt autem & recti anguli T, V, æquales. Igitur cum tres anguli trianguli E O T, tribus angulis trianguli F P V, ſint æquales; quòd tam illi, quàm hi duobus rectis ſint æquales; erit & reliquus angulus T E O, reliquo angulo V F P, æqualis: ac propterea æquiangula erũt triãgula E O T, F P V. Quare erit vt O E, ad E T, ita P F, ad F V: Eſt autē recta O E, maior, quàm recta P F; quod illa centro propinquior ſit, quàm hęc. Igitur & recta E T, maior eſt, quàm recta F V. Cum ergo recta E T, æqualis ſit ſegmentis G H, K L, ob parallelogramma T H, T L; & recta F V, ſegmentis H I, L M, ob parallelogramma V I, V M; erit quoque ſegmentum G H, maius ſegmento H I, & ſegmentum K L, ſegmento L M. In quadrante ergo circuli ſumptis arcubus æqualibus, &c. Quod erat demonſtrandum.



27. tertij.

32. primi.

4. ſexti.
15. tertij.

34. primi.

BREVIVS. Ducatur recta D F, ſecans ſemidiametrum ductam A E, in Z, & rectam E H, in a, producaturq́ue recta F V, vſque ad b. Quoniam igitur arcus D F, ſectus eſt bifariam in E, ſecta quoque erit recta D F, bifariam in Z, ex lemmate in definitionibus poſito, ac proinde D a, maior erit quàm

a E.

3. sexti.

a F. Cum ergo sit, vt D a, ad aF, ita b V, ad V F, erit quoque b V, maior, quàm V F, hoc est, G H, maior, quàm H I; & K L, maior quàm L M.

COROLLARIVM.

Differentię sinuũ recto rũ à principio quadrã tis vsq; ad eius finem sensim decrescunt: adeo vt sin⁹ minorũ ar cuũ maiores habeãt differẽtias, quàm sin⁹ arcuũ maiorũ; dũ modo arc⁹ habeãt differentias ęquales.

CONSTAT ex hac propositione, si quotcunque arcus quadrãtis à semidiametro eadẽ incipientes habeant æquales differentias, excessusve; sinus rectos minorum arcuum habere maiores differentias, quàm sinus arcuum maiorum; adeo vt differentiæ sinuum à principio quadrantis ad finem vsque semper decrescant. Nam si in eadem figura huius propos. accipiatur arcus F X, arcubus D E, E F, æqualis, ducaturque recta X Y, ad semidiametrum A C, perpendicularis, habebunt quatuor arcus B X, B F, B E, B D, æquales excessus, cum B X, ipsum B F, superet arcu F X; & B F, ipsum B E, arcu E F, qui arcui F X, positus est æqualis; & arcus B E, arcum B D, arcu D E, qui arcui E F, æqualis est. Sinus autem recti eorum arcuum sunt A Y, A I, A H, A G, vt supra in expositione definitionum docuimus, cum sint partes semidiametri A C, inter centrum A, & sinus complementorum interiectæ, vt patet. Et quoniam in hac propos. demonstrauimus, rectam G H, maiorem esse, quàm H I, & H I, maiorem, quàm I Y; liquet, excessum G H, inter sinus arcuum minorum B E, B D, maiorem esse excessu H I, inter sinus arcuum maiorum B F, B E: Item excessum H I, inter sinus arcuum minorum B F, B E, maiorem esse excessu I Y, inter sinus maiorum arcuum B X, B F. Eademque ratio est de cæteris. Constat igitur, differentias sinuum rectorum sensim decrescere à principio quadrantis vsque ad eius finem: Id quod perspicuè ex sinuum tabula apparet.

PROBL. 1. PROPOS. 2.

Latera Decagoni, & Pentagoni in vno eodemq; circulo quo pacto inueniantur.

LATERA Decagoni, & Pentagoni æquilateri in vno eodemq; circulo inuestigare.

QVAMVIS hæc latera inueniantur per ea, quæ ab Euclide lib. 4. sunt demonstrata: nihilominus eadem à Ptolemæo lib. 1. Almagesti cap. 9. inuestigantur ratione alia, quæ ad plurimorum sinuum inuentionem multum conducit. Est autem hæc ratio. Sit circulus, vel (quod satis est) semicirculus ABC, ad cuius diametrum A C, ex D, centro educatur perpendicularis D B. Diuisa quoque semidiametro C D, bifariam in E, ducatur recta E B, cui ęqualis abscindatur E F, iungaturque recta F B. Dico rectam B F, esse latus Pentagoni, & D F, latus Decagoni in circulo A B C. Cum enim recta C D, secta sit bifariam in E, eique addita D F; erit rectangulum sub C F, DF, vna cum quadrato rectæ D E, æquale quadrato rectæ E F, ideoq; quadrato rectæ E B, quæ ipsi E F, ęqualis est: Est autem quadratum rectæ E B, æquale quadratis rectarum B D, D E. Igitur rectangulum sub C F, D F, vnà cum quadrato rectæ D E, æquale est quadratis rectarum B D, D E: Ac proinde, dempto communi quadrato rectæ D E, relinquetur rectangulum sub C F, D F, æquale quadrato rectæ B D, hoc est, quadrato rectæ C D. Quamobrem erit, vt C F, ad C D, ita C D, ad D F; propterea que recta C F, diuisa erit in D, extrema ac media ratione. Cum igitur maius segmentum C D, sit latus Hexagoni in circulo A B C, ex coroll



6. secundi.

47. primi.

17. sexti.

roll. propos. 15. lib. 4. Eucl. erit minus segmentum D F, latus Decagoni in eodem circulo, vt ad propos. 9. lib. 13. Eucl. demonstrauimus. Rursus quoniam quadrato lateris Hexagoni B D, vna cum quadrato lateris Decagoni D F, æquale est quadratum lateris Pentagoni in eodem circulo: Est autem eisdem quadratis rectarum B D, D F, æquale quadratum rectæ B F; erit quadratum lateris Pentagoni æquale quadrato rectæ B F; ac propterea recta B F, lateri Pentagoni æqualis. Latera igitur Decagoni, & Pentagoni æquilateri in vno eodemque circulo inuestigauimus. Quod faciendum erat.

10. tertij dec.

47. primi.

PROBL. 2. PROPOS. 3.

EX sinu recto cuiusuis arcus quadrante minoris cognito, sinum complementi eiusdem arcus; Itẽ ex chorda cuiusuis arcus semicirculo minoris, chordam reliqui arcus semicirculi cognoscere.

Ex sinu recto cuiusuis arcus quo pacto sinus complementi eiusdem arcus, & ex chordâ cuiusuis arcus qua ratione chorda reliqui arcus semicirculi cognoscatur.

SIT primo cognitus sinus rectus D E, arcus B D, cuius arcus complementi sinus sit D F, quem cognoscere debemus. Ducta recta D A, erit quadratum rectæ D A, æquale quadratis rectarum D E, E A. Si igitur ex quadrato sinus totius D A, noti (Ponitur enim sinus totus particularum certo numero comprehensarum) detrahatur quadratũ sinus recti D E, cogniti in partibus sinus totius D A, relinquetur quadratum rectæ E A, notum; ac proinde per radicem quadratam recta E A, in eisdem partibus nota erit. Cum ergo recta E A, æqualis sit sinui complementi arcus B D, hoc est, rectæ D F, cognitus erit D F, sinus complementi arcus B D, cuius sinus rectus D E, notus est positus.

47. primi.



34. primi.

SIT deinde cognita chorda A B, arcus A B, & chorda BC, subtendens reliquum arcum B C, semicirculi, quam iubemur inuestigare. Quoniam angulus B, rectus est in semicirculo, erit quadratum diametri A C, æquale quadratis chordarum A B, B C. Si igitur ex quadrato diametri A C, notæ (Ponitur enim diameter diuisa in particulas certo numero comprehensas) dematur quadratum chordæ A B, notæ in partibus diametri A C, notum relinquetur quadratum chordæ B C; ac proinde per radicem quadratam chorda B C, in eisdem partibus nota efficietur. Ex sinu igitur recto cuiusuis arcus, &c. cognouimus. Quod faciendum erat.

31. tertij. 47. primi.

COROLLARIVM.

HINC efficitur, sinum versum cuiusuis arcus cognosci quoque ex cognito sinu recto. Quoniam enim ex sinu recto D E, cognoscitur sinus complementi D F, hoc est, A E; si sinus comple-

Sinus versus cognoscitur ex cognito sinu recto.

complementi dati arcus B D, auferatur ex ſinu toto A B, notus relinquetur ſinus verſus E B, dati arcus B D. Pari ratione, ſi ſinus rectus D E, hoc eſt, A F, dati arcus B D, dematur ex ſinu toto A C, notus relinquetur ſinus verſus C F, complementi dati arcus B D.

THEOR. 2. PROPOS. 4.

Cuiuſuis arc⁹ quadrãte minoris ſin⁹ rectus medio loco ꝓportionalis eſt inter ſemiſſẽ ſinus totius, & ſinũ verſum alteri⁹ arc⁹, q prioris duplus eſt, & quadrante quoque minor.

SINVS rectus cuiuſlibet arcus quadrante minoris medio loco proportionalis eſt inter ſemiſſem ſemidiametri, ſeu ſinus totius, & ſinum verſum arcus alterius, qui prioris arcus duplus eſt, & quadrante quoque minor.

SIT arcus quicunque C E, quadrante minor, cuius dimidium ſit C D. Diuiſa autem ſemidiametro A C, bifariã in G, ducatur ex E, ad A C, perpendicularis EF, iungaturque recta A D, quæ ductã chordam C E, ſecabit in H, bifariam, ex lemmate à nobis ad definitiones ſupra demonſtrato, atque adeo & ad angulos rectos. Erit igitur C H, ſinus rectus arcus C D, & C F, ſinus verſus arcus C E, qui duplus eſt arcus C D, cum E F, ſit eiuſdem arcus C E, ſinus rectus: vt ex definitionibus conſtat. Dico C H, ſinum rectum arcus C D, medio loco eſſe proportionalẽ inter C G, dimidiũ ſinus totius, & C F, ſinum verſum arcus C E, qui arcus C D, duplus eſt. Quoniã enim duo anguli A C H, A H C, trianguli ACH, æquales ſunt duobus angulis ECF, E F C, trianguli E C F, quod angulus C, vtrique triangulo ſit communis, & anguli H, F, recti; æquiangula erunt triangula A C H, EC F. Igitur erit, vt A C, ad C H, ita E C, ad C F: Et permutando, vt A C, ad C E, ita C H, ad C F. Vt autem A C, ad C E, ita eſt C G, dimidium ipſius A C, ad C H, dimidium ipſius C E. Igitur erit quoque vt C G, ad C H, ita C H, ad C F; ac propterea C H, ſinus rectus arcus C D, medio loco proportionalis eſt inter C G, ſemiſſem ſinus totius, & C F, ſinum verſum arcus C E, qui arcus C D, duplus eſt. Igitur ſinus rectus cuiuſlibet arcus quadrante minoris, &c. Quod demonſtrandum erat.

3. tertij.



32. primi.
4. ſexti.
15. quinti.

COROLLARIVM.

Ex ſinu recto cuiuſuis arcus cognito notus fit ſinus rectus alterius arcus, qui illius dimidiũ ſit

31. primi.
3. huius,
17. ſexti.

COLLIGITVR hinc, ſi ſinus rectus alicuius arcus cognitus ſit, notum etiam fieri ſinum rectum alterius arcus, qui illius dimidium ſit: ita vt ex E F, ſinu recto arcus C E, cognito cognoſcatur etiam C H, ſinus rectus arcus C D, qui dimidium eſt arcus C E. Nam ex noto ſinu recto E F, notus fiet ſinus E I, complementi: quo ablato ex ſinu toto A C, (æqualis enim eſt ſinus E I, rectæ A F.) notus relinquetur ſinus verſus C F, arcus C E, vt in coroll. præcedentis propoſ. dictum eſt. Cum ergo ſinus C H, ſit medio loco proportionalis inter medietatem ſinus totius, & ſinum verſum C F, vt oſtendimus; erit rectangulum ſub dimidio ſinus totius, & ſinu verſo C F, contentum æquale quadrato ſinus C H. Quare ſi multiplicetur medietas ſinus totius in ſinum verſum C F, producetur quadratus numerus ſinus finus C H, cuius radix quadrata notum dabit finum rectum C H. Eademque ratio est de cæteris.

IDEM hac etiam ratione ostendi potest. Quoniam enim E F, sinus rectus arcus C E, notus ponitur, cognoscetur & E I, sinus complementi eiusdem arcus, hoc est, recta A F, illi æqualis. Detracta igitur recta A F, hoc est, sinu complementi arcus C E, ex sinu toto A C, cognitus erit sinus versus F C, arcus eiusdem C E, vt etiam in coroll. propos. 3. ostendimus. Quia vero quadratum rectæ C E, æquale est quadratis rectarum E F, F C; fit, vt quadrata rectarum E F, F C, notarum in vnam summam collecta efficiant quadratum rectæ C E: cuius radix quadrata ipsam rectam C E, reddet notam; ac proinde huius radicis dimidium dabit C H, sinum rectum arcus C D, qui dimidium est dati arcus C E, notum. 3. huius. 34. primi.

VICISSIM ex hac eadem propos. 4. colligitur, si sinus rectus alicuius arcus cognitus sit, notum etiam fieri sinum rectum alterius arcus, qui illius duplus sit, dummodo quadrante sit minor: ita vt ex C H, sinu recto arcus C D, cognito cognoscatur etiam E F, sinus rectus arcus C E, qui arcus C D, est duplus. Cum enim sinus C H, sit medio loco proportionalis inter medietatem sinus totius, & sinum versum F C, vt ostendimus; erit rectangulum sub dimidio sinus totius, & sinu verso F C, contentum æquale quadrato sinus recti C H. Quare quadratum sinus C H, noti erit illud rectangulum; quo diuiso per dimidium sinus totius, notus euadet sinus versus F C. Quia vero recta C E, cum sit dupla sinus C H, noti nota est, erit & eius quadratum notum: à quo si auferatur quadratum sinus versi F C, noti, relinquetur etiam quadratum rectæ E F, notum; (cum quadratū rectæ C E, quadratis rectarum C F, F E, sit æquale.) ac proinde radix quadrata illius notum dabit sinum rectum E F. Ex sinu recto cuiusuis arc⁹ cognito not⁹ fit sinus rectus alteri⁹ arc⁹, qui illi⁹ sit dupl⁹ dummodo quadrante minor sit.

SCHOLIVM.

QVOD si quando perpendicularis E F, *semidiametrum* A C, *secet bifariam, vt in hac figura contingit, erit adhuc* C H, *sinus arcus* C D, *medio loco proportionalis inter* C F, *semissem sinus totius, & C F, sinū versum arcus CE, qui arcus CD, duplus est. Erūt enim rursum triangula* A C H, E C F, *æquiangula; ac proinde, vt* A C, *ad* C H, *ita* E C, *ad* C F: *Et permutando, vt* A C, *ad* C E, *ita* C H, *ad* C F. *Cum ergo sit, vt* A C, *ad* C E, *ita* C F, *dimidium ipsius* A C, *ad* C H, *dimidium ipsius* C E; *erit quoq; vt* C F, *ad* C H, *ita* C H, *ad* C F: *proptereaq;* C H, *sinus rectus arcus* C D, *medio loco proportionalis est inter* C F, *semissem sinus totius, &* C F, *sinum versum arcus* C G, *qui duplus est arcus* C D. 4. sexti. 15. quinti.



HINC fit, si perpendicularis E F, *semidiametrum* A C, *secet bifariam, rectam* C H, *æqualem esse rectæ* C F. *Si enim maior esset, aut minor, non posset esse, vt* C F, *ad* C H, *ita* C H, *ad* C F: *cum vna proportio esset maioris inæqualitatis, & altera minoris inæqualitatis.*

THEOR 3. PROPOS. 5.

SINVS rectus arcus graduum 54. componitur ex semisse sinus totius, & sinu recto arcus grad 18. Sinus autem versus arcus grad. 72. componitur ex semisse sinus totius, & sinu verso arcus grad. 36. Sinus rect⁹ grad. 54. æqualis est semissi sin⁹ toti⁹, & sinui gra. 18. simul. Sin⁹ aūt versus grad. 72 æqualis est semissi sinus totius, & sinui verso grad 36. simul.

IN quadrante ABC, sit BD, arcus grad. 54. ac proinde eius cõplementum C D, grad. 36. quod diuidatur bifariam in H, vt vterq; arcuũ CH, H D, habeat grad. 18. Ducatur D M, ad AB, perpendicularis pro sinu arcus grad. 54. & D E, ad AC, perpẽdicularis pro sinu arcus grad. 36. Iungatur quoq; recta AH, quæ per lẽma in definitionibus demonstratũ secabit rectã C D, in I, bifariam, ac proinde & ad angulos rectos: eritq; propterea C I, sinus rectus arcus C H, grad. 18. Sũpta tandẽ recta E F, ipsi E C, æquali, diuidantur A C, A F, bifariã in G, K, & ex K, ad A C, perpendicularis ducatur K L. Dico sinum rectũ D M, arcus grad. 54. hoc est, rectam A E, illi equalẽ, componi ex A G, dimidio sinus totius, & ex C I, sinu recto arcus grad. 18. hoc est, rectam G E, (quæ cũ A G, constituit totam rectã A E,) equalẽ esse sinui recto CI. Item sinũ versum arcus grad. 72. componi ex dimidio sinus totius, & ex C E, sinu verso arcus C D, grad. 36. hoc est, rectam E K, (quæ cum sinu verso C E, rectam C K, componit) æqualem esse dimidio sinus totius, ipsam vero C K, esse sinum versum arcus grad. 72. hoc est, arcum C L, (cuius sinus versus est C K,) esse grad. 72. Ducta enim recta L N, ad A B, perpendiculari, pro sinu arcus B L, iungantur rectæ A D, D F. Quoniam igitur arcus C H, grad. 18. continet $\frac{1}{5}$. quadrantis B C, (quòd quinquies 18. faciant 90.) continebit arcus C D, $\frac{2}{5}$. eiusdem quadrantis, ac proinde proportio arcus C D, ad arcum B C, erit vt 2. ad 5. Est autem, vt arcus C D, ad arcum B C, ita angulus C A D, ad rectum angulum B A C. Igitur proportio anguli C A D, ad angulum rectum B A C, erit quoque, vt 2. ad 5. ac proinde angulus C A D, continebit $\frac{2}{5}$. vnius anguli recti. Cum ergo tres anguli trianguli C A D, contineant $\frac{10}{5}$. vnius recti, hoc est, æquales sint duobus rectis, sintque inter se æquales duo anguli A C D, A D C; continebit vterque eorum $\frac{4}{5}$. vnius recti. Et quoniam angulus D F C, angulo D C F, est æqualis, quòd & rectę DF, DC, æquales sint; (cum enim D E, E F, latera trianguli D E F, æqualia sint lateribus D E, E C, trianguli D E C, angulosque ad E, contineant æquales, vtpote rectos; æquales erunt bases D F, D C,) continebit quoque angulus D F C, $\frac{4}{5}$. vnius recti; ac proinde reliquus angulus D F A, ex duobus rectis, hoc est, ex $\frac{10}{5}$. vnius recti, continebit $\frac{6}{5}$. vnius recti. Cum ergo angulus D A F, ostensus sit continere $\frac{2}{5}$. vnius recti, & omnes tres anguli in triangulo A F D, contineant $\frac{10}{5}$. vnius recti, continebit angulus A D F, $\frac{2}{5}$. vnius recti, propterea que angulo D A F, æqualis erit. Quare æqualia erunt latera D F, A F. Cum ergo recta D F, rectæ D C, ostensa sit æqualis, erit & recta A F, rectæ DC, æqualis: ideoque & k F, medietas ipsius A F, ipsi C I, medietati ipsius D C, æqualis erit.

3. tertij. 34 primi. 33. sexti. 32. primi. 5. primi. 5. primi. 4. primi. 32. primi. 6. primi.

RVRSVS quoniam A K, K F, æquales sunt; additis æqualibus E C, F E, erit recta composita ex A k, E C, æqualis rectæ K E: ac proinde K E, medietas erit semidiametri A C; quandoquidem A C, diuisa est in duas partes æquales, quarum vna est K E, altera vero, recta ex A K, E C, composita. Est igitur K E, æqualis ipsi C G. Ablata ergo communi recta G E, remanebunt æquales G K, E C. Est autem E C, sumpta ipsi E F, æqualis. Igitur & G K, ipsi E F, æqualis erit; additaque communi recta F G, erit E G, ipsi F K, æqualis, hoc est, ipsi C I, cui ostendimus suprà rectam k F, esse æqualem. Com-

poni-

ponitur ergo A E, (quæ sinui D M, arcus grad. 54. æqualis est.) ex A G, medietate sinus totius, & G E, quæ æqualis est ostensa sinui C I, arcus grad. 18. Quod est primum.

IAM vero, quoniam K F, ipsi E G; & E G, ipsi C I, ostensa est æqualis: erit K F, sinui recto C I, æqualis: Est autem K F, ipsi A K, æqualis. Igitur erit quoque A K, ipsi C I, æqualis. Cum ergo A K, sinui L N, sit æqualis, erit etiam sinus L N, sinui C I, æqualis. Est autem C I, sinus arcus grad. 18. Igitur & L N, sinus erit arcus grad. 18. ac proinde arcus B L, cuius sinus est L N, continebit grad. 18. ideoque eius complementum C L, continebit grad. 72. cuius sinus versus K C, cōponitur ex C G, medietate sinus totius, & ex G K, quæ sinui verso E C, arcus C D, grad. 36. ostensa est æqualis. Quod est secundum. Itaque Sinus rectus arcus graduum 54. componitur, &c. Quod erat demonstrandum. 34. primi.

COROLLARIVM.

CONSTAT ex his, triangulum A C D, cuius basis C D, subtēdit gradus 36. verticemq; habet in centro, esse Isosceles, cuius vterque æqualium angulorum C, D, reliqui anguli ad centrum duplus est. Nam angulus C A D, ostensus est continere $\frac{2}{5}$. vnius recti, vtrumque vero C, & D, $\frac{4}{5}$.

THEOR. 4. PROPOS. 6.

DIFFERENTIA chordarū duorum arcuū semicirculi, quorum alter tāto minor sit arcu grad. 120. quanto alter maior est, æqualis est chordæ arcus, quo alteruter dictorum arcuum ab arcu grad. 120. differt.

Differentia inter chordas duorū arcuū, quorū alter tā to sit minor arcu grad. 120. quāto alter maior est, æqual. chordæ arcus, quo alteruter dictorū arcuū differt ab arcu grad. 120.

IN semicirculo A B C, sit arcus B A, grad. 120. arcus vero B D, eo tanto minor, quanto arcus B E, maior est; quorum chordæ B D, B E: abscindaturque B F, ipsi B D, æqualis, & iungantur rectæ A D, A E, A F. Dico E F, differentiā duarū chordarum B D, B E, æqualem esse chordæ A E, vel A D. Cōpleto enim circulo, & inscripto triāgulo æquilatero ABG, cuius vnum latus est AB, chorda arcus grad. 120. cum subtendat tertiā circunferentiæ partem; erit angulus AGB, tertia pars duorum rectorum. Cum ergo ei æqualis sit angulus A E B, in eodem cum illo existens 32. primi. 21. tertij.



ſegmento A G B; erit & A E B, tertia pars duorum rectorum. Deinde, quoniam latera D B, B A, trianguli D B A, lateribus F B, B A, trianguli F B A, æqualia ſunt, anguloſque continent æquales; erunt baſes A D, A F, inter ſe æquales. Cum ergo A D, ipſi A E, æqualis ſit, propter æquales arcus A D, A E; erit & A F, eidem A E, æqualis; ac propterea anguli A E F, A F E, æquales inter ſe erunt: Eſt autem A E F, vt oſtendimus, tertia pars duorum rectorum. Igitur & A F E, tertia pars erit duorum rectorum; atque adeo & reliquus E A F, tertia pars erit duorum rectorum. Quare triangulum A E F, æquilaterum erit, ex coroll. propoſ. 6. lib. 1. Eucl. ideoque recta E F, differentia chordarum B D, B E, chordæ A E, vel A D, æqualis erit. Differentia ergo chordarum duorum arcuum ſemicirculi, &c. quod erat demonſtrandum.

27. tertij.
29. tertij.
5. primi.
32. primi.

COROLLARIVM.

Duæ chordę duorum arcuũ cõficiẽtiũ gra. 120. ſimul ęquales ſũt chordę arc⁹ cõpoſiti ex arcu grad. 120. & arcu minore illorum duorum.

SEQVITVR hinc, ſi duorum arcuum, qui ſimul grad. 120. conficiant, chordæ ſimul iungantur, effici chordam arcus compoſiti ex arcu grad. 120. & arcu minore illorum duorum, ſi inæquales ſint. Ita namque vides chordas B D, D A, arcuum B D, D A, conficientium grad. 120. ſimul ſumptas æquari chordæ B E, arcus B A E, compoſiti ex arcu B A, grad. 120. & arcu A E, qui minori A D, æqualis eſt: propterea quòd vt demonſtratum eſt, differentia E F, inter chordas B D, B E, æqualis eſt chordæ A D.

THEOR. 5. PROPOS. 7.

Si quãtitas ſup & quãtitatẽ ſemiſſis ſemiſſẽ ſuperabit exceſſus ſemiſſe.

SI quantitas quantitatem excedat, ſemiſsis illius ſemiſsem huius ſuperabit exceſſus ſemiſſe.

SVPERET quantitas AB, quantitatẽ C, exceſſu DB, qui bifariã ſecetur in E, & ipſi EB, æqualis ponatur AF. Quoniã igitur AF, EB, toti exceſſui DB, æquales ſunt, erit reliqua FE, ipſi C, æqualis. Secetur FE, bifariã in G. Quia ergo GE, GF, æquales ſũt; additis æqualibus EB, FA, æquales quoque erũt GB, GA; ac proinde & AB, in G, ſecta erit bifariã. Semiſsis igitur BG, ipſius AB, ſuperat GE, ſemiſſem ipſius FE, hoc eſt, ipſius C, exceſſu EB, qui ſemiſsis eſt exceſſus DB. Si quantitas ergo quantitatem excedat, &c. Quod demonſtrandum erat.



THEOR. 6. PROPOS. 8.

DIFFERENTIA ſinuum duorum arcuũ qua-

quadrantis, quorum alter tanto minor sit arcu grad. 60. quanto alter maior est, æqualis est sinui arcus, quo alteruter dictorũ arcuum ab arcu grad. 60. differt.

Differentia inter sinus duorũ arcuum, quorum alter tanto sit minor arcu grad. 60. quãto alter maior est, ęqual. sinui arcus, quo alteruter dictorũ arcuũ differt ab arcu grad. 60.

IN quadrante A B C, sit arcus C D, grad. 60. arcus vero C E, eo tanto minor, quanto arcus C F, maior est: quorum sinus recti E G, F H. Dico horum sinuum differẽtiam æqualem esse sinui arcus D E, vel D F. Producto enim quadrante, vna cum sinubus E G, F H, ad I, K; sumatur arcus C L, arcui C D, æqualis, ita vt totus arcus D C L, cõtineat grad. 120. Et quia & arcus C I, C K, æquales sunt arcubus C E, C F; quòd per lemma in definitionibus positum recta B C, secet arcus E C I, F C K, bifariam, cum & rectas E I, F K, bifariam secet: erunt quoque reliqui arcus L I, L K, reliquis arcubus D E, D F, æquales. Sumptis quoque arcubus E M, F N, qui arcubus D E, D F, æquales sint, ducantur chordæ L M, L N. Et quoniam arcus F N, arcui L K, & arcus E M, arcui L I, ęqualis est; additis communibus F L, M I, erit tam arcus N L, arcui F K, quàm arcus M L, arcui E I, æqualis: ac proinde tam chorda N L, chordæ F K, quam chorda M L, chordæ E I, æqualis. Quoniam igitur arcus L M, tanto minor est arcu L D, grad. 120. quanto arcus L N, eodem maior est; erit per propos. 6. differentia chordarum L N, L M, chordæ D N, vel D M, æqualis; hoc est, recta k F, rectam I E, superabit chorda D N, vel D M. Quare per antecedentem propos. semissis H F, hoc est, sinus arcus C F, superabit semissem G E, id est, sinum arcus C E, semisse chordæ D N, vel D M, hoc est, sinu arcus D F, vel D E. Quod demonstrandum erat.



3. tertij.

29. tertij.

ALITER. In quadrante A B D, arcus B E, sit grad. 60. & arcus E F, E G, æquales, ac proinde arcus B F, tanto minor arcu B E, quanto arcus B G, eodem arcu B E, maior est: ducanturque F H, G I, ad B D, perpendiculares, quæ sinus erunt arcuum B F, B G. Ducta autem chorda F G, secet eam semidiameter ducta D E, in L. Et quoniam arcus F G, bifariam sectus est in E, erit quoque recta F G, bifariam secta in L, ex lemmate in definitionibus demonstrato; ac propterea & ad angulos rectos. Est ergo F L, sinus arcus E F; & G L, sinus arcus E G. Ducta quoque recta F K, ad G I, perpendiculari, erit I K, re- 3. tertij.

ctæ

34.primi. ctæ F H, æqualis, ob parallelogrammum F I. Quare G K, differentia erit sinuum F H, G I. Dico hanc differentiam G K, æqualem esse sinui F L, vel G L. Ducta enim recta B E, quæ latus hexagoni est, ac propterea, ex coroll. propos. 15. lib. 4. Eucl. semidiametro D E, æqualis; secetur B D, bifariã in M, iungaturq; recta E M. Quoniã igitur latera D M, M E, lateribus B M, M E, æqualia



8.primi. sunt, & basis D E, basi B E, æqualis, erunt anguli ad M, æquales, atque adeo recti. Completo autem semicirculo A B C, & productis rectis G I, E M, ad N, O, erit arcus N O, arcui G E, hoc est, arcui E F, æqualis, ex scholio propos. 27. lib. 3. Eucl. propterea

28.primi. quod rectæ G N, E O, parallelæ sunt, ob rectos angulos I, M. Addito ergo communi arcu F O, erit arcus F N, arcui E O, æqualis: Sed arcus E O, duplus

3.tertij. est arcus B E. (Nam recta D B, rectam E O, secans ad angulos rectos secat eandem bifariam: ac proinde & arcum E O, bifariam, ex scholio in definitionibus posito) Igitur & arcus F N, eiusdem arcus B E, duplus erit. Quare ductis rectis D F, D N, erit quoque

33.sexti. angulus F D N, anguli E D B, duplus: Est autem idem angulus F D N, in cen

20. tertij. tro anguli F G N, in circunferentia duplus. Igitur æquales sunt anguli E D M, F G K: Sunt autem & recti M, K, æquales. Aequiangula ergo sunt triangula

4.sexti. E D M, F G K: atque idcirco erit vt E D, ad D M, ita F G, ad G K. Cum ergo E D, dupla sit ipsius D M, (secta enim est D B, ipsi D E, æqualis, bifariam in M.) erit & F G, ipsius G K, dupla: Est autem & F G, ipsius F L, vel G L, dupla. Igitur recta G K, differentia sinuum F H, G I, æqualis est rectæ F L, sinui arcus E F, vel rectæ G L, sinui arcus E G. Differentia ergo sinuum duorum arcuum quadrantis, &c. quod erat demonstrandum.

Duo sinus duorum arcuũ conficientium grad. 60. simul æquales sunt sinui arcus compositi ex arcu grad. 60. & arcu minore illorum duorum.

COROLLARIVM.

HINC sequitur, si duorum arcuum conficientium grad. 60. sinus simul componantur, effici sinum arcus cõpositi ex arcu grad. 60. & arcu minore illorũ duorũ, si inæquales sunt. Ita enim vides in figura posterioris demonstrationis huius propos. sinus rectos F H, F L, arcuum B F, F E, conficientium grad. 60. simul sumptos æquari sinui recto G I, arcus B E G, compositi ex arcu B E, grad. 60. & arcu E G, qui minori E F, æqualis est: propterea quòd, vt demonstratum est, differentia G K, inter sinus F H, G I, æqualis est sinui F L.

PROBL. 3. PROP. 9.

Qua rõne omniũ arcuum sinus recti supputentur.

SINVS rectos omnium arcuum quadrantis sese ordine superantium vno Minuto, in partibus Sinus totius in quotcunque particulas distributi, supputare.

PRIMVM omnium supputabimus sinus rectos arcuum sese 15. gradibus supe-

ſuperantium, reſpectu Sinus totius particularum 100000. quot nimirum communiter ab omnibus, & à nobis etiam conſtituitur, vt ſupra diximus. Vt autẽ accuratior fiat ſupputatio, ponemus in hiſce ſupputationibus Sinum totum partium 10000000. Ita enim fiet, vt abiectis duabus primis figuris ad dexterã ex ſingulis ſinubus inuentis, (addita tamen vnitate, ſi duæ figuræ abiectæ numerũ 50. ſuperent) relinquãtur ſinus magis exquiſiti reſpectu ſinus totius partium 100000. Quòd ſi quis ſinus deſideret plurium particularum, poſito nimirũ ſinu toto partiũ 10000000. quot eum Ioan. Regiom. poſuit, & nos in ſequẽti tabula ſtatuemus, conſtituendus erit Sinus totus partiũ 1000000000. Nam hac ratione, abiectis duabus primis figuris ad dexteram ex ſingulis ſinubus inuentis, vt dictum eſt, remanebunt Sinus magis exquiſiti reſpectu Sinus totius partium 10000000. Ratio huius rei eſt, quòd in ſinuum inueſtigatione error ſolum contingere poteſt in vna aut altera figura ad dextram: quare, abiectis duabus figuris ad dextram, relinquentur ſinus reſpectu ſinus totius minoris exquiſitiſsimi. Id quod in ſupputationibus ſinuum quiuis facile experietur, & nos infra demonſtrabimus. Pari ratione, ſi inueſtigandi ſint ſinus reſpectu alterius Sinus totius, qui plures, aut pauciores particulas contineat, quàm 100000. vel 10000000. conſtituendus erit in ſupputatione Sinus totus, qui ad dexteram illum ſuperet duabus figuris his, 00; adeo vt illius ſit centuplus, quemadmodum & hic 10000000. quem in calculo aſſumimus, centuplus eſt illius 100000. quem nos cum alijs Aſtronomis in vſu recipimus.

Sinus tot⁹ in cui⁹ partib⁹ alij ſinus ompu tãtur, quos particularũ ponẽdus ſit, vt alij ſinus inueniãtur magis exquiſiti reſpectu Sinus totius partiũ 100000. vel pauciorum pluriũve.

SIT igitur in quadrante A B C, arcus C D, grad. 15. C E, 30. C F, 45. ac proinde E B, grad. 60. & D B, 75. vtpote complementa arcuum grad. 30. & 15. Horum ergo arcuum ſinus rectos ita ſupputabimus. Ducantur E H, D I, ad A B, perpendiculares, quæ ſinus recti erunt arcuum grad. 60. & grad. 75. Ductam autem chordam B C, ſecet recta A F, in L, bifariam, ex lemmate in definitionibus demonſtrato; ac proinde ad angulos rectos: eritque B L, ſinus rectus grad. 45. hoc eſt, arcus B F. Ducatur rurſus E G, ad A C, perpendicularis pro ſinu grad. 30. Item ductam chordã C E, ſecet recta A D, in K, bifariam, ex dicto lemmate; ac propterea ad angulos rectos; eritque C K, ſinus rectus grad. 15. Denique rectæ iungantur A E, E B. Quoniam igitur arcus B E, grad. 60. ſexta pars eſt totius circunferentiæ circuli, cum ſexies 60. faciant 360. grad. erit recta B E, latus Hexagoni; atque adeo, ex coroll. propoſ. 15. lib. 4. Eucl. ſemidiametro A E, æqualis. Anguli ergo E A B, E B A, æquales erunt: Sunt autem & anguli ad H, æquales, vtpote recti. Igitur cum duo anguli E A H, E H A, trianguli A E H, æquales ſint duobus angulis E B H, E H B, trianguli B E H, latusque A E, lateri B E, æquale; erit latus A H, lateri B H, æquale; ac proinde A H, medietas erit ſemidiametri A B. Quare cum E G, ſinus rectus grad. 30. ſit ipſi A H, æqualis, erit ſinus rectus grad. 30. medietati ſemidiametri, ſiue ſinus totius, æqualis. Cum ergo ſinus totus ponatur 10000000. erit E G, ſinus grad. 30. talium particularum 5000000. nempe medietas ſinus totius.



3. tertij.

Supputatio ſinuum arcuũ gradibus 15. ſeſe ſuperantiũ, quales ſunt arcus grad. 15. 30. 45. 60. 75. & 90.

5. primi.

26. primi.

34. primi.

Sinus rect⁹ grad. 30. æqualis eſt medietati ſinus toti⁹.

EX hoc ſinu, per propoſ. 3. cognoſcetur ſinus complementi arcus grad. 30. nem-

nempe sinus E H, grad. 60. si nimirum quadratũ sinus 5000000. ex quadrato sinus totius 10000000. auferatur, & reliqui numeri radix quadrata accipiatur, quę est 8660254. fere.



DEINDE, quoniam recta A F, secans arcum B C, bifariam, secat quoque, ex lemmate definitionum, rectam B C, bifariam, atque adeo & ad angulos rectos; (3. tertij.) erit C L, sinus arcus C F, grad. 45. quem ita inueniemus. Cum in triangulo C A L, angulus L, rectus sit, & angulus C A L, semirectus, erit & angulus A C L, (32. primi.) semirectus, atque adeo angulo C A L, æqualis. (6 primi.) Igitur rectæ A L, C L, æquales erunt. Cum ergo quadratum rectæ A C, (47. primi) æquale sit quadratis rectarum A L, C L, simul; erit quadratum sinus totius A C, duplum quadrati sinus C L, grad. 45. Medietas igitur quadrati sinus totius erit quadratũ rectæ C L, cuius radix quadrata dabit sinum C L, 7071068. fere pro arcu grad. 45. Qui etiam hoc modo re- (47. primi.) perietur. Quoniam quadratum rectæ B C, æquale est quadratis rectarum A B, A C; atque adeo duplum quadrati sinus totius A C, si quadratum sinus totius duplicetur, habebitur quadratum rectæ BC, cuius quadrati radix dabit rectam B C, partium 14142136. fere, & huius dimidium 7071068. dabit sinum C L, grad. 45.

RVRSVS, quia recta A D, secans arcum C E, bifariam, secat quoque (3. tertij.) rectam C E, bifariam in K, ex lemmate definitionum, atque adeo & ad angulos rectos; erit C K, sinus arcus C D, grad. 15. quem sic inueniemus. Quoniã ex propos. 4. sinus C K, medio loco proportionalis est inter medietatem sinus totius, & sinum versum C G; (qui quidem habetur, si E H, sinus grad. 60. ex sinu toto A C, detrahatur, vt in coroll. propos. 3. diximus) fit vt, per coroll. propos. 4. notus fiat sinus C K, arcus C D, qui dimidium est arcus C E. Nam si medietas sinus totius multiplicetur in sinum versum C G, cognitum, producetur quadratum rectæ C K; quòd rectangulum sub medietate sinus to- (17. sexti.) tius, & sinu verso C G, contentum, æquale sit quadrato mediæ proportionalis C k. Si igitur quadrati rectæ C K, radix eruatur, habebitur sinus C K, par- (47. primi.) tium 2588190. vt in dicto coroll. propos. 4. docuimus. Quem sinum hoc etiam modo inuestigabimus. Quoniam quadratis rectarum notarum E G, G C, æquale est quadratum rectæ E C; fiet notum quadratum rectæ E C; cuius quadrati radix quadrata dabit rectam E C, notam, & huius medietas erit sinus C K, cognitus.

Arcus. G.	Sinus
15	2588190
30	5000000
45	7071068
60	8660254
75	9659258
90	10000000

EX sinu autem grad. 15. cognito cognoscetur quoque, per propos. 3. sinus D I, complementi arcus C D, hoc est, sinus arcus B D, grad. 75. qui quidem deprehendetur partium 9659258. Itaq; inuenti sunt hactenus sinus recti arcuum continentium grad. 15. 30. 45. 60. 75. & 90. vt in hac formula apparet.

HORVM autem sinuũ beneficio ad aliorum inuestigationem ita progrediemur. Quoniam per co-

coroll. propoſ.4.ex ſinu recto cuiuſuis arcus noto cognoſcitur quoque ſinus rectus dimidij illius arcus; cognoſcemus ex ſinu arcus grad. 15. ſinum arcus grad.7. Min. 30. Atque ex hoc ſinum arcus grad.3. Min.45. qui arcus amplius bifariam ſecari non poteſt ſine Secundis,(continet enim eius medietas grad. 1. Min.52.Sec.30.)quæ in Sinuum tractatione negliguntur. Deinde quia per propoſ. 3. ex ſinu recto cuiuſlibet arcus cognito notus quoque efficitur ſinus complementi illius arcus, cognoſcemus ex ſinu arcus grad. 7. Min. 30. ſinum arcus grad. 82. Min. 30. Ex hoc autem, per coroll. propoſ.4. ſinum arcus grad. 41. Min. 15. Atque ex hoc, per propoſ. 3. ſinum arcus grad. 48. Min. 45. Item ex ſinu arcus gra. 3. Min.45. cognoſcemus, per propoſ. 3. ſinum arcus grad.86. Min.15. Quòd ſi alij arcus, quorum ſinus inuenti ſunt, bifariam quoque ſecentur, & eorum medietates rurſus bifariam, & ita deinceps, donec ad Minuta numero imparia, quæ amplius bifariã diuidi ſine Secundis nequeunt, peruentum ſit; Itemque harum medietatum complementa accipiantur, quæ rurſus, eodem modo continue bifariam ſecẽtur, donec ad Minuta numero imparia ſit peruentum; & medietatum complementa ſumantur, &c. cognoſcemus, per coroll. propoſ. 4. & per propoſ. 3. ſinus omnium harum medietatum, & complementorum. Qui ſinus cum illis ſex primò inuentis conſtituent ſinus 24. arcuum ſeſe ordine ſuperantium gradibus 3. Min. 45. vt in hac tabula vides.

Supputatio ſinuum arcuum gradibus 3. Min.45. ſeſe ſuperantium.

Arcus		Sinus	Arcus		Sinus	Arcus		Sinus	Arcus		Sinus
G	M		G	M		G	M		G	M	
3	45	654031	26	15	4422887	48	45	7518398	71	15	9469301
7	30	1305262	30	0	5000000	52	30	7933533	75	0	9659258
11	15	1950903	33	45	5555702	56	15	8314696	78	45	9807853
15	0	2588190	37	30	6087614	60	0	8660254	82	30	9914449
18	45	3214395	41	15	6593458	63	45	8968727	86	15	9978589
22	30	3826834	45	0	7071068	67	30	9238795	90	0	10000000

POST hæc, per ea, quæ propoſ.2. de inuentione lateris Decagoni, & pentagoni æquilateri in eodem circulo demonſtrauimus, inquiremus ſinum arcus grad. 36. hac ratione. Repetatur figura propoſitionis 2. vbi demonſtratum eſt, D F, eſſe latus Decagoni, & B F, latus Pentagoni æquilateri. Et quoniam quadrata rectarum B D, D E, notarum (Eſt enim B D, ſinus totus, & D E, eius medietas.) nota ſunt, & æqualia quadrato rectæ E B; notum erit quadratum rectæ E B; ac propterea & ipſa recta E B, hoc eſt, recta E F, illi æqualis, nota erit, nempe partium fere 11180339. Ex qua ſi detrahatur recta E D, medietas ſinus totius partiũ 5000000. nota fiet recta DF, partium 6180339. cuius quadratum ſi addatur quadrato ſinus totius B D, notum fiet aggregatum quadratorum ex rectis D F, B D, deſcriptorum; atque

Supputatio ſinus arcus grad. 36.



47. primi.

Q adeo

47. primi. adeo & quadratum rectæ B F, quod illis duobus æquale eſt, cognitum erit; cuius radix quadrata notam reddet rectam B F: quæ cũ ſubtendat grad. 72. in circulo A B C, vtpote quintam partem circunferentiæ, quòd ſit latus pentagoni, nota erit chorda arcus grad. 72. cuius medietas partium 5877852. dabit ſinum rectum arcus grad. 36. qui illius dimidium eſt.

Supputatio ſinuum arcuum gradibus 2. Min. 15. ſeſe ſuperantiũ, & aliorum quorũdam.

PORRO ex hoc ſinu arcus grad. 36. inueniemus, per propoſ. 3. ſinum eius complementi, hoc eſt, ſinum arcus grad. 54. Quos duos arcus ſi bifariam ſecemus, eorumque medietates rurſus bifariam, & ita deinceps, donec ad minuta numero imparia veniamus, quæ amplius diuidi nequeunt, reperiemus quoque per coroll. propoſ. 4. harum medietatum ſinus, nec non, per propoſ. 3. ſinus earum complementorum: quæ complementa ſi rurſus bifariam ſecemus, quoad poſſumus, & harum medietatum complementa accipiamus, quæ rurſus ſecemus bifariam, &c. inueniemus eodem modo ſinus omnium arcuum in hac tabella contentorum. Quos ſinus ſi cum præcedentibus hactenus inuentis in ordinem redigamus, habebimus ſinus rectos omnium arcuum ſeſe ordine ſuperantium gradibus 2. & Min. 15. initio facto ab arcu grad. 2. Min. 15. vſque ad arcum grad. 87. Min. 45. incluſiue; & inſuper ſinus aliorum 17. arcuum, qui non ſeruant huiuſmodi incrementum. Vt in hac tabella appparet. Vbi manife

Arcus		Sinus	Arcus		Sinus	Arcus		Sinus	Arcus		Sinus
G	M		G	M		G	M		G	M	
36	0	5877852	2	15	392598	40	30	6494480	15	45	2714405
54	0	8090170	87	45	9992290	49	30	7604060	74	15	9624552
18	0	3090170	27	0	4539905	20	15	3461171	38	15	6190940
72	0	9510565	63	0	8910065	69	45	9381913	51	45	7853169
9	0	1564345	13	30	2334454	42	45	6788007	24	45	4186597
81	0	9876883	76	30	9723699	47	15	7343225	65	15	9081432
4	30	784591	6	45	1175374	31	30	5224986	29	15	4886212
85	30	9969173	83	15	9930685	58	30	8526402	60	45	8724960

Arcus		Sinus	Arcus		Sinus	Arcus		Sinus	Arcus		Sinus
G	M		G	M		G	M		G	M	
2	15	392598	33	45	5555702	65	15	9081432	18	45	3214395
4	30	784591	36	0	5877852	67	30	9238795	26	15	4422887
6	45	1175374	38	15	6190940	69	45	9381913	30	0	5000000
9	0	1564345	40	30	6494480	72	0	9510565	37	30	6087614
11	15	1950903	42	45	6788007	74	15	9624552	41	15	6593458
13	30	2334454	45	0	7071068	76	30	9723699	48	45	7518398
15	45	2714405	47	15	7343225	78	45	9807853	52	30	7933533
18	0	3090170	49	30	7604060	81	0	9876883	60	0	8660254
20	15	3461171	51	45	7853169	83	15	9930685	63	45	8968727
22	30	3826834	54	0	8090170	85	30	9969173	71	15	9469301

24	45	4186597	56	15	8314696	87	45	9992290	75	0	9659258
27	0	4539905	58	30	8526402	3	45	654031	82	30	9914449
29	15	4886212	60	45	8724960	7	30	1305262	86	15	9978589
31	30	5224986	63	0	8910065	15	0	2588190	90	0	10000000

ſtum eſt, ſinum grad. 54. hoc eſt. 8090170. componi præciſe ex ſinubus grad. 18. & 30. hoc eſt, ex 3090170. & 5000000. Et quia ſinus grad. 30. æqualis eſt ſemiſſi ſinus totius, vt ſupra oſtenſum eſt, liquet ſinum grad. 54. componi ad vnguẽ ex ſemiſſe ſinus totius, & ſinu recto grad. 18. Id quod propoſ. 6. à nobis eſt demonſtratum.

IAM vero ſinum arcus grad. 12. beneficio ſinuum grad. 30. & 54. qui iam noti facti ſunt, ita inueſtigabimus. Sit in quadrāte A B C, arcus B D, grad. 30. & B E, grad. 54. atque adeò arcus D E, eorum differentia, grad. 24. ducanturque rectæ D F, E G, ad A B, perpendiculares, quæ ſinus recti erunt arcuum B D, B E; Item rectæ D H, E I, ad A C, perpendiculares, quæ ſinus recti erunt arcuum C D, C E, grad. 60. & 36. qui complementa ſunt arcuum B D, B E. Secet autem recta D H, rectam E G, in K. Et quoniam ſinus D F, hoc eſt, K G, illi æqualis, & E G, noti ſunt; erit quoque eorum differentia E K, nota. Similiter quia ſinus E I, hoc eſt, K H, illi æqualis, & D H, noti quoque ſunt, per propoſ. 3. cum ſint ſinus complementorum arcuum B E, B D; erit etiam eorum differentia D K, nota; ac proinde duo quadrata rectarum notarum E k, D K, nota erunt: quæ cum æqualia ſint quadrato rectæ D E, notum quoque erit quadratum rectæ D E, propterea que & ipſa recta D E, nota erit, nempe chorda arcus grad. 24. Hinc & eius medietas nota erit, nimirum ſinus rectus arcus grad. 12. continebitque particulas 2079117. Hac eadem arte; ſi duorum arcuum quorumcumque ſinus cogniti ſint, cognoſcetur etiam ſinus medietatis differentiæ illorum arcuum. Vt ſi ſinus arcuum B D, BE, quorumcumque etiamſi non contineant grad. 30. & 54. noti ſint, erunt & ſinus complementorum C D, C E, per propoſ. 3. noti. Quare, vt modo demonſtrauimus, nota fiet chorda D E; ac proinde eius medietas nota quoque erit, nempe ſinus medietatis arcus D E.

Supputatio ſinus arcus grad. 12.



34. primi.

34. primi.

47. primi

Ex duorũ arcuũ ſinubus notis notus quoque fit ſin⁹ medietatis differentiæ arcuum.

CAETERVM ex ſinu arcus grad. 12. (ſi hunc arcum bifariam ſecemus continue, quoad poſſumus, medietatumq; complementa accipiamus, vnà cum ſinu complementi arcus grad. 12. quæ rurſus ſecemus bifariam continue, &c.) reperiemus per coroll. propoſ. 4. & per propoſ. 3. ſinus omnium horum arcuũ, qui in hac tabella continentur. Quos ſinus ſi cum ſinubus proximè antecedentis tabellæ in ordinem redigamus, habebimus ſinus arcuum numero 120.

Supputatio ſinuu arcuum Minutis 45. ſe ſe ſuperantium.

Arcus G	Arcus M	Sinus	Arcus G	Arcus M	Sinus	Arcus G	Arcus M	Sinus	Arcus G	Arcus M	Sinus
12	0	2079117	42	0	6691306	12	45	2206974	33	0	5446390
78	0	9781476	48	0	7431448	77	15	9753423	57	0	8386706

6	0	1045285	21	0	3583679	35	15	5771452	16	30	2840153
84	0	9945219	69	0	9335804	54	45	8166416	73	30	9588197
3	0	523360	10	30	1822355	24	0	4067366	8	15	1434926
87	0	9986295	79	30	9832549	66	0	9135455	81	45	9896514
1	30	261769	5	15	915016	34	30	5664062	27	45	4656145
88	30	9996573	84	45	9958049	55	30	8241262	62	15	8849876
0	45	130896	43	30	6883546	17	15	2965416	28	30	4771588
89	15	9999143	46	30	7253744	72	45	9550199	61	30	8788171
39	0	6293204	21	45	3705574	39	45	6394390	14	15	2461533
51	0	7771460	68	15	9288096	50	15	7688418	75	45	9692309
19	30	3338069	44	15	6977905	23	15	3947439	36	45	5983246
70	30	9426415	45	45	7163019	66	45	9187912	53	15	8012538
9	45	1693495	25	30	4305111	32	15	5336145	30	45	5112931
80	15	9855561	64	30	9025853	57	45	8457278	59	15	8594064

qui se ordine continuo superant 45. Minutis, quorum primus est arcus grad. o. Min. 45. vltimus vero totus quadrans grad. 90. cuiusmodi sunt arcus sequentis tabellæ. Omnium enim illorum arcuum sinus inuentos esse comperies in proximis duabus tabellis antecedentibus, licet non eo ordine sint collocati.

Arcus		Arcus		Arcus		Arcus		Arcus		Arcus		Arcus		Arcus		Arcus		Arcus	
G	M	G	M	G	M	G	M	G	M	G	M	G	M	G	M	G	M	M	G
0	45	9	45	18	45	27	45	36	45	45	45	54	45	63	45	72	45	81	45
1	30	10	30	19	30	28	30	37	30	46	30	55	30	64	30	73	30	82	30
2	15	11	15	20	15	29	15	38	15	47	15	56	15	65	15	74	15	83	15
3	0	12	0	21	0	30	0	39	0	48	0	57	0	66	0	75	0	84	0
3	45	12	45	21	45	30	45	39	45	48	45	57	45	66	45	75	45	84	45
4	30	13	30	22	30	31	30	40	30	49	0	58	30	67	30	76	30	85	30
5	15	14	15	23	15	32	15	41	15	50	15	59	15	68	15	77	15	86	15
6	0	15	0	24	0	33	0	42	0	51	0	60	0	69	0	78	0	87	0
6	45	15	45	24	45	33	45	42	45	51	45	60	45	69	45	78	45	87	45
7	30	16	30	25	30	34	30	43	30	52	30	61	30	70	30	79	30	88	30
8	15	17	15	26	15	35	15	44	15	53	15	62	15	71	15	80	15	89	15
9	0	18	0	27	0	36	0	45	0	54	0	63	0	72	0	81	0	90	0

POSTREMO aliorum arcuum sinus ita inueniemus. Ponatur in quadrante A B C, arcus B D, grad. 1. & arcus B E, grad. 1. Min. 30. & arcus B H, grad. o. Min. 45. Ducta autem recta E K, ad A B, perpendiculari, diuisoque arcu B H, in tres partes æquales B F, F G, G H, & arcu D E, in duas D I, I E, vt singuli arcus contineant 15. Min. ducantur ad E K, perpendiculares F L, G M, H N, D O, I P. Eritque E K, sinus rectus arcus B E, & O K, sinus rectus arcus B D, cum æqualis sit rectæ ex D, ductæ ad A B, perpendiculari, quæ

34. primi.

qui-

quidem sinus est arcus B D. Eademque ratione erit N K, sinus rectus arcus B H. Sit ergo propositum inuenire sinum O K, arcus B D, grad. 1. Quoniam N K, sinus grad. 0. Min. 45. est inuentus 130896. erit eius tertia pars, nempe 43632. maior, quàm M N: propterea quod, per propos. 1. maior est K L, quàm L M, & L M, maior, quàm M N, adeo vt M N, minor sit, quàm tertia pars ipsius N K, hoc est, minor, quàm 43632. Multo igitur maior erit eadem tertia pars rectæ N K, nempe 43632. quàm N O: quod, per eandẽ propos. 1. maior quoque sit M N, quàm NO. Quare si addamus 43632. ad 130896. id est, ad N K, sinum Minutorum 45. efficiemus numerum 174528. qui maior erit, quàm O K, sinus rectus grad. 1. quandoquidem ad N K, plus addimus, quàm rectã NO, vt dictum est. Rursus quia E K, sinus grad. 1. Min. 30. inuentus est 261769. si ex eo detrahamus sinum N K, Minutorum 45. nempe 130896. relinquetur recta E N, partium 130873. cuius tertia pars, nempe 43624. fere, minor erit, quàm N O: propterea quod, per propos. 1. maior est N O, quàm O P, & O P, maior, quàm P E, adeo vt N O, maior sit, quàm tertia pars ipsius E N, hoc est, maior, quàm 43624. Quare si addamus 43624. ad 130896. id est, ad N K, sinum Min. 45. efficiemus numerum 174520. qui minor erit, quàm O K, sinus rectus grad. 1. quandoquidem ad N K, minus addimus, quàm rectam N O. Constat igitur, sinum rectum grad. 1. consistere inter hos duos numeros, 174528. 174520. cum ille maior sit, hic autẽ minor. Statuamus ergo eum esse, 174524. inter illos numeros omnino medium. Ita enim non differet sensibiliter hic numerus à vero sinu grad. 1.

Supputatio sinus grad. 1.



EX hoc sinu grad. 1. inueniemus, per propos. 3. sinum eius cõplementi, hoc est, sinum arcus grad. 89. esse 9998477. Quem hoc etiã modo reperiemus. Quoniam numerus 174528. maior est, quam sinus grad. 1. vt diximus: fit, vt per eum inuestigatus, iuxta doctrinam propos. 3. sinus cõplementi grad. 1. hoc est, sinus grad. 89. sit numerus 9998476. & paulo amplius, qui minor erit necessario, quàm verus sinus arcus grad. 89. quandoquidem pro sinu grad. 1. numerum sumpsimus vero sinu maiorem. Rursus quia numerus 174520. minor est, quàm sinus grad. 1. vt diximus; fit, vt per eum inuestigatus, iuxta doctrinam propos. 3. sinus eius complementi, nimirum sinus grad. 89. sit numerus 9998477. & paulo amplius, qui maior erit necessario, quàm verus sinus grad. 89. quandoquidem pro sinu grad. 1. numerum accepimus vero sinu minorem. Constitutus ergo erit sinus grad. 89. inter duos hos numeros 9998476. & paulo amplius, atque 9998477. & paulo amplius: ac proinde sine notabili errore eum statuemus esse 9998477. quantum videlicet eundem inuenimus ex sinu grad. 1. Ex quo constat, recte constitutum esse sinum grad. 1. partium 174524. cum ex eo, per propos. 3. repertus sit sinus complementi ipsius tot particularum, quot vere ac re ipsa continere debet.

Supputatio sinus grad. 89.

PRAETEREA ex sinu arcus grad. 1. reperiemus, per coroll. propos. 4. sinum rectum arcus Min. 30. & ex hoc, per propos. 3. sinum complementi, nempe sinum grad. 89. Min. 30. Item ex sinu arcus Min. 30. inueniemus, per coroll. propos. 4. sinum arcus Min. 15. atque ex hoc sinum complementi, hoc est, sinum grad. 89. Min. 45.

Supputatio sinus Min. 30. & sinus grad. 89. Min. 30. Itẽ sinus Min. 15. & sinus grad. 89. Min. 45.

QVEMADMODVM autem supra ex sinubus rectis grad. 30. & 54. inda-

indagauimus ſinum rectum grad. 12. qui dimidium eſt chordæ arcus grad. 24. quo dicti arcus grad. 30. & 54. inter ſe differunt: ita quoque ex ſinubus rectis arcus Min. 30. & arcus grad. 52. Min. 30. cognitis cognoſcemus ſinum rectum grad. 26. qui dimidium eſt chordæ arcus grad. 52. quo dicti arcus Min. 30. & grad. 52. Min. 30. inter ſe differunt, vt ſupra oſtendimus; atque ex ſinu grad. 26. fiet, per propoſ. 3. notus quoque ſinus complementi, nimirum ſinus grad. 64.

Supputatio ſinus grad. 26. & grad. 64.

QVOD ſi arcus grad. 26. & grad. 64. & grad 89. & grad. 89. Min. 30. quorum ſinus inuenti ſunt, ſecemus continue bifariam, quoad poſſumus, accipiamusque medietatum complementa, quę rurſus continue bifariam diuidamus, &c. adhibeamusque doctrinam illam, qua ex duorum arcuum ſinubus notis cognoſcitur ſinus medietatis differentiæ illorum arcuum, reperiemus ſinus arcuum numero 240. qui in ordinem redacti cum ſinubus arcuum numero 120. prius inuentis, conſtituent ſinus arcuum numero 360. ſeſe ordine ſuperantium Minutis 15.

Supputatio ſinuum arcuū Minutis 15. ſeſe ſuperāuū.

VERVM quia laborioſum eſt, atque moleſtum tot ſinus ea ratione indagare, ſatis erit, tanta difficultate inueniſſe ſinus illos arcuum ſuperiorum numero 120. ſeſe ordine ſuperantium Minutis 45. Ex illis enim facile per regulam proportionum reperiemus ſinus arcuum ſe ordine ſuperantium Minutis 15. Deinde ex his ſinus arcuum, qui ordine ſe ſuperant Minutis 5. Ac denique ex iſtis ſinus arcuum per ſingula Minuta extenſorum; neque vnquàm in hac ſupputatione error ſenſibilis continget. Cum enim ſinum totum poſuerimus centies maiorem, quàm 100000. fit vt abiectis primis duabus figuris ad dexteram, vt ſupra dictum eſt, exquiſitiſsimi relinquantur ſinus reſpectu ſinus totius 100000. quod totus error, qui in hac ſupputatione contingere poteſt, conſiſtat in prima figura ad dexterā, vel ad ſummum in duabus primis. Quare abiectis duabus primis figuris, remanebunt omnino ijdem ſinus, qui inuenti eſſent priori illo modo Geometrico reſpectu eiuſdem ſinus totius 100000. ſi in ſupputatione poneretur ſinus totus centies etiam maior, nempe partium 10000000. & ex inuentis ſinubus duæ figuræ reijcerentur: Id quod experientia docebit. Ita autem rem exequemur. Statuātur ordine illi arcus cum ſinubus, & ad dexteram cuiuſque ſinus aſcribatur differentia, qua à præcedenti ſinu differt; vt hic factum eſſe vides in quinque arcubus.

Alia ſupputatio ſinuū arcuū ſeſe Minutis 15 ſuperantiū

Arcus G	Arcus M	Sinus	Differentiæ
0	c	000000	
0	45	130896	130896
1	30	261769	130873
2	15	392598	130829
3	0	523360	130762
3	45	654031	130671

Deinde dic. Si Minuta 45. requirunt differentiam 130896. addendam ad ſinum Minuti. 0. vt fiat ſinus Minutorum 45. Minuta 15. quantam poſtulant differentiam addendam eidem ſinui Minut. 0. vt fiat ſinus Minutorum 15? Inuenies enim requiri differentiā 43632. quæ addita ſinui Minuti. 0. conſtituet ſinū Minutorum 15. partium 43632. Rurſus dic. Poſitis ijſdem, quantam differētiam exigunt Minuta 30. addendam eidem ſinui Minuti 0. vt fiat ſinus Minutorum 30? Reperies enim differentiam 87264. quæ addita ſinui Minuti 0. faciet 87264. ſinum Min. 30. Item dic. Si Minuta 45. quibus arcus Min. 45. ab arcu ſequenti grad. 1. Min. 30. differt, requirunt differentiam 130873. addendam ſinui Min. 45. vt fiat ſinus grad. 1. Min. 30. quantam differentiam poſtulant Minuta 15. addēdam eidem ſinui Min. 45. vt fiat ſinus Min. 60. hoc eſt, ſinus

ſinus grad. 1? Inuenies enim differentiã 43624. quæ addita ad 130896. ſinũ Min. 45. faciat 174520. ſinũ grad. 1. qui licet minor aliquanto ſit illo, quem alio modo inuenimus, abiectis tamẽ duabus primis figuris 20. relinquetur ſinus 1745. exquiſitiſsimus grad. 1. reſpectu ſinus totius 100000. Dic pręterea. Iiſdẽ poſitis, quantam differentiam poſcunt Minuta 30. addendam eidẽ ſinui Min. 45. vt fiat ſinus Min. 75. hoc eſt, ſinus grad. 1. Min 15? Inuenies enim differentiam 87249. quæ addita ad 130896. ſinum Min. 45. faciet 218145. ſinum grad. 1. Min. 15. qui licet ſit aliquanto minor illo, quem prior ille modus exhibet, tamen abiectis duabus primis figuris 45. remanebit ſinus 2181. exquiſitiſsimus grad. 1. Min. 15. reſpectu ſinus totius 100000. Item dic. Si Minuta 45. quibus arcus grad. 1. Min. 30. differt ab arcu ſequenti grad. 2. Min. 15. requirunt differẽtiam 130829. addendã ſinui grad. 1. Min. 30 vt fiat ſinus grad. 2. Min. 15. quantã differentiam poſcunt Minuta 15. addendam eidẽ ſinui grad. 1. Min. 30. vt fiat ſinus grad. 1. Min. 45? quantam præterea differentiã flagitant Minuta 30. addendam eidem ſinui grad. 1. Min. 30. vt fiat ſinus grad. 2? Reperies enim priorem differentiã eſſe 43610. quę addita ad 261769. ſinum grad. 1. Min. 30. efficiet 305379. ſinum grad. 1. Min. 45. Poſteriorem vero differentiam inuenies eſſe 87219. quæ addita ad 261769. ſinum eundem grad. 1. Min. 30. componet 348988. ſinũ grad. 2. qui duo ſinus quamuis minores ſint, quàm illi, quos prior ille modus exhibet, reiectis tamen duabus figuris primis ex vtroque, reliqui erunt ſinus 3053. 3489. exquiſitiſsimi reſpectu ſinus totius 100000. Hac eadem arte progrediendum erit in cæteris, donec inuenti ſint ſinus omnium arcuum per 15. Minuta extenſorum vſque ad arcum grad. 45. Vltra hunc etenim progredi hac via nõ expedit, cum magis exquiſite ſinus complementorum arcuũ illorum, per propoſ. 3. inueſtigari poſsint, reſpectu ſinus totius 10000000. quàm per regulam proportionum; propterea quòd, vt ſupra oſtendimus in coroll. propoſ. 1. differentiæ ſinuum verſus finem quadrantis minores ſunt, quàm prope initium quadrantis; ac proinde ſæpius differentiæ ſinuum mutantur prope finem quadrantis, quàm iuxta principium. Ex quo fit rectius prope quadrantis initium reperiri ſinus per regulam proportionum, quàm prope finem: quandoquidem ibi vna eademque differentia pluribus ſinubus deſeruit, quàm hic, vt dictũ eſt. Id quod experientia apertiſsime quoque demonſtrat.

Sinus cur magis exquiſite per regulã proportionum inueniãtur prope quadrantis initiũ quàm prope finẽ.

QVOD ſi omnes ſinus arcuum per 15. Minuta progredientium, initio facto ab arcu Min. 0. in ordinem redigantur, vna cum eorum differentijs; reperiemus eodem artificio ſinus omnium arcuum per 5. minuta extenſorum: Ex quibus demum eadem ratione ſinus omnium arcuum per ſingula minuta progredientium explorabimus; ac proinde tabulam ſinuum conficiemus vſque ad arcum gra. 45. Per ſinus autem horũ arcuũ eliciemus, per propoſ. 3. ſinus complementorum arcuum eorundem. Quare tota ſinuum tabula confecta erit: ac proinde ſinus rectos omnium arcuum Quadrantis ſeſe ordine ſuperantium vno Minuto, in partibus Sinus totius in quotcunque particulas diſtributi, ſupputauimus. Quod faciendum erat.

Supputatio ſinuum arcuum per 5. Minuta, & per ſingula Minuta extenſorũ.

SCHOLIVM.

CAETERVM *vt rationem ſupputationis ſinuum per proportionum regulam videas, ſint in Quadrante* A B C, *arcuum* B D, B E, *ſinus* D F, E G, *noti, ex quibus propoſitum ſit elicere ſinum* H I, *arcus* B H, *inter duos illos arcus poſiti.* *Ducta recta* D K, *perpendiculari ad* E G; *erunt rectæ* L I, K G, *ſinui* D F, *æquales; atque adeo*

Demonſtratio ſupputatiõis ſinuũ per regulã proportionum.

D F,

HL, EK, *differentiæ inter sinus* HI, EG, & *sinum* DF. *Quoniam vero arcus* DE, *si exiguus fuerit, qualem nos ponimus, nempe Minutorum* 45. *vel* 15. *vel* 5. (*Ex his enim solis intermediorum arcuum sinus inquirimus*) *à recta linea, quoad sensum, non differt, ac proinde multo minus arcus* DH; *erunt triangula* DEK, DHL, *quodammodo rectilinea. & æquiangula inter se. Quamobrem erit, vt* DE, *differentia inter arcum* BD, & *arcum* BE, *ad* EK, *differentiam inter sinum* DF, & *sinum* EG, *ita* DH, *differentia inter arcum* BD, & *arcum* BH, *ad* HL, *differentiam inter sinum* DF, & *sinum* HI. *Cum ergo priores tres magnitudines sint cognitæ, (nempe arcus* DE, *quo arcus* BE, *arcũ* BD, *superat; & recta* EK, *qua sinus* EG, *sinum* DF, *excedit; nec non arcus* DH, *quo arcus* BH, *cuius sinus quæritur, superat arcum* BD.) *cognita etiam erit quarta magnitudo, id est, recta* HL, *quæ addenda est sinui* DF, *vt fiat sinus* HI. *Constat igitur, sinus per regulam proportionum inuentos sensibiliter non differre à veris sinubus, præsertim quando arcus* DE, *quo arcus cognitorum sinuum inter se differunt, valde exiguus est, ita vt à recta linea vix differat.*

4. sexti.



Compẽdiũ mirificum pro inuentione plurimorum sinuum.

MAGNVM *quoque compendium in hoc negotio nobis afferet propositio octaua. Ex ea enim plurimos sinus ex alijs inuentis per solam additionem, subtractionemue nanciscemur. Nam si sinum cuiusuis arcus, qui maior non sit, quàm grad.* 30. *addamus sinui arcus, qui ab arcu grad.* 60. *superatur sumpto illo arcu, componemus sinum arcus qui eodem illo arcu assumpto arcũ grad.* 30. *superat: propterea quod differentia inter sinus duorum horum arcuum maiorum æqualis est sinui arcus illius assumpti, qui maior nõ ponitur, quàm grad.* 30. *vt ibi demonstrauimus. Vt si* 3461171. *sinũ arcus grad.* 20. *Min.* 15. *adijciamus ad* 6394390. *sinum arcus grad.* 39. *Min.* 45 *qui ab arcu grad.* 60. *superatur dicto arcu grad.* 20. *Min.* 15. *conficiemus* 9855561. *sinum arcus grad.* 80. *Min.* 15. *qui arcum gra.* 60. *eodem arcu grad.* 20. *Min* 15. *superat. Sic si* 5000000. *sinum arcus grad.* 30. *addamus sinui* 5000000. *arcus grad* 30. *quem arcus grad.* 60. *superat dicto illo arcu grad.* 30. *componemus* 10000000. *sinum arcus grad.* 90. *qui arcum grad.* 60. *eodem illo arcu assumpto grad.* 30. *superat.*

ITEM *si sinum cuiuslibet arcus, qui arcu grad.* 30. *maior non sit, subducamus ex sinu arcus, qui arcum grad* 60. *sumpto illo arcu superat, relinquetur sinus arcus, qui eodem illo arcu assumpto ab arcu grad.* 60. *superatur. Vt si* 3502075. *sinum arcus grad.* 20. *Min.* 30 *detrahamus ex* 9862856. *sinu arcus grad* 80. *Min.* 30. *qui arcum grad.* 60. *dicto arcu grad.* 20. *Min.* 30. *superat, reliquus erit* 6360781. *sinus arcus gra.* 39. *Min.* 30. *quem arcus grad.* 60. *eodem illo arcu grad.* 20. *Min.* 30 *superat.*

RVRSVS, *si ex sinu cuiusuis arcus, qui maior sit arcu grad.* 60. *detrahatur sinus arcus, qui tanto minor sit arcu grad.* 60 *quanto ille maior est, relinquetur sinus arcus, quo vteruis illorũ ab arcu grad* 60. *differt. Vt si ex* 9781476. *sinu arcus gra.* 78. *auferatur* 6691306. *sinus arcus gra.* 42. *reliquus erit* 3090170. *sinus arcus grad.* 18. *quo vterq; illorũ ab arcu grad.* 60. *differt. Quæ omnia ex dicta propos.* 8. *colliguntur.*

ITAQVE *satis est, vt inueniantur per regulam proportionum sinus omnium arcuum à principio quadrantis vsque ad arcum grad.* 30. *Si enim ex his eliciantur sinus complementorum, & ex his inuentis detrahãtur priores illi sinus, reliqui erunt sinus omnium arcuum inter arcum grad.* 30 & *arcum grad.* 90. *Item si cogniti essent sinus arcuũ omniũ ab arcu grad.* 30. *vsq; ad finem quadrantis, & sinus omniũ arcuum, qui mi-*

minores sint arcu grad. 60. detraherentur ex sinubus omnium arcuum maiorũ, quàm grad. 60. remanerent sinus omnium arcuum à principio quadrantis vsque ad arcum grad. 30. Denique si sinus omnium arcuum à principio quadrantis vsque ad arcum grad. 60. inuenti essent, & sinus omnium arcuum minorum, quàm grad. 30. sinubus omnium arcuum maiorum, quàm grad. 30. adijcerentur, componerentur sinus omnium arcuum maiorum, quàm grad. 60.

SED iam subijciamus tabulam sinuum omnium arcuum quadrantis per singula Minuta extensorum à Ioanne Regiom. supputatam, quam tamen plerisque in locis ab erroribus, qui incuria typographorum irrepserant, purgauimus. Cõtinet autem in hac tabula sinus totus particulas 10000000. ratione cuius omnes alij sinus inuenti sunt. Quòd si à singulis reijciantur primæ duæ figuræ ad dexteram, (addita tamen vnitate, si duæ figuræ abiectæ numerum maiorem constituant, quàm 50.) relinquetur sinus respectu sinus totius 100000. Si tamen quis eandem tabulam per præcepta tradita proprio Marte construere velit, posito sinu toto partium 10000000. constituendus ei erit sinus totus in supputatione partium 1000000000. Nam si ex singulis sinubus inuentis abijciantur duæ primæ figuræ ad dexteram, vt diximus, reliqui erunt sinus respectu sinus totius 10000000. ijdem omnino, qui in tabula Ioannis Regiom. descripti sunt. Hoc idcirco dico, ne mireris, non omnes sinus per regulam proportionũ inuentos ex sinubus arcuum Minutis 45. se ordine superantium, posito sinu toto 10000000. ad vnguem respondere sinubus huius tabulæ. Vt enim sinus exquisite reperiatur respectu alicuius sinus totius, constituendus est in supputatione sinus totus centies maior, vt supra dictum est.

Quid agendum, vt sequens tabula sinuum exquisitecõstruatr, posito sinu toto partium 10000000.

28. quinti. quæ rectæ F E, ad rectam E C. Et componendo, maior etiam erit proportio anguli H D G, ad angulum E D G, quam rectæ F C, ad rectam E C. Quia igitur est, vt angulus A D C, ad angulum H D G, ita recta AC, ad rectã FC: (vtrobiq; enim est proportio dupla) Angulus autem H D G, ad angulum E D G, maiorem habet proportionem, quam recta F C, ad rectam E C, vt ostendimus; erit ex æquo maior quoque proportio anguli A D C, ad angulum E D G, quam rectæ A C, ad rectam E C, vt in hac formula

Anguli	Rectæ.
ADC.	A C.
HDG.	FC.
EDG.	E C.

31. quinti.

29. quinti. apparet. Diuidendo ergo erit quoq; maior proportio anguli A D E, ad angulum E D G, quam rectæ A E, ad rectam E C. Atqui vt angulus A D E, ad an-
33. sexti. gulum E D G, ita est arcus A B, ad arcum B C; Et vt recta A E, ad rectam EC,
3. sexti. ita est chorda A B, ad chordam B C. Igitur maior erit etiam proportio arcus A B, ad arcum B C, quam chordæ A B, ad chordam B C. In circulo ergo sumptis duobus arcubus inæqualibus, &c. Quod demonstrandum erat.

SCHO-

SCHOLIVM.

QVAMVIS autem Theorema hoc proponatur solum de arcubus illis inæqualibus, quorũ maiori maior chorda subtenditur, quàm minori: Idem tamen locum etiam habet in illis arcubus inæqualibus, quorum maioris chorda minor est, quàm chorda minoris. Nam quia tunc arcus maior ad minorem habet proportionẽ maioris inæqualitatis, chorda vero maioris arcus ad chordam minoris arcus proportionem habet minoris inæqualitatis, maior erit proportio maioris arcus ad minorem, quàm chordæ arcus maioris ad chordam minoris arcus.

COROLLARIVM.

SEQVITVR ex hac propositione, minorem esse proportionem minoris arcus ad maiorem, quàm chordæ minoris arcus ad chordam maioris. Cum enim maior arcus ad minorem habeat maiorem proportionem, quàm chorda maioris arcus ad chordam minoris, vt demonstratum est; habebit conuertendo minor arcus ad maiorem, minorem proportionem, quam chorda arcus minoris ad chordam maioris. 26. quinti.

THEOR. 8. PROPOS. 11.

SI in circulo quadrilaterum describatur cum suis diametris; erit rectãgulum sub diametris comprehensum æquale duobus rectãgulis simul, quæ sub lateribus oppositis continentur.

Rectangulũ sub diametris quadrilateri in circulo descripti contentũ æquale est duobus rectangulis sub oppositis lateribus contentis.

IN circulo A B C D, sit quadrilaterum A B C D, cuius diametri A C, B D. Dico rectangulum sub A C, B D, comprehensum æquale esse rectangulis simul sub A D, B C, & sub A B, D C, contentis. Fiat angulo D A C, æqualis angulus B A E; cadetq́; recta A E, vel in ipsam rectam A C; vel inter A C, rectam, & punctum B; vel deniq; inter rectam A C, & punctum D: atq; erit in primo casu angulus B A C, angulo D A E; & in secundo casu totus angulus B A C, toti angulo D A E, propter cõmunem angulum E A C, additum; & & in tertio casu reliquus angulus B A C, reliquo angulo D A E, ob communem angulum E A C, ablatum æqualis.

Et quoniam angulus quoq; A C B, angulo A D B, æqualis est; erit 21. tertij. reliquus etiam angulus A B C, in triangulo A B C, reliquo angulo A E D, in 32. primi. triangulo A E D, æqualis. Erit igitur vt A C, ad C B, ita A D, ad D E. Quare 4. sexti. rectangulum sub A C, D E, æquale est rectangulo sub C B, A D. Rursus 16. sexti. quia angulus B A E, angulo D A C, ex constructione æqualis est; & angulus A B D, angulo A C D: erit & reliquus angulus A E B, in triangulo A E B, re- 21. tertij.

4.sexti. liquo angulo A D C, in triangulo A D C, æqualis. Erit igitur, vt A C, ad C D,
16.sexti. ita A B, ad B E. Quare rectangulum sub A C, B E, æquale est rectangulo sub C D, A B. Quoniam igitur rectangulum sub A C, D E, rectangulo sub C B, A D, ostensum est æquale; & rectangulum sub A C, B E, rectangulo sub C D, A B: Sunt autem rectangula sub A C, D E, & sub



1.secundi. A C, B E, simul rectangulo sub A C, B D, æqualia; erit rectangulum sub A C, B D, rectangulis sub B C, A D, & sub C D, A B, contentis æquale. Si ergo in circulo quadrilaterum describatur, &c. Quod erat demonstrandum.

SCHOLIVM.

QVANDO figura in circulo descripta est quadratum, vt in prima figura, facilius demonstrabitur theorema, hoc modo. Quoniam rectangulum sub A C, B D, Schol. 34. lib. 1. *hoc est, quadratum ex A C, (sunt enim diametri in quadrato æquales) æquale est* 47.primi. *quadratis ex A D, D C, hoc est, rectangulis sub A D, B C, & sub A B, D C, contentis, propter æqualitatem rectarum A D, B C, & A B, D C; liquido constat id, quod proponitur.*

Ex data diametro circuli quo pacto latera trianguli æquilateri, quadrati, hexagoni, pentagoni, & decagoni eiusdem circuli inuestigent.

PROBL. 4. PROP. 12.

EX data circuli diametro quotlibet particularum, latera trianguli æquilateri, quadrati, hexagoni, pentagoni, & decagoni in eodem circulo descriptorum, in eisdem partibus inuestigare.

PONATVR diameter partium 20000000. Quoniam igitur latus hexagoni semidiametro circuli est æquale, ipsum notum fiet partium 10000000. (Coroll. 15. quarti.)

RVRSVS, quia quadratum à diametro quadrati cuiusuis descriptum, duplum est quadrati eiusdem; (Schol. 47. primi.) Est autem diameter quadrati in circulo descripti eadem, quæ circuli diameter: si accipiatur quadratum à diametro circuli descriptũ, nẽpe 400000000000000. erit dimidiũ eius, puta 200000000000000. quadratum lateris quadrati, cuius radix quadrata 14142136. dabit latus quadrati. Quod hoc etiam modo reperietur. Quoniam quadratum in circulo de-
47.primi. scriptum duplum est quadrati à semidiametro descriptum, vt patet in triangulo rectangulo A D E, primę figuræ præcedẽtis propos. si 100000000000000. quadratum semidiametri duplicetur, fiet quadratum in circulo descriptum partium 200000000000000. cuius radix quadrata 14142136. rursus dabit latus quadrati.

PRAE-

PRAETEREA, cum latus trianguli æquilateri in circulo descripti sit potentia triplum semidiametri eiusdem circuli, efficitur, vt quadratum semidiametri triplicatum det quadratum lateris triãguli 300000000000000. cuius radix quadrata idem latus exhibebit partium 17320508. 12. tertij-dec.

SIT insuper A B, semidiameter circuli cuiusuis, qua diuisa secundum extremam ac mediam rationem in C, vt maius segmentum sit B C; producta autem A B, & abscissa B D, quæ maiori segmento B C, sit æqualis; erit quoq; A D, in B, diuisa secundum extremam ac mediam rationem, maiusq; segmentum erit A B: quod cum sit latus hexagoni in circulo, cuius semidiameter A B; erit B D, latus decagoni in eodem circulo. Quod hac ratione notum efficietur. Secta A B, bifariam in E, erit quadratum rectæ D E, compositæ ex minori segmento D B, & dimidio B E, maioris segmenti B A, quintuplum quadrati rectæ B E, quæ cognita est, cum sit semisis semidiametri A B, ac proinde partium 5000000. Quare si quadratum rectæ B E, quincuplicetur, fiet quadratum rectæ D E, 125000000000000. cuius radix quadrata dabit rectam D E, partium 11180340. ex qua si dematur recta B E, partium 5000000. reliquum erit B D, latus decagoni partium 6180340. 30.sexti. 5.tertijdec. coroll. 15.6 Schol.9. 13 3.tertijdec.



POSTREMO, quoniam pentagoni latus potest & latus hexagoni, & latus decagoni; si quadratum lateris hexagoni 100000000000000. & quadratum lateris decagoni 38196602515600. simul componantur, fiet quadratum lateris pentagoni 138196602515600. cuius radix quadrata dabit latus pentagoni partium 11755705. Atq; ita latera trianguli æquilateri, quadrati, pentagoni, hexagoni, & decagoni nota facta sunt in partibus diametri circuli, in quo describuntur. Ex data igitur circuli diametro quotlibet particularum, latera trianguli æquilateri, quadrati, &c. inuestigauimus. Quod erat faciendum. 10. tertij-dec.

PROBL. 5. PROP. 13.

EX datis chordis duorum arcuũ inæqualium chordam arcus, quo maior arcus minorem superat, inquirere.

Qua ratione ex duabus chordis cognitis inuestigetur chorda differentiæ, qua arcus chordarũ datarũ inter se differunt.

IN semicirculo A B C D, sint datæ chordæ A B, A C, & B C, sit chorda arcus B C, quo maior arcus A C, minorem A B, superat: oporteatq; inquirere chordã B C. Ductis rectis B D, C D; quoniam chordæ A B, A C, ponuntur notæ, notæ quoque erunt chordæ B D, C D. Rectangulum ergo sub datis rectis A B, C D, comprehensum, notum erit: Item rectangulum sub datis rectis A C, B D. Est autem rectangulum sub rectis, A C, B D, æquale duobus rectangulis sub A B, C D, & sub B C, A D. Ablato ergo rectangulo noto sub A B, C D, ex rectangulo sub A C, B D, notum fiet reliquum rectangulum sub B C, A D. 3.huius. 11.huius.



quod diuisum per diametrum A D, notam, cognitam faciet chordam B C. Ex datis ergo chordis duorum arcuum inæqualium chordam arcus, quo maior arcus minorem superat, inquisiuimus. Quod faciendum erat.

COROLLARIVM.

Praxis. ITAQVE datis chordis duorum arcuum inæqualium, si maioris chorda multiplicetur in chordam arcus, qui cum minori arcu semicirculum conficit, quæ quidem per 3. propos. datur; & ex producto subtrahatur numerus procreatus ex minoris arcus chorda in chordam arcus, qui cum arcu maiori semicirculum complet, quæ per eandem propos. 3. datur; reliquus autem numerus per diametrum diuidatur, reddetur chorda illius arcus, quo maior arcus minorem superat, nota: vt ex figura & demonstratione huius propos. manifestum est.

PROBL. 6. PROPOS. 14.

Qua arte ex datis duabus chordis cognoscatur chorda arcus cõpositi ex duobus arcubus datarũ duarũ chordarũ.

EX datis chordis duorum arcuum chordam arcus, qui ex duobus illis arcubus componitur, inuestigare.

IN circulo A B C D E, cuius centrum F, datæ sint duæ chordæ A B, B C: oporteatq; inuestigare chordam A C, arcus A B C, ex duobus arcubus A B, B C, compositi. Ductis duabus diametris A D, B E, & rectis BD, C E, C D,
5. huius. D E; quoniam data est chorda A B, dabitur quoq; chorda B D, arcus B C D, reliqui in semicirculo A B D. Pari ratione, quia data est chorda B C, dabitur quoq; chorda C E, arcus C D E, reliqui in semicirculo B C E. Et quia
15. primi. anguli A F B, D F E, æquales sunt, lateraq; F A, F B, lateribus F D, F E, æqualia, æquales quoque
4. primi. erunt bases A B, D E; ac proinde cum A B, data sit, data quoq; erit D E. Quoniam igitur rectan-
11. huius. gulum sub datis rectis B D, C E, æquale est rectangulis sub datis rectis B C, D E, & sub diametro B E, ac recta C D: si rectangulum sub B C, D E, datum auferatur ex rectangulo dato sub B D, C E; notum relinquetur rectangulum sub B E, C D. quo diuiso per diametrum notam B E, nota fiet chor-
3. huius. da C D; ac proinde & chorda A C, reliqui arcus A B C, in semicirculo A C D, nota erit.



3. huius. ALITER. Quoniam data est chorda A B, dabitur etiam B D, reliqui arcus B C D, in semicirculo A B D: Data est autem & B C. Igitur cum chordæ
13. huius. B D, B C, datæ sint, dabitur quoq; chorda C D, arcus C D, quo maior arcus
3. huius. B D, minorem arcum B C, superat; ac proinde rursus chorda A C, reliqui arcus A B C, in semicirculo A C D, dabitur. Ex datis ergo chordis duorum arcuum chordam arcus, qui ex duobus illis arcubus componitur, inuestigauimus. Quod erat faciendum.

COROLLARIVM.

Praxis. ITAQVE datis chordis duorum arcuum, si chordæ arcuum duorum, qui cum illis semicirculos complent, quæ quidem per propos. 3. dantur, inter se multiplicentur, & ex producto

ducto auferatur numerus procreatus ex multiplicatione duarum chordarum datarum inter se; reliquus autem numerus per diametrum diuidatur, relinquetur chorda, ex qua si per propos. 3. inuestigetur chorda arcus, qui cum relictæ chordæ arcu semicirculum conficit, erit hæc inuenta subtendens arcum compositum ex duobus arcubus duarum chordarum datarum. Operatio hæc perspicua est ex figura, & demonstratione priori huius propos.

EADEM hæc operatio colligi potest ex posteriori demonstratione, vt manifestum est.

PROBL. 7. PROPOS. 15.

Quo pacto ex data chorda reperiatur chorda semissis arcus datæ chordæ.

EX data chorda cuiusuis arcus chordā semissis illius arcus inuenire.

IN circulo A B C, cuius centrum E, data sit chorda B C, arcus B D C, cuius semissis sit arcus B D, eiusq; chorda B D, quam inuenire oporteat. Ducta diametro D G, secabit ea, per lemma in definitionibus positum, rectam B C, bifariam, ac proinde ad angulos rectos. Iunctis autem rectis B A, B G; erunt duo triangula A B C, E F C, æquiangula, cum angulus E F C, ostensus sit rectus, & angulus A B C, sit quoq; rectus in semicirculo, at angulus C, commu nis. Igitur erit, vt C F, ad F E, ita C B, ad B A: & permutando, vt C F, ad C B, ita F E, ad B A. Cum ergo C F, dimidium sit ipsius C B, vt ostendimus, erit & E F, dimidium ipsius A B: ac propterea cum A B, data sit ex data B C, data quoq; erit E F; qua dempta ex semidiametro E D, nota, data erit quoq; reliqua F D. Quoniam vero in triangulo G B D, angulus B, rectus est, à quo demissa est B F, ad basim G D, perpendicularis; erit recta D B, media propor tionalis inter G D, & F D: atq; adeo rectangulum sub G D, F D, notis quadrato rectæ D B, æquale. Notum ergo erit quadratum rectæ D B; propterea q; radix eius quadrata rectam D B, notam exhibebit. Quam etiam ita cognoscemus. Quoniam F D, nota facta est, erunt quadrata rectarum F D, F B, nota: quæ cum æqualia sint quadrato rectæ B D; erit & hoc quadratum notum, cuius radix quadrata iterum rectam B D, efficiet notam. quod est propositum.

3. tertij. 31. tertij. 4. sexti. 3. huius. 31. tertij. Coroll. 8. 6. 17. sexti. 47. primi.

ALITER. SIT rursus in semicirculo A B C, data chorda B C, arcus B D C, cuius semissis sit arcus D C, eiusq; chorda D C, quam oporteat dari. Ducta chorda A B, abscindatur ei æqualis A E, iunganturq; rectæ B D, D E; Diuisa quoq; E C, bifariam in F, demittatur recta D F. Quoniam igitur duo latera B A, A D, æqualia sunt duobus lateribus E A, A D, angulosq; comprehendunt æquales, ob arcus æquales B D, D C; erunt bases B D, D E, æquales. Est autem B D, recta rectæ D C, æqualis. Igitur & recta D E, eidem D C, æqualis erit. Quare cum duo latera E F, F D, duobus lateribus C F, F D, æqualia sint, basisq; D E, basi D C, æqualis; erunt anguli ad F, æquales, ideoq; recti. Quoniam vero chorda A B, nota est ex data chorda B C; erit quoq; A E, ipsi A B, æqualis, nota: qua ablata ex diametro A C, nota relinquetur E C; ac proinde & huius medietas F C. Iam vero, quia C D, media

27. tertij. 4. primi. 29. tertij. 8. primi. 3. huius. Coroll. 8. 6.



pro-

19. sexti. proportionalis est inter A C, F C; erit rectangulum sub A C, F C, æquale quadrato rectæ C D. Cum ergo illud notū sit, ob notas A C, F C; erit & quadratum ex D C, notum: atq; adeo radix eius quadrata rectam D C, efficiet notam. Quare ex data chorda cuiusuis arcus chordam semissis illius arcus inuenimus. Quod erat faciendum.

COROLLARIVM.

Praxis. ITAQVE, si per propos. 3. inueniatur chorda arcus, qui cum arcu datæ chordæ semicirculum conficit; inuentæ autem huius chordæ dimidium ex semidiametro detrahatur, & reliquus numerus in diametrum multiplicetur, dabit radix quadrata huius producti chordam semissis illius arcus, cuius chorda data est. Vel si reliqui illius numeri quadratum iungatur quadrato semissis chordæ datæ, componetur numerus, cuius radix quadrata chordam quæsitam exhibebit cognitam. Quæ quidem operatio facile colligitur ex figura, & priori demonstratione huius propos.

ITEM si per propos. 3. reperiatur chorda arcus, qui cum arcu datæ chordæ semicirculum conficit; inuenta autem hæc chorda ex diametro detrahatur, & reliqui numeri dimidium in diametrum multiplicetur, dabit radix quadrata huius producti chordam semissis illius arcus, cuius chorda data est. Vt perspicuum est ex figura, & posteriori demonstratione huius propos.

PROBL. 8. PROPOS. 16.

Qua ratione omniū arcuū chordæ supputentur.

CHORDAS omnium arcuum semicirculi sese ordine superantium vno Minuto, in partibus diametri in quotius particulas distributæ, supputare.

STATVAMVS, chordas omnium arcuum supputandas esse respectu diametri in partes 200000. distributæ. Quod vt fiat accuratius, ponenda erit in supputationibus diameter partium 20000000. Ita enim fiet, vt abiectis duabus primis figuris ad dexteram ex singulis chordis inuentis, relinquātur chordæ magis exquisitę respectu diametri partium 200000. quemadmodum ad initium propos. 9. de Sinubus docuimus, vbi etiam addidimus, quot particularum sinus totus assumi debeat in supputatione, si sinus totus in tabula plurium particularum desideretur. Quod etiam de tota diametro hic intelligi debet, statuendo semper diametrum duplo plurium particularum in supputatione, quam sinum totum ibi constituimus.

PRIMVM ergo omnium inuentæ sunt in propos. 12. chordæ arcuum grad. 36. grad. 60. grad. 72. grad. 90. & grad. 120. nempe latera decagoni, hexagoni, pentagoni, quadrati, & trianguli æquilateri, partium 6180340. 10000000. 11755705. 14142136. 17320508. qualium 20000000. tota diameter statuitur. Ex chordis autem 6180340. 11755705. arcuum grad. 36. & grad. 72. inuenientur chordæ arcuum reliquorum in semicirculo, vt grad. 144. & grad. 108. partium 19021130. 16180340. vt in propos. 3. ostendimus.

DEINDE per propos. 13. eiusq; corollarium reperientur chordæ omnium arcuum, qui differentiæ sint duorum quorumlibet arcuum, quorū chordæ sint notæ. Vt ex chorda arcus grad. 120. & ex chorda arcus grad. 36. inueniemus chordam arcus grad. 84. qui illorum differentia est. Item ex chorda

arcus

arcus grad. 90. & ex chorda arcus grad. 60. cognoſcemus chordam arcus grad. 30. quo duo illi inter ſe differunt. Eodemq; modo plurimorum arcuum chordas inueſtigabimus.

RVRSVS per ea, quæ propoſ. 14. eiuſq; corollario demonſtrauimus, reperiemus chordam cuiuſq; arcus compoſiti ex duobus, quorum chordæ notæ ſint. Vt ex chorda arcus grad. 60. & ex chorda arcus grad. 90. nota reddetur chorda arcus grad. 150. ex illis duobus compoſiti. Sic etiam ex chorda arcus grad. 90. & ex chorda arcus grad. 36. cognoſcetur chorda arcus grad. 126. &c.

PRAETEREA per doctrinam propoſ. 15. eiuſq; coroll. cognita chorda cuiuſuis arcus, cognoſcemus & chordam dimidiati arcus. Vt ex chorda arcus grad. 60. notam efficiemus chordam arcus grad. 30. Ex hac chordam arcus grad. 15. Ex hac vero chordam arcus grad. 7. Min. 30. & ex hac chordam arcus grad. 3. Min. 45. Item ex chorda arcus grad. 72. explorabimus chordam arcus grad. 36. Et ex hac chordã arcus grad. 18. Et ex hac chordã arcus grad. 9. Et ex hac chordã arcus grad. 4. Min. 30. Et ex hac chordam arcus grad. 2. Min. 15. Sic etiam, quoniam per propoſ. 13. eiuſq; coroll. ex chordis arcuum grad. 36. & grad. 48. cognoſcitur chorda arcus grad. 12. quo illi duo inter ſe differunt, cognoſcemus ex chorda arcus grad. 12. chordam arcus grad. 6. Et ex hac chordam arcus grad. 3. Ex hac chordam arcus grad. 1. Min. 30. Et ex hac chordam arcus grad. 0. Min. 45. Deinde ſi per ea, quæ demonſtrata ſunt, arcuum cæterorum chordas diligẽter ex inuentis inquiramus, inueniemus chordas omnium arcuum, qui ſe ordine continuo ſuperant Minutis 45. ita vt primus arcus contineat grad. 0. Min. 45. ſecundus grad. 1. Min. 30. tertius grad. 2. Min. 15. vltimus deniq; ſit totus ſemicirculus grad. 180. Immo vero, ſi, vt proxime docuimus, inuenta fuerit chorda arcus grad. 0. Min. 45. inueniemus ex hac, per doctrinam propoſ. 14. eiuſq; coroll. chordas omnium arcuum ſeſe continue Minutis 45. ſuperantium, ſi primo inueſtigemus chordam arcus grad. 1. Min. 30. ex duobus arcubus Min. 45. & Min. 45. compoſiti: Deinde vero chordam arcus grad. 2. Min. 15. qui ex duobus arcubus grad. 1. Min. 30. & Min. 45. componitur: Et poſtea chordam arcus grad. 3. qui componitur ex arcu grad. 2. Min. 15. & ex arcu Min. 45. atq; ita deinceps, apponendo ſemper arcui antecedenti arcum Min. 45.

Supputatio chordarũ arcuum Min. 45 ſeſe ſuperantium.

POSTREMO aliorum arcuum chordas inueſtigabimus hac arte. Sit in ſemicirculo ABCDE, chorda AB, arcus Min. 45. & AD, chorda arcus grad. 1. Min. 30. at AC, chorda arcus grad. 1. quæ inueſtiganda proponatur. Quoniam igitur maior eſt proportio arcus AC, ad arcum AB, quam chordæ AC, ad chordam AB: Habet autem arcus AC, ad arcum AB, proportionẽ ſeſquitertiam; habebit chorda AC, ad chordam AB, proportionem minorem, quàm ſeſquitertiam. Cum ergo chorda AB, arcus Min. 45. ex præcedentibus inuenta ſit partium ferè 130899. erit chorda AC, arcus grad. 1 (quæ nimirum ad chordam AB, hoc eſt, ad 130899. minorem proportionem habet, quam ſeſquitertiam.) minor, quàm 174532. cum hic numerus ad illum proportionem habeat ſeſquitertiam. Rurſus quia maior eſt proportio arcus AD, ad arcum AC, quam chordæ AD, ad chordam AC: Habet autem

Supputatio chordæ arcus grad. 1.



10. huius.

10. quinti.

10. huius.

autem arcus A D, ad arcum A C, proportionem sesquialteram; habebit chorda A D, ad chordam B C, minorem proportionem, quam sesquialteram. Cum ergo chorda A D, arcus grad. 1. Min. 30. ex præcedentibus inuēta sit partium ferè 261792. erit chorda A C, arcus grad. 1. (ad quam nimirum chorda A D, hoc est, numerus 261792. minorem proportionem habet, quam sesquialterā.)
10. quinti. maior, quam 174528. cum ad hunc numerum numerus 261792. proportionem sesquialteram habeat. Constat igitur, chordam arcus grad. 1. consistere inter duos hos numeros, 174532. 174528. cum ille maior sit, hic vero minor. Statuamus ergo eam esse 174530. inter numeros illos omnino mediam. Ita enim sensibiliter non differet à vera chorda arcus grad. 1.

NON putes autem, eadem hac arte inuestigari posse chordam arcus cuiusuis plurium graduum ex duabus chordis notis duorum arcuum circunstantium. Nam cum in maioribus arcubus magna sit differentia inter arcus, & chordas, ægre iudicari poterit, quinam numerus ex intermedijs inter duos inuētos constitui debeat chorda arcus propositi. Quod hoc exemplo faciemus perspicuum. Sint cognitæ chordæ arcuum grad. 59. Min. 46. & grad. 60. Min. 30. partium 9964712. & 10075480. Si quis igitur ex his eruere vellet chordam arcus grad. 60. ita esset ei progrediendum. Quoniam minor est proportio arcus
Coroll. 10. huius. grad. 59. Min. 46. ad arcum grad. 60. quam chordæ ad chordam: Habet autem 9964712. chorda arcus grad. 59. Min. 46. ad $10003614\frac{1698}{1793}$. proportionem eandem, quam arcus grad. 59. Min. 46. ad arcum grad. 60. erit chorda ar-
10. quinti. cus grad. 60. minor, quam $10003614\frac{1698}{1793}$. vtpote ad quam chorda 9964712. maiorem proportionem habeat, quam ad $10003614\frac{1698}{1793}$. Item
10. huius. quia maior est proportio arcus grad. 60. Min. 30. ad arcum grad. 60. quam chordæ ad chordam: Habet autem 10075480. chorda arcus grad. 60. Min. 30. ad $9992211\frac{69}{121}$. eandem proportionem, quam arcus grad. 60. Min. 30. ad
10. quinti. arcum grad. 60. erit chorda arcus grad. 60. maior, quam $9992211\frac{69}{121}$. vtpote ad quam chorda 10075480. proportionem habeat minorem, quam ad $9992211\frac{69}{121}$. Constituenda igitur esset chorda arcus grad. 60. inter hos duos numeros $10003614\frac{1698}{1793}$. $9992211\frac{69}{121}$. qui cum valde inter se differant (est enim eorum differentia ferme 11403.) ambiguum erit, quanta ea sit assumenda. Quæ ambiguitas in peruestigatione chordæ arcus grad. 1. locum non habet, cum in tam paruis arcubus chordę parū ab arcubus differant.

Supputatio chordarū arcuum per Min. 15. extensorum. IAM vero inuenta chorda arcus grad. 1. reperiemus quoq;, per propos. 15. eiusq; coroll. chordam arcus Min. 30. Et ex hac chordam arcus Min. 15. Sed hanc postremam etiam inueniemus per propos. 13. eiusq; coroll. cum arcus Min. 15. sit differentia inter arcum grad. 1. & arcum Min. 45. quorū chordæ iam sunt cognitæ. Per chordā autem arcus Min. 15. cognoscemus per propos. 14. eiusq; coroll. chordā arcus Min. 30. qui ex arcu Min. 15. & ex arcu Min. 15. componitur. Item chordam arcus Min. 45. ex arcubus Min. 30. & Min. 15. compositi. Item chordam arcus grad. 1. ex arcubus Min. 45. & Min. 15. conflati. Et chordam arcus grad. 1. Min. 15. Et chordam arcus grad. 1. Min. 30. quamuis omnes hæ chordæ iam factæ sint alia ratione notæ. Deniq; hac via reperiemus chordas omnium arcuum sese ordine Minutis 15. superantium: quamuis multas illarum alijs rationibus inuestigare possimus, vt ex propos. 13. 14. 15. earumq; corollarijs manifestum est.

Supputatio chordarū QVOD si statuantur ordine omnes arcus sese Minutis 15. superantes, vnà cum eorum chordis; & ad dexteram cuiusuis chordæ ascribatur differentia,

tia, qua à præcedenti chorda differt, inueniemus per regulam proportionum chordas aliorum arcuum intermediorum per quina minuta extensorum: & ex his chordas omnium arcuum per singula minuta progredientium; quemadmodum supra de inuétione sinuum diximus. Quod vt facilius intelligatur, proponemus hoc vnum exemplum. Sit inquirenda chorda arcus Min. 20. Quoniam igitur differentia inter 43632. chordam Min. 15. & 87264. chordam Min. 30. est 43632. Dic. Si Min. 15. quibus arcus Min. 15. ab arcu Min. 30. differt, requirunt differentiam 43632. adijciendam ad chordam arcus Min. 15. vt fiat chorda arcus Min. 30. quantã postulant differentiam Minuta 5. quibus arcus Min. 15. ab arcu Min. 20. differt, addendam ad eandem chordam arcus Min. 15. vt componatur chorda arcus Min. 20? Inuenies enim requiri differentiam 14544. quæ addita ad 43632. chordam arcus Min. 15. constituet 58176. chordam arcus Min. 20. Eademq; ratio est de cæteris. arcuum per singula Minuta extensorum.

SCHOLIVM.

SED *magnum compendium nobis in hac re afferet propositio sexta. Nam ex ea plurimas chordas ex alijs inuentis per solam additionem, subtractionemue cõficiemus. Si namq; chordam cuiusuis arcus, qui maior non sit, quàm grad. 60. addamus chordæ arcus, quem arcus grad. 120. sumpto illo arcu superat, componemus chordam arcus, qui eodem illo arcu assumpto arcum grad. 120. excedit: propterea quòd differentia inter chordas duorum horum arcuum maiorum æqualis est chordæ arcus illius assumpti, qui maior non ponitur, quàm grad. 60. vt ibi ostendimus. Vt si 3472964. chordam arcus grad. 20. adijciamus ad 15320890. chordam arcus grad. 100. quem arcus grad. 120. superat dicto arcu grad. 20. cõponemus 18793854. chordã arcus grad. 140. qui arcum grad. 120 eodem arcu grad. 20. excedit. Ita quoque, si 10000000. chordam arcus grad. 60. addamus chordæ 10000000. arcus grad. 60. quem arcus grad. 120. dicto illo arcu grad. 60. superat, conficiemus 20000000. chordam arcus grad. 180. qui arcum grad. 120. eodem illo arcu grad. 60. superat.* Compendium mirificũ pro inuentione plurim arũ chordarũ.

ITEM *si chordam cuiuslibet arcus, qui arcu grad. 60. maior non sit, subtrahamus ex chorda arcus, qui arcum grad. 120 sumpto illo arcu superat, relinquetur chorda arcus, quem arcus grad. 120. eodem illo arcu assumpto excedit. Vt si 3472964. chordam arcus grad. 20. detrahamus ex 18793854. chorda arcus grad. 140. qui arcum grad. 120. superat arcu illo sumpto grad. 20. remanebit 15320890. chorda arcus grad. 100. qui eodem illo arcu grad. 20. ab arcu grad. 120. superatur.*

RVRSVS *si ex chorda cuiusuis arcus, qui maior sit arcu grad. 120 subducatur chorda arcus, qui tanto minor sit arcu grad. 120. quanto ille maior est, reliqua erit chorda arcus, quo vteruis illorum ab arcu grad. 120. differt. Vt si ex 18793854. chorda arcus grad. 140. auferamus 15320890. chordam arcus grad. 100. relinquetur 3472964. chorda arcus grad. 20. quo vterq; illorum ab arcu grad. 120. differt. Quæ omnia ex dicta propos. 6. colliguntur.*

SATIS *ergo est, vt per regulam proportionum inuestigentur chordæ omnium arcuum à principio semicirculi vsque ad arcum grad. 60. Si enim ex his reperiantur chordæ arcuum, qui cum illis semicirculum conficiant, & ex his repertis subducantur priores illæ inuentæ, remanebunt chordæ omnium arcuum inter arcum grad. 60. & arcum grad. 120. Item si notæ essent chordæ omnium arcuum ab arcu grad. 60. vsq; ad finem semicirculi, & chordæ omnium arcuũ, qui minores sint arcu grad. 120. auferren-*

ferrentur ex chordis omnium arcuũ maiorũ, quàm grad. 120. reliquæ fierent chordæ mnium arcuum à principio semicirculi vsque ad arcum grad. 60. Deniq; si chordæ omnium arcuum à principio semicirculi vsque ad arcum grad. 120. inuentæ essent, & chordæ omnium arcuum minorum, quàm 60. grad. chordis omnium arcuum maiorum quàm grad. 60. adijcerentur, componerentur chordæ omnium arcuum maiorum, quàm grad. 120.

Qua rõne sinus oĩum arcuum ex chordis inueniantur.

PORRO *si chordæ omnium arcuum semicirculi in tabulam redigantur, & chordæ omnium arcuum, qui se continuè* Minutis *2. excedunt, secentur bifariam, inuenientur sinus omnium arcuum per singula* Minuta *progredientiũ, vt ex defin. 3. constat.*

Recti⁹ fecere eos, q̃ tabulã sinuũ cõstruunt, quàm qui chordarũ.

HINC *constat, rectius fecisse recentiores, qui sinuum tabulã confecerunt, quàm* Ptolemæum *& veteres, qui chordas in tabulam redegerunt.* Pro *sinubus enim satis est, si* Quadrans *circuli per singula* Minuta *extendatur: at pro chordis necesse est totum semicirculum per* Minuta *singula extendere: ita vt chordarum tabula sit duplo maior quàm tabula sinuum.* Taceo, *multo expeditiorem, breuiorem, faciliorem q; esse sinuum, vsum in rebus* Astronomicis, *&* Geometricis, *quàm chordarum: vt ijs est manifestum, qui sese in huiusmodi vsu exercuerunt aliquando.*

Differẽtiæ chordarũ à principio semicirculi vsq; ad eius finẽ sensim decrescunt: ita vt chordæ minorũ arcuũ maiores habeant differentias, quàm chordæ arcuum maiorũ dũ modo arc⁹ habeãt differentias æquales.

QVEMADMODVM *autem sinuũ differentiæ sensim decrescunt à principio quadrantis vsque ad eius finem; ita vt, positis pluribus arcubus æqualiter sese excedentibus, minorum sinus habeant maiores differentias, quàm sinus maiorum, vt in coroll. propos.* 1. *ostendimus: ita quoque chordarum differentiæ paulatim decrescunt à principio semicirculi ad eius finem vsq. Nam positis pluribus arcubus, quorum æquales sint differentiæ, minorum chordæ maiores habent differentias, quàm chordæ maiorum. quod ita demonstrabimus. Sint in semicirculo* ABCDE, *arcus* AB, AC, AD, *quorum differentiæ* BC, CD, *æquales sint, chordæ autem eorundem* AB, AC, AD: *abscindaturq; recta* AF, *chordæ* AB, *æqualis; & recta* AG, *chordæ* AC, *æqualis.* Dico FC, *differentiam inter chordas* AB, AC, *maiorem esse, quàm* GD, *differentiam inter chordas* AC, AD. *Abscissa enim recta* AH, *æquali ipsi* AF, *vel ipsi* AB, *iunctisque rectis* BC, CD, CG, CH: *quoniam latera* BA, AC, *lateribus* HA, AC, *æqualia sunt, angulosq; continent æquales ad* A, *propter æquales arcus* BC, CD; *erunt bases* BC, CD; *æquales.*



27. tertij.
29. tertij.
5. primi.
17. primi.
5. primi.

Est autem recta BC, *rectæ* CD, *æqualis, ob æquales arcus eosdem* BC, CD. *Igitur & recta* CH, *rectæ* CD, *æqualis erit. Anguli ergo* CHD, CDH, *æquales quoque erunt: qui cum sint duobus rectis minores: erit vterque eorum acutus. Eodem pacto erit vterque angulorum* ACG, AGC, *acutus: propterea quod inter se etiam æquales sunt, ob æquales rectas* AC, AG. *Quia igitur in triangulo* CGH, *anguli ad* G, H, *acuti sunt; fit, vt* CI, *ducta ad* DH, *perpendicularis cadat intra triangulum in rectam* GH, *vt in scholio propos.* 13. *lib. 2. Eucl. demonstrauimus. Itaque quia duo anguli* CHI, CIH, *trianguli* CHI, *duobus angulis* CDI, CID, *æquales sunt, suntq; duo latera* CH, CD, *æqualibus rectis angulis opposita æqualia, vel certe latus* CI, *commune est; erunt quoque latera* IH, ID, *æqualia.*

26. primi.

Cum ergo ID, *maior sit, quàm* GD, *erit quoq;* HI, *& à fortiori* HG, *maior, quam* GD. *Est autem* HG, *ipsi* FC, *æqualis, propterea quòd & rectæ* AC, AG, *inter se, & rectæ* AF, AH, *inter se æquales sunt. Igitur &* FC, *differentia chordarum* AB, AC, *maior erit, quàm* GD, *differentia chordarum* AC, AD. *Quod est propositum.*

NEC.

NEC vero prætereundum est, si, posita diametro partium 120 chordas arcuum inquiramus in partibus, Minutis, & Secundis, vt Ptolemæus fecit, chordas arcuum minorum, quàm grad. 60. habere plures Partes, Minuta, ac Secunda: quam arcus, quorum sunt chordæ: at vero chordas arcuum maiorum, quàm grad 60. esse pauciorum Partium, Minutorum, ac Secundorum, quàm arcus illis respondentes. Vt in tabula hic apposita manifestum est, quam ex Ptolemæi tabula exerceptam huc transtuli. In qua cernis chordas arcuum minorum, quàm grad. 60. maiores esse, quoad numerum partium, Minutorum, & secundorum, quàm arcus respondentes, quoad gradus, ac Minuta; chordas vero arcuum maiorum, quàm grad. 60. esse minores arcubus respondentibus, quoad eosdem numeros. Cuius quidem rei hæc est demonstratio.

Arcus		Chordæ		
G	M.	Par.	M	Sec.
0	30	0	31	25
10	0	10	27	32
20	0	20	50	16
45	0	45	55	19
50	0	50	42	51
60	0	60	0	0
66	30	65	47	43
80	30	77	32	6
90	0	84	51	10
120	0	103	55	23
170	0	119	32	37

IN semicirculo ABCDE, sit arcus AC, grad. 60. & AB, minor, nempe grad. 45. at AD, maior, puta grad. 80. Min. 30. ducanturque chordæ AB, AC, AD. Dico chordam AB, maiorem esse, quàm Par. 45. at chordam AD, minorem, quàm Partiũ 80. Min. 30. Cum enim maior sit proportio arcus AC, ad arcum AB, quàm chordæ AC, ad chordam AB: sit autem proportio arcus AC, ad arcum AB, eadem, quæ 60. ad 45. erit proportio chordæ AC, ad chordam AB, minor, quàm 60. ad 45. Quare cum chorda AC, sit Partium 60. vtpote quæ semidiametro æqualis est, per coroll. propos. 15. lib. 4. Eucl. erit chorda AB, maior, quàm Partium 45. propterea quòd 60. ad numerum, qui maior sit, quàm 45. minorem proportionem habet, quàm ad 45. Atq; ita in tabella superiori vides chordam arcus grad. 45. esse Partium 45. Min. 55. Sec. 19. Rursus quia maior est proportio arcus AD, ad arcum AC, quàm chordæ AD, ad chordam AC: Est autem proportio arcus AD, ad arcum AC, eadem, quæ grad. 80. Min. 30. ad 60. erit chordæ AD, ad chordam AC, minor proportio, quàm Par. 80. Min. 30. ad 60. Cum ergo chorda AC, sit Partium 60. erit chorda AD, minor, quàm Par. 80. Min. 30. propterea quòd numerus, qui minor sit, quàm Par. 80. Min. 30. ad 60. minorem proportionẽ habet, quàm Par. 80. Min. 30. ad eundem numerum 60. Atque ita cernis in superiori tabella chordã arcus grad. 80. Min. 30. cõtinere partes duntaxat 77. Min. 32. Sec. 6. Eademq; ratio est de aliis chordis minoribus, & maioribus, quàm AC, hoc est, quàm chorda arcus grad. 60.



10. huius.

8. quinti.

10. huius.

8. quinti.

LINAE TANGENTES, atque Secantes.

QVANQVAM Astronomi omnia sua problemata, atque theoremata per solos sinus explicare poßint, vt communiter ab omnibus fieri solet, quia tamen multa facilius, ac breuius expediuntur, si vnà cum sinubus lineæ tangentes, secantesque adhibeantur, vt ex doctrina triangulorum erit manifestum; quas quidem lineas vtili sane consilio Recentiores excogitarunt, atque in tabulas redegerunt: visum est has etiam lineas paucis exponere, vt doctrina nostrorum triangulorum perfectior euadat.

Doctrina triangulorũ in quo consistat.

Vniuersa siquidem triangulorum doctrina in tribus hisce linearum generibus, nempe in sinubus, lineis tangentibus, & secantibus, potißimum consistere videtur. Primum autem explicandum est, quid sit linea tangens, & quid secans propositi cuiusuis arcus.

Linea tangens, & secans quid.

CVM *ergo ab altero extremo cuiuslibet arcus, qui quadrante minor sit, semidiameter ducta fuerit, in cuius extremitate recta linea circulum tangat, & per alterum extremum eiusdem arcus extendatur alia recta linea ex centro ad tangentem lineam vsque: appellatur portio lineæ tangentis inter duas rectas è centro egredientes, Linea tangens illius arcus, quem eadẽ duæ rectæ e centro eductæ includunt: Recta vero altera puncto contactus opposita inter centrum, & lineam tangentem, dicitur Linea secans eiusdem arcus. Vt si in circulo A B, cuius centrum C, sumatur arcus A B, quadrante minor, & in extremitate semidiametri A C, ab extremitate A,*

ducta

ducta recta A D, circulum tangat, recta autem C D, circulum secet, conueniens cum A D, in D, (conueniet enim necessario, propterea quòd duo anguli C A C, D C A, duobus rectis sunt minores; cum ille rectus sit, hic autem recto minor, propter arcum A B, quadrante minorem.) dicetur A D, Tangens arcus A B, at C D, Secans eiusdē arcus. Tangentem vocant nonnulli Adscriptam, quòd circulo quodāmodo adscribatur; Secantem vero, Hypotenusam, propterea quòd in triangulo rectāgulo A C D, (angulus enim A, apud contactum rectus est) angulum rectum subtendit: Semidiametrum denique A C, siue sinum totum, dicunt basem eiusdem trianguli.



Linea adscripta, & Hypotenusa quid.

18. tertij.

QVEMADMODVM *autem in omni triangulo rectangulo, si latus recto angulo oppositum ponatur sinus totus, reliqua duo latera sunt sinus recti reliquorum angulorum acutorum, quibus opponuntur; Item vtrumuis reliquorum laterum est sinus complementi anguli sibi adiacentis, vt in definitionibus sinuum traditum est: ita quoque si alterutrum laterum circa angulum rectum statuatur sinus totus, erit alterum latus circa angulum rectum Tangens anguli acuti sibi oppositi, latus vero angulo recto oppositum Secans eiusdem anguli. Vt in triangulo rectangulo A C D, latus C A, est sinus totus, nempe semidiameter circuli A B: at A D, tangens anguli C, vel arcus A B, & C D, eiusdem secans. Eodem pacto, si D A, statuatur sinus totus, erit A C, tangens anguli D, & D C, eiusdem secans.*

Si in triangulo rectangulo alterutrum laterum circa angulū rectum ponatur sinus totus, erit alterum latus circa angulum rectū tangens anguli acuti sibi oppositi, & latus recto angulo oppositum eiusdem secans.

ETSI *autem diximus, tangentem, & secantem sumi respectu arcus quadrante minoris, tamen eadem tangens, & secans referri solet ad arcum etiam, qui cum illo semicirculum complet: adeo vt duo arcus semicirculum conficientes, vel duo anguli duobus rectis æquales, vnam eandemq; tangentem, atq; secantem habeant: quemadmodum & eundem sinum rectum habent, vt in tractatione sinuum tradidimus: adeo vt si quæratur tangens & secans alicuius arcus quadrante maioris, sumenda sit tangens, & secans arcus quadrante minoris, qui cum illo semicirculum complet.*

Duo arcus semicirculū cōficiētes vel duo anguli duob⁹ rectis æquales habent candē tangentem & secantem.

PORRO *qua ratione Tangentes, & Secantes omnium arcuum quadrantis reddantur cognitæ in partibus sinus totius, ac proinde qua via tabula Tangentium, tabula item Secantium componenda sit, sequentibus propositionibus, quæ ad lineas Tangentes, ac Secantes spectant, planum fiet.*

THEOR. 9. PROPOS. 17.

Tangentes quomodo se habeant cū sinu toto comparatæ.

TANGENS dimidij quadrantis sinui toti æqualis est: Tangens autem arcus maioris dimidio quadrantis maior est sinu toto: Et Tangens minoris arcus minor est. Secans denique dimidij quadrantis dupla est sinus recti eiusdem dimidij.

IN quadrante A B C, sit arcus C D, semissis ipsius; C E, semisse maior, & C F,

C F, minor. Ducta autem recta C H, ad A C, perpendiculari, quæ circulum
coroll. 16 3 tanget in C, ducantur rectæ A G, A H, A I, per puncta D, E, F. Item D K, ad A C, perpendicularis. Eritq; C G, tangens arcus C D; & C H, tangens arcus C E; & C I, tangens arcus C F. at D K, sinus rectus arcus C D, & A G, eiusdem secans. Dico C G, æqualem esse sinui toti A C; at C H, maiorem, & C I, minorem. Item A G, duplam sinus D K. Quoniam



27. tertij. enim anguli C A G, G A B, æquales sunt, ob arcus æquales C D, D B; estq; angulus B A C, rectus, erit vterq; illorum semirectus. Quare & reliquus angu-
32. primi. lus C G A, in triangulo A C G, semirectus erit; propterea quòd angulus C, rectus est. Igitur recta
5. primi. C G, tangens arcus C D, qui semissis est quadrantis, sinui toti A C, æqualis erit. Ex quo sequitur, C H, tangentem arcus C E, qui semisse quadrantis maior est, sinu toto A C, maiorem esse; & C I, tangentem arcus C F, qui semisse quadrantis minor est, minorem: cum punctum H, necessario cadat supra G, & punctum I, infra.

QVOD tamen seorsum ita quoq; ostendi potest, nulla habita ratione tangentis C G, cuius arcus est semissis quadrantis. Quoniam arcus C E, semisse quadrantis maior est, erit arcus B E, semisse quadrantis minor. Igitur angulus
Schol. 27. 3. C A H, angulo H A B, maior est, ac proinde maior semirecto. Cum ergo an-
32. primi. gulus C, rectus sit, erit reliquus A H C, in triangulo A C H, semirecto minor.
19 primi. Quare recta C H, tangens arcus C E, qui semisse quadrantis maior est, maior est sinu toto A C.

RVRSVS quia arcus C F, semisse quadrantis minor est, ac proinde B F,
Schol. 27. 3. maior, erit angulus C A I, angulo I A B, minor; atque adeo minor semirecto.
32. primi. Cum ergo angulus C, sit rectus, erit reliquus A I C, in triangulo A C I, maior semirecto: ac propterea recta C I, tangens arcus C F, qui quadrantis semisse
19. primi. minor est, minor erit sinu toto A C.

PRAETEREA quoniam angulus K, rectus est, & D A K, semirectus, vt
6. primi. ostensum est; erit & A D k, semirectus; ac proinde A K, sinui D K, æqualis
4. sexti. erit. Quia vero triangula G A C, D A K, æquiangula sunt, erit vt A G, ad AC, ita A D, hoc est, A C, ad A K; ac proinde tres rectæ G A, secans; A C, sinus totus, & A K, sinus dimidij quadrantis, continue proportionales erunt. Ita
Corol. 20. 6 ergo erit quadratum ex A G, ad quadratum ex A C, vt recta A G, ad rectam A K. Est autem quadratum ex A G, quadrati ex A C, duplum propterea quòd
47. primi. æquale est quadratis ex A C, C G, æqualibus. Igitur & A G, secans dimidij quadrãtis dupla est sinus A K, vel D K, eiusdem dimidij. Quocirca tangens dimidij quadrantis sinui toti æqualis est, &c. Quod demonstrandum erat.

SCHOLIVM.

Quæ tangentes in tabula tãgentiũ minores sint sinu toto, & quę maiores. Itẽ cur secãs gr. 45. dupla sit sinus gr. 45.

EX *hac propos. aperte causa colligitur, cur in tabula* Tangentium *omnes tangentes arcuum minorum, quàm grad. 45. minores sint sinu toto: Tangens vero arcus gra. 45. sinui toti æqualis:* Tangentes *denique omnes arcuum maiorum, quàm grad. 45. sinu toto maiores. Item cur in tabula Secantium secans arcus grad. 45. dupla sit sinus arcus eiusdem grad. 45.*

THEOR.

THEOR. 10. PROPOS. 18.

QVAM proportionem habet ſinus complementi arcus cuiuſuis ad ſinum rectum eiuſdem arcus, eam habet ſinus totus ad tangentem eiuſdem arcus: Item quam proportionem habet ſinus rectus cuiuſlibet arcus ad ſinum complementi eiuſdem arcus, eam habet ſinus totus ad tangentem eiuſdem complementi. Sinus autem totus medio loco proportionalis eſt inter ſinum complementi cuiuſuis arcus, & ſecantem eiuſdem arcus: Item inter ſinum rectum cuiuſlibet arcus, & ſecantem complementi eiuſdem arcus. Sinus denique idem totus medius proportionalis eſt inter tangentem arcus cuiuſuis, & tangentem complementi eiuſdem arcus. Quam proportionem habeat ſin⁹ totus ad tãgenté, & ſecantem cuiuſuis arc⁹.

IN quadrante A B C, ſit D F, ſinus arcus C D; & C E, eiuſdem tangens inter ſemidiametrum A C, & ſecantem A E: Item B G, tangens arcus B D, qui complementum eſt arcus C D. Dico ita eſſe ſinum complementi arcus C D, ad ſinum rectũ eiuſdẽ arcus, vt eſt ſinus totus A C, ad tangentem C E, &c. Quoniam enim, vt in expoſitione definitionum dictum eſt, A F, æqualis eſt ſinui complementi arcus C D, cum ſit æqualis ſinui recto arcus BD, qui complementum eſt arcus C D; ſuntq; triangula A F D, A C E, æquiangula, ob rectos angulos F, C, & communem angulum A: erit vt A F, ſinus complementi arcus C D, ad F D, ſinum rectum eiuſdem arcus C D, ita A C, ſinus totus ad C E, tangentem eiuſdem arcus. quod eſt primum. 4. ſexti.



DEINDE eadem ratione erit, vt A F, ſinus rectus arcus B D, ad F D, ſinũ complementi eiuſdem arcus B D, ita A C, ſinus totus ad C E, tangentem eiuſdem complementi arcus BD. quod eſt ſecundum.

TERTIO in eiſdem triangulis erit, vt A F, ſinus complementi arcus C D, ad A D, ſinum totum, ita A C, ſinus totus ad A E, ſecantem eiuſdem arcus C D. Item vt A F, ſinus rectus arcus B D, ad A D, ſinum totum, ita A C, ſinus totus ad A E, ſecantem arcus CD, qui complementum eſt eiuſdem arcus B D. Quare ſinus totus medius proportionalis eſt inter AF, ſinũ cõplementi arcus C D, & A E, ſecantem eiuſdem arcus C D: Item inter A F, ſinum rectum arcus B D, & AE, ſecantem complementi eiuſdem arcus B D. quod eſt tertium.



29 primi. 4. ſexti.

POSTREMO, quia triangula A C E; G B A, æquiangula ſunt, quòd anguli C, B, ſint recti; & alterni C A E, B G A, nec non alterni A E C, G A B, æquales: erit vt C E, tangens arcus C D, ad A C, ſinum totum, ita A B, ſinus totus ad B G, tangentem complementi eiuſdem arcus C D. Pari ratione erit, vt B G, tangens arcus B D, ad A B, ſinum totum, ita A C, ſinus totus ad C E, tangentem complementi eiuſdem arcus B D. quod eſt quartum. Quã ergo proportionem habet ſinus complementi arcus cuiuſuis, &c. Quod erat demonſtrandum.

SCHOLIVM.

Quo pacto tangentes omniũ arcuum reperiantur.

ITAQVE per ea, quæ primo loco demonſtrata ſunt in hac propoſ. ſi fiat, vt ſinus complementi cuiuſuis arcus ad ſinũ rectũ eiuſdẽ arcus, ita ſinus totus ad aliud; hoc eſt, ſi ſinus arcus cuiuslibet in ſinum totũ multiplicetur, (quod fiet facile, ſi ei ad dextrã præponas tot cifras, quot in ſinu toto continentur, nempe ſeptem, ſi ſinus totus fuerit 10000000. *vel quinque, ſi ſinus totus fuerit* 100000 *) productusq; numerus per ſinum complementi eiuſdem arcus diuidatur: inuenietur* Tangens *illius arcus, cuius ſinum complementi accepiſti, vel cuius ſinum rectum in ſinum totum multiplicaſti. Vt ſi tangens arcus gra.* 30. *quæratur, adiungemus eius ſinui recto* 5000000 *ſeptem cifras, hoc modo.* 50000000000000. *& hunc numerum per* 8660254 *ſinum complementi eiuſdem arcus grad.* 30. *partiemur. Nam quotiens numerus* 5773503. *dabit tangentem arcus grad.* 30. *quatenus ſinus totus eſt* 10000000. *Hinc fit, tangentes omnes per ſolam diuiſionem inueniri. Nam ſi omnium arcuum ſinubus, initio facto à principio quadrantis, ſeptem cifras apponas, & compoſitos numeros per ſinus complementorum eorundem arcuum, quemlibet per ſuum correſpondentem, diuidas, prodibunt omnium arcuum tangentes, vt ex demonſtratis liquido cõſtat. Quamobrem perfacilis eſt conſtructio tabulæ Tangentium.*

Sola diuiſione omnes tangentes eliciuntur.

Qua rõne ſecãtes omniũ arcuũ inueſtigentur.

RVRSVS per ea, quæ tertio loco in hac propoſ. ſunt demonſtrata, ſi fiat, vt ſinus complementi cuiuſuis arcus ad ſinum totum, ita ſinus totus ad aliud: hoc eſt, ſi ſinus totus in ſeipſum multiplicetur, (quod facile fiet, ſi ei ad dextram præponas tot cifras, quot ſunt in ſinu toto, puta ſeptem, vel quinque, prout ſinus totus habuerit ſeptem, aut quinque cifras.) numerusq; productus per ſinum complementi cuiuſuis arcus diuidatur: reperietur Secans *illius arcus, per cuius ſinum complementi diuiſio facta eſt. Vt ſi ſecans arcus grad.* 30 *deſideretur, diuidemus* 100000000000000. *(productum ſcilicet numerum ex ſinu toto in ſeipſum) per* 8660254. *ſinum complementi arcus grad.* 30. *Numerus enim Quotiens* 11547005 *dabit ſecantem arcus grad.* 30. *quatenus ſinus totus eſt* 10000000. *Sola ergo diuiſione huius ſemper numeri*

1000.

100000000000000. *per sinus complementorum omnium arcuum, initio facto à principio Quadrantis, omnium arcuum secantes eruuntur, vt ex demonstratis liquet. Ex quo facilima erit constructio tabulæ secantium.* Sola diuisione eiusdē semper numeri p sinus omnes secantes inueniuntur.

THEOR 11. PROPOS. 19.

TANGENS cuiusuis arcus, qui semisse quadrantis maior sit, æqualis est tangenti & secanti simul arcus, qui duplus sit excessus, quo datus arcus semissem quadrantis superat. Tangens arcus maioris semisse quadrantis, cui tangenti & secanti simul sit æqualis.

IN quadrante A B C, sit C G, tangens arcus C F, qui semisse quadrantis maior sit, inter semidiametrum A C, & secantem A G, eiusdem arcus C F, comprehensa. Dico C G, æqualem esse tangenti, & secanti simul arcus, qui duplus sit excessus, quo arcus C F, semissem quadrantis superat. Sumpto enim arcu F D, ipsi F B, æquali, ducatur recta A D, extendaturq; vsque ad E. Et quoniam anguli B A F, F A E, ob æquales arcus B F, D F, æquales sunt: Et angulo B A F, æqualis est alternus angulus G; erit quoq; idem angulus G, angulo G A E, æqualis. Quare rectæ E G, E A, æquales sunt: ac propterea, addita communi C E, erit C G, tota tangens arcus C F, duabus C E, & A E, hoc est, tangenti, & secanti arcus C D, simul æqualis. Dico iam arcum C D, duplum esse excessus quo arcus CF, propositus semissem quadrãtis superat. Producto enim arcu quadrantis ad partes B, sumptoq; arcu B H, æquali ipsi C D, cum & arcus F B, arcui FD, sit æqualis, erit totus arcus FH, toti arcui CF, æqualis, ac proinde arcus C H, duplus erit arcus C F. Quoniam vero arcus C H, quadrantem C B, superat arcu B H, hoc est, arcu C D; superabit C F, semissis arcus C H, semissem quadrantis C B, semisse excessus CD. Arcus igitur CD, duplus est excessus, quo datus arcus C F, semissem quadrantis superat. Est autē ostensum, CG, tangentem arcus CF, æqualem esse tangenti C E, & secanti A E, simul arcus C D. Igitur tangens cuiusuis arcus, qui semisse quadrantis maior sit, æqualis est tangenti, & secanti simul arcus, qui duplus sit excessus, quo datus arcus semissem quadrantis superat. Quod ostendendum erat.



27. tertij.

29. primi.

6. primi.

7. huius.

SCHOLIVM.

HANC *propositionem nonnulli ita proponunt.*

SECANS cuiusuis arcus vna cum tangente eiusdem æqualis est tangenti arcus compositi ex dato arcu, & semisse complementi eiusdem. Secās, & tāgens eiusdem arcus cui tāgenti simul æquales sint.

NAM *in eadem figura sit* AE, *secans, &* CE, *tangens eiusdem arcus* CD. *Secto*

autem arcu B D, *nempe complemento arcus* C D, *bifariam in* F, *ducatur ex centro* A, *per* F, *recta* A G, *secans tangentem* C E, *productam in* G. *Eritq;* C G, *tangens arcus* C F, *compositi ex dato arcu* C D, *&* D F, *semisse complementi* D B. *Dico secantem* A E, *& tangentē* C E *simul æquales esse tangenti* C G. *Quia enim anguli* B A F,
27.tertij. F A E, *æquales sunt, propter æquales arcus* B F, F D; *& angulo* B A F, *alternus*
29.primi. *angulus* G, *æqualis est; erit quoque angulus idem* G, *angulo* G A E, *æqualis. Quare*
6.primi. *æquales sunt rectæ* E A, E G: *atque adeo, addita communi* E C, *duæ* A E, E C, *simul toti* C G, *æquales erunt.*

THEOR. 12. PROPOS. 20.

Secans cuiusuis arc⁹ quorū duorū arcuum tangentib⁹ fit æqualis.

32	42940631	46323841	50302367	55046847	28
33	42992865	46384877	50374610	55133659	27
34	43045229	46446076	50447065	55220751	26
35	43097722	46507440	50519732	55308122	25
36	43150347	46568970	50592614	55395775	24
37	43203103	46630665	50665711	55483710	23
38	43255992	46692527	50739024	55571930	22
39	43309012	46754555	50812553	55660434	21
40	43362166	46816752	50886299	55749226	20
41	43415454	46879117	50960263	55838300	19
42	43468877	46941653	51034447	55927677	18
43	43522435	47004361	51108850	56017340	17
44	43576129	47067242	51183475	56107297	16
45	43629959	47130297	51258321	56197549	15
46	43683925	47193526	51333391	56288099	14
47	43738728	47256930	51408684	56378948	13
48	43792268	47320509	51484204	56470097	12
49	43846646	47384264	51559951	56561548	11
50	43901162	47448195	51635936	56653302	10
51	43955817	47512302	51712129	56745360	9
52	44000612	47576586	51788563	56837723	8
53	44065548	47641048	51865227	56930392	7
54	44120625	47705689	51942124	57023369	6
55	44175844	47770510	52019254	57116653	5
56	44231207	47835511	52096618	57210246	4
57	44286712	47900693	52174216	57304150	3
58	44342362	47966058	52252051	57398367	2
59	44398156	48031605	52330123	57492896	1
60	44454097	48097335	52408433	57587740	0
	13	12	11	10	

Minuta Graduū Quadrātis pro secantibus complementorū arcuū eiusdem Quadrantis.

complementorum arcuum eiusdem Quadrantis.

Gradus Quadrantis pro ſecantibus

Minuta Graduum Quadrantis pro ſecantibus arcuum eiuſdem Quadrantis.

	80	81	82	83	
0	57587740	63924495	71852975	82055127	60
1	57682901	64042118	72002006	82249986	59
2	57778381	64160180	72151659	82445779	58
3	57874180	64278683	72301942	82642513	57
4	57970302	64397632	72452863	82840196	56
5	58066748	64517028	72604421	83038833	55
6	58163520	64636873	72756618	83238436	54
7	58260619	64757168	72909461	83439009	53
8	58358049	64877918	73062954	83640561	52
9	58455810	64999124	73217100	83843097	51
10	58553904	65120789	73371903	84046626	50
11	58652333	65242916	73527367	84251153	49
12	58751099	65365508	73683499	84456680	48
13	58850205	65488566	73840302	84663213	47
14	58949653	65612095	73997782	84870760	46
15	59049444	65736097	74155942	85079327	45
16	59149581	65859675	74314786	85288957	44
17	59250065	65985531	74474318	85499628	43
18	59350898	66110967	74634544	85711347	42
19	59452082	66246886	74795468	85924121	41
20	59553618	66363291	74957095	86137958	40
21	59655506	66490185	75119429	86352864	39
22	59757728	66617572	75282475	86568849	38
23	59860346	66745453	75446238	86785921	37
24	59963291	66873831	75610721	87004089	36
25	60066612	67002708	75775928	87223362	35
26	60170285	67132088	75941864	87443750	34
27	60274319	67261972	76108533	87665261	33
28	60378718	67392365	76275941	87887909	32
29	60483482	67523270	76444091	88111704	31
30	60588615	67654691	76612989	88336657	30
	9	8	7	6	

Minuta Graduū Quadrantis pro ſecantibus complementorū arcuū eiuſdem Quadrantis

Gradus Quadrantis pro ſecantibus

arcuum eiuſdem Quadrantis.

Minuta Graduum Quadrantis pro ſecantibus arcuum eiuſdem Quadrantis.

	80	81	82	83	
30	60588615	67654691	76612989	88336657	30
31	60694118	67786629	76782641	88562776	29
32	60799995	67919089	76953050	88790069	28
33	60906246	68052073	77124223	89018543	27
34	61012875	68185585	77296165	89248201	26
35	61119882	68319630	77468882	89479054	25
36	61227271	68454208	77642381	89711108	24
37	61335043	68589313	77816665	89944373	23
38	61443202	68724977	77991740	90178856	22
39	61551749	68861175	78167612	90414568	21
40	61660686	68997920	78344287	90651519	20
41	61770013	69135315	78521769	90889717	19
42	61879735	69273018	78700066	91129181	18
43	61989853	69411469	78879183	91369917	17
44	62100367	69550434	79059128	91611941	16
45	62211280	69689963	79239905	91855265	15
46	62322594	69830059	79421520	92099899	14
47	62434312	69970726	79603976	92345849	13
48	62546437	70111967	79787381	92593126	12
49	62658971	70253786	79971439	92841739	11
50	62771918	70396188	80156456	93091699	10
51	62885274	70539174	80342336	93342963	9
52	62999049	70682751	80529087	93595620	8
53	63113241	70826919	80716713	93849647	7
54	63227855	70971684	80905219	94105066	6
55	63342890	71117047	81094612	94361964	5
56	63458352	71263014	81284899	94620181	4
57	63574240	71409586	81476087	94879901	3
58	63690559	71556760	81668183	95141050	2
59	63807309	71704564	81861195	95403639	1
60	63924495	71852975	82055127	95667689	0
	9	8	7	6	

Minuta Graduũ Quadrãtis pro ſecantibus complementorũ arcuũ eiuſdem Quadrantis.

complementorum arcuum eiuſdem Quadrantis.

Gradus Quadrantis pro ſecantibus

Minuta Graduum Quadrantis pro ſecantibus arcuum eiuſdem Quadrantis.

	84	85	86	
0	95667689	114737188	143355808	60
1	95933204	115119970	143954694	59
2	96200195	115505313	144558602	58
3	96468673	115893242	145167595	57
4	96738655	116283797	145781740	56
5	97010253	116676991	146401101	55
6	97283267	117072851	147025745	54
7	97557932	117471403	147655740	53
8	97834057	117872815	148291169	52
9	98111843	118276840	148932108	51
10	98391211	118683794	149578791	50
11	98672171	119093414	150230942	49
12	98954738	119506013	150888966	48
13	99236930	119921335	151552578	47
14	99524766	120339695	152222283	46
15	99812250	120760985	152897946	45
16	100101400	121185232	153579394	44
17	100392329	121612482	154267179	43
18	100684851	122042752	154961155	42
19	100979193	122476076	155661396	41
20	101275259	122912485	156368008	40
21	101572962	123352014	157081063	39
22	101872522	123794696	157800648	38
23	102173854	124240732	158526854	37
24	102476971	124689836	159259771	36
25	102781890	125142353	159999560	35
26	103088639	125598007	160746121	34
27	103397202	126057149	161499724	33
28	103707656	126519656	162260744	32
29	104019959	126985568	163028671	31
30	104334254	127454936	163804188	30
	5	4	3	

Minuta Graduũ Quadrãtis pro ſecãtibus cõplemẽtorũ arcuũ eiuſdẽ Quadrãtis.

Gradus Quadrantis pro ſecantibus

arcuum eiuſdem Quadrantis

Minuta Graduum Quadrantis pro ſecantibus arcuum eiuſdem Quadrantis.

	84	85	86	
30	104334254	127454936	163804188	30
31	104650345	127927785	164586836	29
32	104968474	128404152	165377268	28
33	105288542	128884078	166175067	27
34	105610566	129367604	166980877	26
35	105934564	129854921	167794536	25
36	106260557	130345812	168615879	24
37	106588558	130840395	169445585	23
38	106918589	131338917	170283495	22
39	107250680	131841076	171129820	21
40	107584955	132347264	171984431	20
41	107921201	132857174	172847712	19
42	108259554	133371390	173719700	18
43	108600151	13388,600	174600528	17
44	108942779	134411312	175490331	16
45	109287702	134937471	176389247	15
46	109634817	135467749	177297417	14
47	109984143	136002235	178215000	13
48	110335695	136540955	179142131	12
49	110689503	137083887	180078954	11
50	111045597	137631223	181025951	10
51	111403988	138183016	181982628	9
52	111764699	138739177	182949802	8
53	112127750	139299830	183926988	7
54	112493167	139865032	184915009	6
55	112861097	140435034	185913698	5
56	113231316	141009514	186922883	4
57	113604036	141588910	187943432	3
58	113979204	142172885	188975184	2
59	114356941	142761897	190018342	1
60	114737188	143355808	191073059	0
	5	4	3	

Minuta Graduũ Quadrantis pro ſecantibus cōplementorũ arcuũ eiuſdẽ Quadrãtis.

complementorum arcuum eiuſdem Quadrantis.

Gradus Quadrantis pro ſecantibus

Minuta Graduum Quadrantis pro ſecantibus arcuum eiuſdem Quadrantis.

	87	88	89	
0	191073059	286537048	572987098	60
1	192139567	288943841	582696234	59
2	193218044	291391404	592740072	58
3	194308693	293880683	603139919	57
4	195411723	296413087	613907444	56
5	196527729	298990299	625070305	55
6	197656182	301611807	636642580	54
7	198797665	304279687	648655621	53
8	199952408	306996123	661126359	52
9	201120639	309760533	674090521	51
10	202303011	312576192	687573461	50
11	203498943	315442491	701612741	49
12	204709121	318361849	716229489	48
13	205934200	321336774	731453951	47
14	207173596	324366765	747356168	46
15	208428431	327455509	763965262	45
16	209698119	330602545	781323254	44
17	210983811	333811800	799494739	43
18	212284914	337082830	818524878	42
19	213602421	340419652	838490069	41
20	214936837	343823403	859453551	40
21	216287319	347294586	881484374	39
22	217655350	350837799	904682629	38
23	219040792	354454051	929134899	37
24	220443981	358145679	954945691	36
25	221865261	361914968	982231457	35
26	223305005	365763113	1011112129	34
27	224763453	369695332	1041753449	33
28	226241278	373713015	1074309940	32
29	227738558	377818975	1108967170	31
30	229255785	382016194	1145934768	30
	2	1	0	

Minuta Graduū Quadrãtis pro ſecãtibus cõplemẽtorū arcuū eiuſdẽ Quadrãtis.

Gradus Quadrantis pro ſecantibus

arcuum eiuſdem Quadrantis

Minuta Graduum Quadrantis pro ſecantibus arcuum eiuſdem Quadrantis.

	87	88	89	
30	229255785	382016194	1145934768	30
31	230793360	386307709	1185438054	29
32	232351718	390696734	1227777193	28
33	233931261	395186630	1273252703	27
34	235532422	399780916	1322226495	26
35	237156211	404483275	1375118522	25
36	238801972	409397566	1432397932	24
37	240470730	414227875	1494678912	23
38	242163582	419278406	1562622042	22
39	243879838	424453607	1637036239	21
40	245621193	429758156	1718892212	20
41	247386980	435196961	1809365043	19
42	249178956	440775230	1909891150	18
43	250996450	446498305	2022234532	17
44	252841285	452371994	2148642981	16
45	254713463	458402271	2291895669	15
46	256612911	464595485	2455554199	14
47	258541565	470958329	2644450861	13
48	260499426	477497828	2864894681	12
49	262487160	484221619	3125282743	11
50	264505458	491139838	3437843546	10
51	266554348	498256113	3819709423	9
52	268635944	505581634	4297193536	8
53	270750304	513128395	4911255640	7
54	272898206	520901152	5729642566	6
55	275080457	528915798	6875687278	5
56	277297985	537178089	8594018365	4
57	279551349	545702599	11458691197	3
58	281841763	554505091	17188036598	2
59	284170013	563593031	34376072269	1
60	286537048	572987098	Infinita.	0
	2	1	0	

Minuta Graduũ Quadrantis pro ſecantibus cõplementorũ arcuũ eiuſdẽ Quadrãtis.

complementorum arcuum eiuſdem Quadrantis.

VSVS TABVLÆ TAM TANGENTIUM, quam secantium.

Vſus tabulæ tam tangentium, quam ſecantium.

EX vtraq; tabula non aliter tangentes, ac ſecantes arcuum, vel complementorum arcuum inueſtigabimus, ac ſupra ſinus rectos, & ſinus complementorum arcuum ex ſinuum tabula eruere docuimus. Vt ſi quæratur tam tangens, quam ſecans arcus grad. 50. Min. 24. inuenietur in tabula tangentium ſub grad. 50. in vertice tabulæ poſitis, è regione Min. 24. ad ſiniſtram collocatorum tangens particularum 12087923. qualium ſinus totus ponitur 10000000. In tabula vero ſecantium reperietur ſub grad. 50. è regione Min. 24. ſecans earundem particularum. 15688144. Quod ſi quæratur tam tangens, quam ſecans complementi arcus 39. Min. 36. reperietur in priori quidem tabula ſupra grad. 39. in ima ſede poſitos, è regione Min. 36. ad dextram collocatorum tangens eadem, quæ prius, 12087923. In poſteriori vero tabula eadem ſecans 15688144. propterea quòd complementum arcus grad. 39. Min. 36. complectitur grad. 50. Min. 24. cui arcui dicta tangens, ac ſecans debetur, vt patet.

IAM verò ſi ſinus totus aſſumatur particularum tantummodo 100000. abiectis duabus cifris ex ſinu toto 10000000. abijciendæ quoq; erunt ex ſingulis tangentibus, ac ſecantibus duæ priores figuræ ad dextram: quemadmodum de ſinubus diximus.

SINVVM, TANGENTIVM, ET SECANTIVM FINIS.

CHRISTOPHORI
CLAVII BAMBERGENSIS
E SOCIETATE IESV
TRIANGVLA
RECTILINEA.

CHRISTOPHORI CLAVII BAMBERGENSIS E SOCIETATE IESV

TRIANGVLA RECTILINEA.

PRÆFATIO.

SINVVM, *linearum tangentium, & secantium vsus potissimum in doctrina triangulorum tam rectilineorum, quàm sphæricorum consistit. Omnes enim Astronomi in motibus cælestibus vel inuestigandis, vel explicandis explorant in triangulis beneficio sinuum, linearum tangentium, & secantium tum latera ex angulis notis, tum etiam angulos ex lateribus cognitis. Id quod ex Epitoma Ioan. Regiom. in Almagestum, siue magnam cõstructionem Ptolomæi, ex opere Copernici de reuolutionibus cælestibus, & ex aliorum Astronomorũ scriptis perspicuè constare potest. Quam ob rem cum iam tractationem sinuum, linearumq́; tangentium, ac secantium absoluerimus, ordo postulat, vt scientiam hanc triangulorum à Joanne Regiom.*

Vsus sinuũ, linearũ tangentium, & secantium in doctrina triangulorum potissimum consistit.

quinq; libris diffusè explicatam, & à Gebro Hispalensi Arabe, necnon à Nicolao Copernico breuiter quidem, sed paulò obscurius traditam, pro virili etiam exponamus, cum incredibilis sit eorum vtilitas cum in rebus omnibus Mathematicis, tum præsertim in cælestibus motibus, & in ijs rebus, quæ ex illis pendent, rectè intelligendis, vel inuestigãdis, vt dictum est, & partim etiam non obscure ex nostra Gnomonica colligi potest, vbi permulta ad horologia pertinentia ex triangulis à nobis sunt demonstrata. Exordiemur autem à triangulis rectilineis, tanquam facilioribus, de quibus ea solum demonstrabimus, quæ ad res Astronomicas, & Geometricas recte percipiendas necessaria esse iudicamus: Id quod etiam in sphæricis triangulis obseruauimus. Qui plura desiderat, legat Menelaum, & Maurolycum de sphæricis triangulis, de rectilineis vero Ioannem Regiomontanum. Ante omnia autem explicandum erit, penes quid angulorum rectilineorum quantitas sumenda sit.

PENES QVID ANGVLI rectilinei magnitudo sumatur.

Angulorũ rectilineorũ magnitudo penes quid sumatur.

ANGVLI *cuiusuis rectilinei magnitudo sumitur penes arcum circuli ex ipso angulo, vt centro, descripti ad quodcunq; interuallum, inter rectas lineas angulum comprehendentes interceptum.* Nam *quilibet angulus rectilineus tantus esse dicitur, quantus est arcus circuli, cuius centrum est in ipso angulo, inter duas lineas rectas,*

quæ

quæ angulum continent, interiectus: ita vt quot graduum fuerit ille arcus, totidem partium sit & angulus, qualium quatuor recti sunt 360. aut vnus rectus 90. Ex quo fit, indifferenter sinum anguli rectilinei pro sinu arcus accipi posse, & contra; quod etiam de tangente, & secante intelligatur: quandoquidem arcus, & angulus illi in centro insistens eundem habent partium numerum, licet diuersi generis, cum partes arcus sint arcus, partes vero anguli sint anguli: quamuis & partes anguli dici possint arcus, ita vt angulus dicatur habere tot gradus, quot in arcu, cui insistit, comprehenduntur.

Angulus rectilineus est tot partiũ, quot graduũ est arcus circuli, cui in centro insistit.

QVANDOCVNQVE ergo arcus angulum rectilineum metiens est quadrãs, id est, quarta pars totius circunferentiæ, angulus ei insistens in centro rectus erit, nempe quarta pars quatuor rectorum, quibus spatium, quod circumstat centrum circuli æqualiter omnes partes circunferentiæ respiciens, æquale est: quando autem arcus idem est quadrante minor, angulus quoq; minor erit recto, nempe acutus: quando deniq; arcus est maior quadrante, angulus etiam recto maior erit, nimirum obtusus. Et contra, quando angulus est rectus, erit arcus illum metiens quadrans: quando acutus, quadrante minor: quando deniq; obtusus, maior quadrante. Quæ omnia ex lemmate sequenti erunt perspicua.

Coroll. 2. 15. primi.

LEMMA.

RECTÆ lineæ angulum rectum comprehendentes abſcindũt quadrantem ex circulo, qui ex ipſo angulo, vt centro, ad quodcunq; interuallum deſcribitur: lineæ vero rectæ angulum acutum continentes auferunt arcum quadrante minorem: lineæ deniq; rectę conſtituentes angulum obtuſum intercipiunt in eodem circulo arcum maiorem quadrante. Et contra, rectæ lineæ ex centro circuli egredientes, quadrantemq; intercipientes conſtituunt angulum rectum: lineæ vero arcum quadrante minorem abſcindentes angulum acutum continent: rectæ deniq; lineæ auferentes arcum maiorem quadrante obtuſum angulum comprehendunt.

Quomodo ſe habeant anguli recti linei ad arcus circulorũ ex ipſis, vt centris, deſcriptorũ, & contra.

RECTAE lineæ A B, C B, angulum rectum contineant A B C, & ex B, circulus deſcribatur A C D E. Dico arcum A C, quadrantem eſſe, &c. Quoniam enim eſt, vt angulus A B C, in centro ad quatuor rectos, ita arcus A C, ad totam circunferentiam; eſt autem angulus A B C, cum rectus ſit, quarta pars quatuor rectorum: erit quoq; arcus A C, totius circunferentiæ quarta pars, id eſt, quadrans. Quoniam vero recta linea conſtituens cum recta A B, in puncto B, angulum acutum cadit in arcum A C, recta vero linea cum eadem A B, conſtituens angulum obtuſum in puncto B, cadit in arcum C D; liquido conſtat, rectas lineas angulum acutum in



Coroll. 2. 33. ſexti.

centro

centro B, constituentes intercipere arcum quadrante A C, minorem, lineas vero rectas continẽtes angulum obtusum abscindere arcum quadrante A C, maiorem.

SED auferant iam rectæ B A, B C, ex centro B, egredientes quadrantem A C. Dico angulum A B C, esse rectum, &c. Quoniam enim
Coroll. 2. 33. sexti. est, vt arcus A C, ad totam circunferentiam, ita angulus A B C, in centro ad quatuor rectos; est autem arcus A C, quadrans, id est, quarta pars circunferentiæ totius: erit quoq; angulus A B C, quarta pars quatuor rectorum, atq; adeo rectus. Quia vero rectæ ex centro B, emissæ, atque arcum quadrante A C, minorem auferentes angulum constituunt minorem angulo recto A B C, auferentes vero arcum quadrante A C, maiorem constituunt angulum recto angulo A B C, maiorem; perspicuum est, rectas lineas arcum quadrante A C, minorem intercipientes constituere in centro B, angulum acutum, lineas vero rectas arcum quadrante A C, maiorem includentes continere in centro B, angulum obtusum. Quod est propositum.

ALITER. Contineant rursum rectæ A B, C B, angulum rectum ABC, et ex B, circulus describatur ACDE. Dico arcum A C, esse quadrantem, &c. Productis enim rectis A B, C B, ad D, E, erunt & anguli A B E, C B D, cum sint angulo A B C, deinceps, recti, ex definitione; necnõ & angulus D B E, quòd angulo ABC,
15. primi. sit ad verticem æqualis, rectus. Quare cum omnes quatuor anguli ad B, centrum sint recti, id est, æquales, æquales quoq; erunt qua-
26. tertij. tuor arcus A C, C D, D E, E A; atq; adeo quilibet eorum quadrans erit. Reliqua demonstrabuntur, vt prius.



VERVM rectæ B A, B C, ex centro B, emissæ auferant iam quadrantem A C. Dico angulum A B C, rectum esse, &c. Productis enim
15. primi. rectis A B, C B, ad D, E, cum angulus D B E, angulo A B C, ad verti-
26. tertij. cem sit æqualis, erit & arcus D E, arcui A C, æqualis, & proinde quadrans. Semicirculum ergo conficiunt duo quadrantes A C, D E; atque adeo reliqui duo arcus A E, D C, alterum semicirculum constituent. Cum
26. tertij. ergo duo arcus A E, D C, æquales sint, quòd anguli A B E, C B D, ad
15. primi. verticem sint æquales; erit vterq; eorum quadrans: ac propterea quatuor arcus A C, C D, D E, E A, cum sint quadrantes, æquales erunt.
27. tertij. Quatuor ergo anguli ad centrum B, æquales quoq; erunt; atq; adeo eorum quilibet erit rectus. Vel breuius. Cum A C, sit quadrans, erit quoque

tam

tam in semicirculo C A E, reliquus arcus A E, quam in semicirculo A C D, reliquus arcus C D, quadrans: Eodemq́, modo in semicirculo A E D, vel C D E, reliquus arcus D E, quadrans erit; & proinde quatuor anguli ad B, quatuor quadrantibus æqualibus insistentes erunt æquales, & recti. Reliqua, vt prius, ostendentur. 27. tertij.

SCHOLIVM.

IN materia porro triangulorum rectilineorum, cum dantur duo anguli noti, tertius illico notus quoq; erit, cum sit complementum duorum rectorum: Item cum in triangulo rectãgulo datur vnus acutus angulus, notus etiã erit reliquus acutus, quod sit complementum vnius recti. Itaq; detractis duobus angulis notis simul ex grad. 180. reliquus erit tertius notus. Item in triangulo rectangulo, si detrahatur acutus notus ex grad. 90. remanebit alter acutus notus. Quod semel monuisse satis sit.

Datis duobus angulis triãguli rectilinei, datus etiã erit tertius. Itẽ in triãgulo rectangulo, si detur vnus angulus acutus, datus quoq; erit acutus reliquus.

THEOR. 1. PROPOS. 1.

IN omni triangulo rectilineo latera quæuis duo eandem proportionem habent, quam sinus angulorum illis oppositorum.

Latera triãguli rectilinei sunt sinubus angulorũ oppositorum proportionalia.

SIT primum triangulum rectangulum A B C, cuius angulus rectus B. Dico esse A B, ad A C, vt est sinus anguli C, ad sinum anguli B. Item A B, ad B C, vt est sinus anguli C, ad sinum anguli A, &c. Quoniam enim, vt in definitionibus sinuum ostendimus, si A C, ponatur sinus totus, latus A B, est sinus anguli C; & B C, sinus anguli A: liquido constat, ita esse latus A B, ad latus A C, vt est A B, sinus anguli C, ad A C, sinum totum anguli recti B: Vel ita esse latus A C, ad latus A B, vt est A C, sinus totus recti anguli B, ad A B, sinum anguli C; cum ipsa latera sint sinus angulorum oppositorum, ac proinde vtrobiq; sit identitatis proportio. Eadem ratione erit, vt latus A C, ad latus B C, ita A C, sinus totus anguli recti B, ad B C, sinum anguli A: Vel vt latus B C, ad latus A C, ita B C, sinus anguli A, ad A C, sinum totum recti anguli B. Item vt latus A B, ad latus B C, ita A B, sinus anguli C, ad B C, sinum anguli A: Vel vt latus B C, ad latus A B, ita B C, sinus anguli A, ad A B, sinum anguli C.



SIT deinde triangulum A B C, non rectangulum. Dico rursus esse latus A B, ad latus A C, vt est sinus anguli C, ad sinum anguli B, &c. Aut enim latera assumpta A B, A C, æqualia sunt, aut inæqualia. Si æqualia, erunt quoq; anguli C, B, æquales; ac proinde, vt in definitionibus sinuum docuimus, eorum sinus æquales. Quare erit, vt latus A B, ad latus A C, ita sinus anguli C, ad sinum anguli B: Vel vt latus A C, ad latus A B, ita sinus anguli B, ad sinum anguli C; cum semper sit proportio æqualitatis. Si 5. primi.

vero

vero latera A B, A C, ſunt inæqualia, ſit A C, maius, ex quo abſcindatur recta C E, minori lateri A B, æqualis, & ex A, E, ad tertium latus B C, perpendiculares demittantur A D, E F, quarum vtraq; cadet intra triangulum, quando angulus B, maiori lateri A C, oppoſitus acutus eſt. Erit enim & tunc angulus quoq; C, acutus, cum minor ſit, quam B. Quare perpendicularis A D, intra triangulum cadet, ac proinde & perpendicularis E F. Quando vero angulus B, obtuſus eſt, cadet quidem A D, ſemper extra triangulum, at E F, cadere poteſt vel extra etiam, vel in punctum B, vel intra triangulum. Quomodocunq; autem cadant dictæ perpendiculares, ſemper eadem erit demonſtratio. Nam cum A D, EF, ſint parallelæ, erunt triangula C E F, C A D, ſimilia. Quamobrem erit, vt C E, ad E F, ita C A, ad A D. Cum ergo ex ijs, quæ in definitionibus ſinuum tradidimus, poſito ſinu toto C E, recta E F, ſit ſinus anguli C; poſito item ſinu toto A B, recta A D, ſit ſinus anguli A B D; ſintq; ſinus toti C E, A B, reſpectu quorum illi ſunt ſinus, æquales; liquet eſſe, vt C E, hoc eſt, latus A B, ad E F, ſinum anguli C, ita latus C A, ad A D, ſinum anguli A B D: Et permutando, vt latus A B, ad latus A C, ita E F, ſinum anguli C, ad A D, ſinum anguli A B D, hoc eſt, in poſteriori triangulo, ad ſinum anguli A B C, cum duo anguli ad B, æquales ſint duobus rectis, & proinde eundem ſinum habeant, vt in definitionibus ſinuum docuimus. Ex quo conſtat, ita eſſe minus latus A B, ad maius A C, vt eſt E F, ſinus anguli C, minori lateri oppoſiti ad A D, ſinum anguli A B C, maiori lateri oppoſiti: Et conuertendo, ita eſſe maius latus A C, ad minus A B, vt eſt A D, ſinus anguli A B C, maiori lateri oppoſiti ad E F, ſinum anguli C, minori lateri oppoſiti. Non aliter oſtendemus eſſe, vt latus A B, ad latus B C, ita ſinum anguli C, ad ſinum anguli A: Vel vt latus B C, ad latus A B, ita ſinum anguli A, ad ſinum anguli C. &c. dummodo ex puncto, vbi conueniunt latera aſſumpta inæqualia, (ſi forte æqualia non ſunt) ducas ad latus oppoſitum lineam perpendicularem, & minori lateri ex maiore rectam æqualem abſcindas, initio facto ab altero puncto extremo maioris lateris, vbi cum tertio latere coniungitur, vt à nobis factum eſt, &c.

18. primi.
Schol. 13. ſecundi.
Schol. 12. ſecundi.





28. primi.
Coroll. 4. ſexti.
4. ſexti.

ALITER. Sit rurſus triangulum non rectangulum A B C: de rectangulo enim in principio huius demonſtrationis iam eſt demonſtratum. Dico eſſe, vt latus A B, ad latus A C, ita ſinum anguli C, ad ſinum anguli B: Vel vt latus A C, ad latus A B, ita ſinum anguli B, ad ſinum anguli C, &c. Ducta enim ex A, vbi duo latera aſſumpta coeunt, ad tertiũ latus B C, perpẽdiculari AD,





latus A B.	ſin. ang. C.
latus A D.	ſin. ang. D.
latus A C.	ſin. ang. B.

quæ vel intra triangulum cadet, vel extra, prout anguli B, & C, acuti fuerint, sint, vel alter eorũ obtusus: erit in triangulo rectangulo A B D, vt latus A B, ad latus A D, ita sinus anguli recti D, ad sinum anguli B, vt supra est demonstratum: Item in triangulo rectangulo A D C, vt latus A D, ad latus A C, ita sinus anguli C, ad sinum anguli recti D. Ex æqualitate ergo, & perturbata proportione erit, vt latus A B, ad latus A C, ita sinus anguli C, (Habẽt enim duo anguli ad C, in obtusangulo triangulo eundem sinum, vt in tractatione sinuum ostendimus. ad sinum anguli B, vt in formula suprapofita apparet: Et conuertendo quoq; , vt latus A C, ad latus A B, ita sinus anguli B, ad sinum anguli C. Eodem modo concludemus esse, vt latus A B, ad latus B C, ita sinum anguli C, ad sinum anguli B A C: Vel vt latus B C, ad latus A B, ita sinum anguli B A C, ad sinum anguli C, &c. Quocirca in omni triangulo rectilineo latera quæuis duo eandem proportionem habent, quam sinus angulorum illis oppositorum. Quod erat demonstrandum.

SCHOLIVM.

Qua rõne ex trib⁹ vel duobus angulis notis cuiusuis triãguli cognoscantur proportiones laterũ.

EX hac propos. facile colligemus proportiones laterum cuiusuis trianguli rectilinei, cuius omnes anguli cogniti sint, vel duo tantum. Sint enim omnes anguli in triangulo A B C, *noti. Dico proportiones laterum notas esse. Cum enim eadem sit proportio lateris* A B, *ad latus* A C, *quæ sinus anguli* C, *ad sinum anguli* B; *sint autem sinus angulorũ* C, B, *notorum cogniti ex tabula sinuum; nota erit proportio lateris* AB, *ad latus* A C, *&c. Exempli causa, ponatur in primo triangulo angulus* C, *grad.* 60. B, *grad.* 50. *&* A, *grad.* 70. *Horum sinus sunt* 86602. 76604. 93969. *Est ergo proportio* A B, *ad* A C, *eadem, quæ* 86602. *ad* 76604. *&* A B, *ad* B C, *eadem, quæ* 86602. *ad* 93969. *&* A C, *ad* B C, *eadem, quæ* 76604. *ad* 93969. *In triangulo vero secundo ponatur angulus* B, *rectus, ac proinde grad.* 90. C, *grad.* 50. *&* A, *grad* 40. *Horum sinus sunt* 100000. 76604. 64278. *Erit igitur* A B, *ad* A C, *vt* 76604. *ad* 100000. *&* A B, *ad* B C, *vt* 76604. *ad* 64278. *&* A C, *ad* B C, *vt* 100000 *ad* 64278. *In triangulo demum tertio statuatur angulus* B, *obtusus & grad.* 124 C, *grad.* 30 *&* A, *grad* 26. *Horum sinus sunt (si pro sinu anguli obtusi accipiatur sinus complementi ipsius vsq; ad grad.* 180 *nempe sinus grad.* 56.) 82903. 50000. 43837 *Quare erit* A B, *ad* A C, *vt* 50000. *ad* 82903. *&* A B, *ad* B C, *vt* 50000. *ad* 43837. *&* A C, *ad* B C, *vt* 82903. *ad* 43837.

1. huius.



ITAQVE vt facile proportiones laterum habeantur, satis est, si lateribus sinus angulorum oppositorum ascribantur: propterea quòd latera eandem proportionem habent, quam oppositorum angulorum sinus, vt demonstratum est. Praxis.

QVOD si duo tantum anguli cogniti sint, erit reliquus tertius quoq; notus. Quare, vt prius, laterum proportiones cognoscentur.

POSSVMVS easdem proportiones laterum cognoscere ex angulis datis, sine auxilio antecedentis propos. hoc modo. Circa datum triangulum A B C, *describatur* 5. quarti.

Coroll. 5. quarti. *tur circulus, cuius centrum D, quod cadet vel intra triangulum, vel in vnum latus, vel extra triangulum, prout triangulum fuerit vel acutangulum, vel rectangulū, aut obtusangulum. Ductis deinde ex centro D, ad omnes angulos rectis D A, D B, D C, (In rectangulo triangulo satis est, si ducatur D A, quòd D B, D C, partes sint lateris B C.) secentur singula latera, & arcus, quos subtendunt, bifariam in punctis F, H, K, & E, G, I. In rectangulo tamen triangulo arcus B C, cui rectus angulus insistit, non est diuidendus bifariā: In obtusangulo autem secādus est bifariam arcus B A C, in quo existit obtusus angulus, non autem arcus B C, cui insistit. Erunt autem me-*



dietates laterum sinus recti medietatum arcuum, ex defin. sinus recti. Itaq; quoniam tam angulus A D B, anguli A C B, quàm angulus A D C, anguli A B C, & in
20. tertij. *triangulo acutangulo etiam angulus B D C, anguli B A C, duplus est: ponuntur autem anguli triangulorum noti; erunt quoq; eorum dupli in centro cogniti. Quare & eorū arcus A B, A C, necnon & arcus B C, in primo circulo noti erunt; ac proinde & semisses eorundem. Igitur, ex tabula sinuum, dabuntur sinus harum semissium, hoc est, semisses laterum A B, A C, & in triangulo acutangulo semissis quoq; lateris B C; proptereaq; & tota latera A B, A C, vnà cum latere B C, in triangulo acutangulo, cognita fient in partibus sinus totius A D. In triangulo porrò rectangulo latus B C, recto angulo oppositum duplum est sinus totius, ac proinde notum in eisdem partibus sinus totius A D: In triangulo vero obtusangulo latus B C, angulo obtuso oppositum ita dabitur. Quoniam arcus A B, A C, dati sunt, datus etiam erit totus arcus B A C, ex ipsis conflatus. Igitur & eius semissis B E, & proinde & huius semissis sinus rectus B F, dabitur; proptereaq; & totum latus B C. Cognita ergo erunt hac ratione omnia latera in partibus semidiametri circuli triangulo circunscripti; & proinde eorum proportiones notæ.*

Praxis. *ITA autem sine longa circuitione latera cognosces in partibus dictæ semidiametri. Sinus rectus cuiusuis anguli acuti duplicetur, & habebitur latus illi angulo oppositum in partibus dictæ semidiametri. quod facile ex demonstratis intelligi potest. Nam quilibet angulus acutus continet tot gradus, quot sunt in semisse arcus, cui insistit; Vt angulus A C B, continet tot gradus, quot sunt in arcu A G, semisse arcus A B, cui insistit, propterea quòd angulus A D B, cui totus arcus A B, debetur, du-*
20. tertij. *plus est anguli A C B. Quare cum A H, semissis lateris A B, sit sinus arcus A G, erit eadem A H, sinus anguli A C B: atq; adeo sinus an-*

guli

guli A C B, duplicatus dabit latus A B, in partibus semidiametri A D, &c. Latus autem recto angulo oppositum perpetuò est diameter circuli circunscripti triangulo. quare si semidiameter, sinusve totus duplicetur, cognitum fiet ipsum latus. Latus deniq; obtuso angulo oppositum habebitur, si vterq; angulorum acutorum duplicetur, & duplicatorum semissis accipiatur. Nam sinus huius semissis duplicatus illico latus ostendet notum. Anguli namq; A D B, A D C, dupli sunt acutorum angulorum A C B, A B C: quibus quidem duplis angulis totus arcus B A C, debetur, &c.

20. tertij.

IMMO vero si non dentur anguli, sed eorum tantum proportiones, cognoscemus nihilominus proportiones laterum, si prius ex angulorum proportionibus datis eorundem magnitudines inuestigemus, hoc modo. In primo triangulo prioris figuræ huius scholij ponatur proportio anguli C, ad angulum B, eadem, quæ 12. ad 10. & anguli B, ad angulum A, quæ 20. ad 28. quæ duæ proportiones notæ satis sunt, etiamsi proportio anguli A, ad angulum C, ignota sit. Inuentis autem minimis numeris 6. 5. qui eandem proportionem habeant, quam anguli C, B, hoc est, quam numeri 12. 10. si hi minimi non sint; Item minimis 5. 7. eandem proportionem habentibus, quam anguli B, A, siue numeri 20. 28. sumemus tres hosce numeros deinceps minimos 6. 5. 7. in proportionibus numerorum minimorum 6. 5. & 5 7. qui si non essent deinceps minimi, inquirendi essent tres minimi, per ea, quæ ab Euclide demonstrata sunt lib. 8. Erit ergo angulus C, vt 6. B, vt 5. & A, vt 7. quos in gradibus per regulam Societatum ita notos efficiemus. Collectis numeris 6. 5. 7. in vnam summam 18. dicemus per auream regulam. Si 18. dant grad. 180. (tot enim gradibus omnes tres anguli, hoc est, duo recti, æquiualent.) quid dabunt 6? quid 5? & quid 7? vt hic vides.

Quomodo ex datis proportionib' omniū angulorū triā guli cognoscantur ipsi anguli.

35. septimi



4. octaui.

18.	180. grad.	6?	fiunt	60. gr.	pro angulo	C.
		5?		50. gr.		B.
		7?		70. gr.		A.

Inueniemusq; angulum C, grad. 60. B, grad. 50. & A, grad. 70. Quòd si duæ notæ proportiones angulorum non sint continuatæ, vt in dato exemplo, continuandæ erunt. Vt si dicat quis. Proportio anguli C, ad angulum B, est vt 12. ad 10. & proportio anguli A, ad angulum B, vt 28. ad 20. vbi vides, eundem angulum C, in vtraq; proportione esse consequens: continuabimus illas, si dicamus, proportionem C, ad B, esse vt 12. ad 10. & B, ad A, vt 20. ad 28. Aut si quis dicat. Proportio anguli C, ad B, est vt 12. ad 10. proportio autem A, ad C, est vt 28. ad 24. continuabimus eas, ponendo proportionem A, ad C, vt 28. ad 24. & C, ad B, vt 12. ad 10. Aut demq; si quis dicat. Proportio C, ad B, est vt 12. ad 10. & C, ad A, vt 24. ad

Quādo proportiones angulorū notæ non sunt continuatæ, quid agendum.

28. *continuabimus eas, ponendo* B, *ad* C, *vt* 10. *ad* 12. *&* C, *ad* A, *vt* 24. *ad* 28. *&c.*

SED *demus aliud exemplum in tertio triangulo eiusdem figuræ, in quo sit proportio anguli* B, *ad angulum* C, *vt* 62. *ad* 15. *& proportio anguli* B, *ad angulum* A, *vt* 248. *ad* 52. *Quoniam angulus* B, *bis fuit antecedens, hoc est, proportiones datæ non sunt continuatæ, eas continuabimus, statuendo proportionem* A, *ad* B, *vt* 52. *ad* 248. *&* B, *ad* C, *vt* 62. *ad* 15. *Inuentis autem minimis numeris* 13. 62. *eandem proportionem habentibus, quam anguli* A, B, *siue numeri* 52. 248. *erunt duæ datæ proportiones continuatæ in his tribus numeris minimis* 13. 62. 15. *vt constat. Collectis ergo ipsis in vnam summam* 90. *inueniemus per regulam Societatum angulos in gradibus, vt hic apparet.*

90. 180. grad. { 13 ? / 62 ? / 15 ? } *fiunt* { 26. gr. / 124. gr. / 30. gr. } *pro angulo* { A. / B. / C. }

Inuentis hac ratione angulis, reperientur laterum proportiones, vt prius.

Quo pacto ex proportione duorũ tantum angulorũ in triangulo rectangulo proportiones laterum cognoscantur.

PORRO *in triangulo rectangulo satis est, si duorũ angulorum proportio detur. Sit enim in secundo triangulo eiusdem figuræ proportio anguli* A, *ad angulum* B, *rectum, vt* 8. *ad* 18. *Quoniam ergo rectus angulus* B, *est grad.* 90. *inueniemus per regulam auream angulum* A, *esse grad.* 40. *vt hic vides.*

18. 90. grad. 8 ? *fiunt* 40. gr. *pro angulo* A.

Reliquus ergo angulus C, *complectetur grad.* 50. *&c. Sit rursum proportio acuti anguli* A, *ad angulum acutum* C, *vt* 16. *ad* 20. *Quoniam ergo duo anguli* A, C, *vni recto sunt æquales, hoc est, continẽt grad.* 90. *Collectis numeris* 16. *&* 20. *in vnam summam* 36. *reperiemus per regulam Societatum vtrumq; angulum in gradibus, vt hic cernis.*

36. 90. grad. { 16 ? / 20 ? } *fiunt* { 40. gr. / 50. gr. } *pro angulo* { A. / C. }

Inuentis autem angulis hac ratione, notæ fient laterum proportiones, vt prius.

Quo pacto ex proportione vtriusuis angulorum æqualium ad tertium angulum in triangulo Isoscele inueniãtur laterũ proportiones.

EODEM *modo in triangulo Isoscele satis est, si proportio vtriuslibet æqualium angulorum ad tertium angulum cognoscatur, aut tertij anguli ad vtrumlibet angulorum æqualium. Nam si in triangulo Isoscele* A B C, *cuius duo latera* A B, A C, *æqualia sunt, cognita sit proportio anguli* B, *ad angulum* A, *nempe eadem, quæ* 10. *ad* 16. *erit quoq; proportio anguli* C, *ad angulum* A, *vt* 10. *ad* 16. *Quare duæ proportiones notæ erunt, quas continuabimus, si dicamus proportionem* A, *ad* B, *esse, vt* 16. *ad* 10. *&* B, *ad* C, *vt* 10. *ad* 10. *Ex quibus inuenietur angulus* A, *grad.* 80. *& vterq;* B, C, *grad.* 50. *per ea, quæ iam demonstrata sunt.*



DE *æquilatero triangulo non est, quòd quicquam præcipiamus, cum in eo latera habeant æqualitatis proportionem.*

SED

SED iam ad inuentionem laterum, atq; angulorum in triangulis rectilineis ex quibusdam datis ac cognitis accedamus; qua in re, vt certum ordinem, ac methodum seruemus, agemus primo loco de triangulis rectangulis, deinde vero de non rectangulis, cum in illis minor, quàm in his, difficultas reperiatur.

PROBL. 1. PROPOSITIO 2.

DATO vno latere, cum vno angulo acuto trianguli rectáguli, vel cum proportione duorum angulorum quorumcunq;; reliqua duo latera cognoscere, & quorumlibet duorum laterum proportionem efficere notam.

In triangulo rectangulo ex vno latere dato, vna cũ angulo acuto reliqua inuestigãtur.

SIT triangulum A B C, cuius angulus B, rectus, sitq; primò latus A C, recto angulo oppositũ datum 13. palmorum, vna cum angulo acuto C, grad. 22. Min. 37. ac proinde & cum angulo acuto A, grad. 67. Min. 23. Oportet ex his indagare reliqua latera. Quoniam, per ea, quæ in defin. Sinuum tradidimus, posito sinu toto AC, latera A B, BC, sunt sinus oppositorum angulorum: sunt autem anguli dati; noti erunt sinus dictorum angulorum; A B, quidem 38456. at B C, 92310. Per regulam ergo auream dicemus. Si AC, partium 100000. nempe quatenus sinus totus, dat 13. palmos, quid dabit A B, sinus partium 38456. & quid sinus B C, partium 92310? vt hic vides. Inueniemusque latus A B, palm. 5. & B C, palm. 12. ferè.

Quando latus recto angulo oppositũ datur, cum acuto angulo.



AC. 100000.	AC. 13.	AB. 38456? BC. 92310?	funt	AB. 5 BC. 12

ITAQUE quando latus recto angulo oppositum datur cum angulo vno acuto, ac proinde cum altero etiam acuto: Si fiat, vt sinus totus ad latus datum recto angulo oppositum, ita sinus vtriusque anguli acuti seorsum ad aliud, reperientur latera eisdem angulis opposita in partibus mensuræ, secundum quam datum est latus angulo recto oppositum.

Praxis.

DEINDE datum sit vnum ex lateribus circa angulum rectum, vt B C, palmorum 12. cum angulo C, grad. 22. Min. 37. & proinde cum angulo etiam A, grad. 67. Min. 23. Oportet ex his reliqua latera inuestigare. Quoniam per ea, quæ in lineis tangentibus, atque secantibus ad initium ostendimus, posito sinu toto B C, latus A B, est tangens anguli C, & latus A C, eiusdem secans, dabitur tangẽs A B, partium 41660. & secans A C, partium 108331. Quare per regu-

Quãdo latus vnum circa angulum rectũ datur, cum acuto angulo.

regulam auream dicemus. Si B C, quatenus sinus totus partium 100000. dat 12. palmos, quid dabit tangens A B, inuenta partium 41660. & quid secans A C, inuenta partium 108331? vt hic cernis. Inueniemusque latus A B, palm. 5. & A C, palm. 13. ferè.

$$\begin{matrix} BC. \\ 100000. \end{matrix} \quad \begin{matrix} BC. \\ 12. \end{matrix} \left\{ \begin{matrix} AB. \\ 41660? \\ AC. \\ 108331? \end{matrix} \right\} \text{fiunt} \left\{ \begin{matrix} AB. \\ 5. \\ AC. \\ 13. \end{matrix} \right.$$

Praxis.

ITAQVE cum datur vnum latus circa angulum rectum, cum vno angulo acuto, ac proinde cum altero etiam acuto: Si fiat, vt sinus totus ad datum latus circa angulum rectum, ita tam tangens anguli acuti dato lateri adiacentis, quàm secans eiusdem anguli, ad aliud, prodibit tam latus, quod fuit tangens, quàm latus, quod fuit secans, notum in partibus mensuræ, secundum quam latus circa angulum rectum fuit datum.

Aliter per solos sinus.

PER solos autem sinus, cum datur vnum latus circa rectum angulum, cū vno acuto angulo, & proinde etiam cum altero acuto, ita reliqua latera exquiremus. Sit rursus datum latus B C, palm. 12. & angulus C, grad. 22. Min. 37. ac proinde angulus A, grad. 67. Min. 23. Quoniam igitur, vt in defin. sinuum diximus, posito sinu toto A C, latus A B, est sinus anguli C, & B C, sinus anguli A: sunt autem anguli dati; noti erunt dicti sinus, vt A B, 38456. & B C, 92310. Per auream igitur regulam dicemus. Si B C, sinus partium 92310. dat palm. 12. quid dabit sinus A B, partium 38456. & quid sinus totus A C, partium 100000? &c. vt hic apparet. Inuenietur enim latus A B, palm. 5. & A C, palm. 13. ferè.

$$\begin{matrix} BC. \\ 92310. \end{matrix} \quad \begin{matrix} BC. \\ 12. \end{matrix} \left\{ \begin{matrix} AB. \\ 38456? \\ AC. \\ 100000? \end{matrix} \right\} \text{fiunt} \left\{ \begin{matrix} AB. \\ 5. \\ AC. \\ 13. \end{matrix} \right.$$

Praxis.

QVANDO ergo vnum latus datur circa angulum rectū, & vnus acutus angulus, ac proinde & alter acutus: Si fiat, vt sinus anguli acuti dato lateri circa angulum rectum oppositi ad latus datum, ita tam sinus alterius anguli acuti, quam sinus totus, ad aliud, prodibit tam latus alterum circa angulum rectum, quàm latus recto angulo oppositum, notum in partibus mensuræ, secundum quam latus circa angulum rectum fuit datū. Sed expeditior est via per lineas tangentes, & secantes, cum ibi sinus totus in regula aurea primum locū obtineat, & proinde diuisio fiat facilior.

Quando latus vnū datur, & proportio duorum angulorum quorū libet.

QVOD si detur vnum latus, vnà cum proportione duorum angulorum, ita problema absoluemus. Ex proportione angulorum reperiemus acutorum angulorum magnitudines, vt in scholio propos. 1. ostendimus. Quam ob rem inueniemus ex angulis notis reliqua latera, vt prius.

INVENTIS autem lateribus, manifestum est, proportionem quorumlibet duorum dari in numeris, in quibus inuenta sunt. Erit enim proportio

AB,

AB, ad AC, ut 5. ad 13. Vel ut 38456. ad 100000. Vel ut 41660. ad 108331. &c. In his enim omnibus numeris dicta latera inuenta sunt. Dato ergo uno latere, cum uno angulo acuto trianguli rectanguli, &c. Quod faciendum erat.

PROBL. 2. PROPOS. 3.

DATIS duobus lateribus trianguli rectanguli, duos angulos acutos efficere notos, vna cum tertio latere. Item data proportione duorum laterum, & insuper vno latere dato quocunque, duos angulos acutos, vna cum reliquis duobus lateribus cognoscere.

In triãgulo rectãgulo ex duobus lateribus notis, vel ex eorũ proportione nota, vna cũ vno latere quocunque, reliqua inquiruntur.

IN triangulo ABC, cuius angulus B, rectus, sit primum latus AC, recto angulo oppositum, & insuper latus AB, circa angulum rectum datum, nempe AC, palm. 13. & AB, palm. 5. Oportet ex his & angulos A, C, & latus tertium BC, explorare. Quoniam, posito sinu toto AC, latus AB, est sinus anguli C, dicemus. Si AC, palm. 13. dat AC, sinum totum partiũ 100000. quid dabit AB, palm. 5? inueniemusque sinum AB, partium 38461. ut hic uides.

Quando latus angulo recto oppositum, cũ vno latere circa angulum rectum datur.



AC.	AC.	AB.	AB.
13.	100000.	5? fit	38461.

Ex tabula ergo sinuum dabitur angulus C, grad. 22. Min. 37. ac proinde reliquus angulus A, grad. 67. Min. 23. Igitur & huius anguli A, sinus, nempe BC, dabitur partium 92310. ex eadem tabula sinuum. Dicemus ergo rursum. Si sinus totus AC, partium 100000. dat AC, palm. 13. Vel si sinus AB, inuentus partium 38461. dat AB, palm. 5. quid dabit sinus BC, partium 92310? reperiemusque BC, esse palm. 12. fermè, ut hic apparet.

AC. 100000.	AC. 13.	BC. 92310?	fit	BC. 12.
AB. 38461.	AB. 5.			

CVM ergo datur latus angulo recto oppositum, cum vno latere circa eundem angulum rectum; Si fiat, vt datum latus recto angulo oppositum ad sinum totum, ita alterum latus datum ad aliud, prodibit sinus acuti anguli, qui lateri dato circa rectum angulum opponitur. Inuento autem, beneficio huius sinus inuenti, vtroque angulo acuto; Si iterum fiat, vt sinus Praxis.

totus

totus ad datum latus recto angulo oppositum; vel vt sinus anguli acuti dato lateri circa rectum angulum oppositi ad datum latus circa angulum rectum, ita sinus alterius anguli acuti ad aliud, cognoscetur tertium latus in partibus mensuræ, secundum quam duo latera sunt data.

Aliter per lineas tangẽtes & secantes.

ALITER. Sit rursus A C, palm. 13. & A B, palm. 5. Quia igitur, ut ad initium linearum tangentium, ac secantium ostendimus, posito A B, sinu toto latus A C, secans est anguli A, & B C, tãgens eiusdem; dicemus. Si A B, palm. 5. dat A B, sinum totum partium 100000 quid dabit A C, palm. 13? inueniemusq; secantem A C, partium 260000. ut hic patet.

A B.	A B.	A C.		A C.
5.	100000.	13?	fit	260000.

Ex tabula ergo Secantium erit angulus A, grad 67. Min. 23. & proinde reliquus angulus C, grad. 22. Min. 37. Igitur & tangens anguli A, nempe B C, dabitur partium 240038. ex tangentium tabula. Quare rursum dicemus. Si sinus totus A B, partium 100000. dat A B, palm. 5. Vel si secans A C, inuenta partium 260000. dat A C, palm. 13. quid dabit tangens B C, partium 240038? inueniemusque iterum B C, esse ferme palm. 12. ut hic constat.

A B.	A B.			
100000.	5.	B C.		B C.
A C.	A C.	240038?	fit.	12.
260000.	13.			

Praxis.

IGITVR quando latus recto angulo oppositum datur, cum vno latere circa angulum rectum; Si fiat, vt datum latus circa angulum rectum ad sinum totum, ita datum latus angulo recto oppositum ad aliud, prodibit secans anguli acuti sub datis lateribus comprehensi. Inuento ergo, beneficio huius secantis repertæ, vtroque angulo acuto, & tangente acuti anguli sub datis lateribus comprehensi, ex tangentiũ tabula; Si iterum fiat, vt sinus totus ad datum latus circa angulum rectum; Vel vt secans acuti anguli sub datis lateribus comprehensi ad latus datum recto angulo oppositum, ita tangens acuti anguli sub lateribus datis comprehensi ad aliud, notum fiet tertium latus in partibus mensuræ, secundum quam sunt data duo latera. Verum satius est per solos sinus operari, cum tangentes lineæ, atque secantes nihil compendij afferant, sintque per sinus inuentæ.

ADHVC aliter. Ponatur rursum A C, palm. 13. & A B, palm. 5. Quoniã
47. primi.
ergo quadratum rectæ A C, duobus quadratis rectarum A B, B C, æquale est; si auferatur quadratum lateris A B, quod est 25. ex quadrato lateris A C, quod est 169. relinquetur quadratũ lateris B C, nempe 144. cuius radix quadrata 12. dabit latus B C, palm. 12. Et quia, posito A C, sinu toto, latera A B, B C, sunt sinus angulorum oppositorum, ut in defin. sinuum explicauimus: Si fiat, ut latus A C, angulo recto oppositum palmorum 13. ad A C, sinum totum partium 100000. ita alterutrum laterum circa angulum rectum, nempe B C, palm. 12. ad aliud, prodibit sinus anguli acuti A, sumpto lateri oppositi partium 92308. Ex sinuum ergo tabula dabitur angulus A, grad. 67. Min. 23.

atque

atque adeo reliquus C, grad. 22. Min. 37. Hoc modo primo loco inuenitur tertium latus, deinde vero anguli: cũ alijs vijs inuenti sint prius anguli, quam tertium latus.

SINT iam duo latera A B, B C, circa rectum angulum data, vt A B, palm. 5. & B C, palm. 12. Oportet ex his tertium latus A C, & acutos angulos inuenire. Quoniam, ex demonstratis in principio linearum tangentium, secantiumque, posito A B, sinu toto, latus B C, tangens est anguli A, & latus A C, eiusdem secans; dicemus. Si A B, palm. 5. dat A B, sinum totum partium 100000. quid dabit B C, palm. 12? reperiemusque tangentem B C, partium 240000. vt hic manifestum est. Quando duo latera circa angulum rectũ data sunt.



A B.	A B.	B C.	B C.
5.	100000.	12? fit.	240000.

Ex tabula ergo tangentium dabitur angulus A, grad. 67. Min. 23. ac proinde reliquus angulus C, grad. 22. Min. 37. Igitur & A C, secans anguli A, dabitur ex tabula secantium, partium 260035. Rursus ergo dicemus. Si A B, sinus totus partium 100000. dat A B, palm. 5. Vel, sit angens B C, inuenta partium 240000. dat B C, palm. 12. quid dabit A C, secans partium 260035? inueniemusque A C, palm. 13. ferè vt hic vides.

A B. 100000.	A B. 5.	A C.		A C.
B C. 240000.	B C. 12.	260035?	fit.	13.

ITAQVE si dentur duo latera circa angulum rectum: Si fiat, vt alterutrum datorum laterum ad sinum totum, ita alterum latus datum ad aliud, proueniet tangẽs acuti anguli huic alteri dato lateri oppositi. Inuento ergo, beneficio huius tangentis inuentæ, vtroq; angulo acuto, in tabula tangentium; & ex tabula secantium, secante anguli acuti, qui alteri huic dato lateri opponitur: Si rursum fiat, vt sinus totus ad primum latus datum; vel vt tangens inuenta ad secundum latus datum, ita secans accepta ex tabula secantium, ad aliud, notum fiet latus tertium recto angulo oppositum in ijsdem partibus, in quibus duo latera circa angulum rectum data sunt. Praxis.

ALITER. Sit rursum A B, palm. 5. & B C, palm. 12. Et quoniam quadrata laterum A B, B C, simul æqualia sunt quadrato lateris A C; erit quadratum lateris A C, palm. 169. cuius radix quadrata dabit latus A C, palm. 13. Quia vero, vt in defin. sinuum traditum est, posito A C, sinu toto, latera A B, B C, sunt sinus oppositorum angulorum: Si fiat, vt latus A C, quod angulo recto opponitur, inuẽtum palm. 13. ad A C, sinum totum partiũ 100000. ita alterutrum laterum circa angulum rectum, nempe A B, palm. 5. ad aliud, reperietur sinus anguli acuti C, qui accepto lateri opponitur, partiũ 38461. Ex tabula ergo sinuum dabitur angulus C, grad. 22. Min. 37. ac propterea reliquus A, grad. 67. Min. 23. Hac via primo loco reperitur tertium latus, deinde vero duo anguli: cum tamen alio modo anguli prius inuenti sint, quam tertium latus. Aliter sine tãgentibus & Secantibus. 47. primi.

Quãdo ꝓportio duorum laterũ datur, & vnũ latus.

IAM vero si detur duorum laterũ quorumlibet proportio,& vnum latus, quodcũque illud sit,sumemus numeros proportionis notæ,ac si essent partes alicuius mensurę,in quibus duo illa latera dentur;atq; ex his,vt demonstrauimus in hac propos.angulos inueniemus, ac tertium latus in eisdẽ partibus. Deinde,si fiat,vt numerus illius lateris,quod datum est,ad ipsum latus datũ, ita numeri aliorum laterum sigillatim ad aliud,reperientur alia latera in partibus mensuræ,secundum quam illud alterum latus est datum. Vt si proportio A B, ad A C, sit,vt 15.ad 39.& latus B C, palm.12.reperietur, ex demonstratis,angulus A,grad.67.Min.23.& angulus C, grad.22.Min.37.latus vero B C, partium 36.qualium A B, est 15. & A C, 39. Quare si fiat, vt latus B C, inuentum partium 36.ad idem B C, datum palm.12.ita tam A B, partium 15. quàm A C, partium 39. ad aliud, inuenietur A B, palm. 5. & A C, palm. 13. Datis ergo duobus lateribus trianguli rectanguli,duos angulos acutos effecimus notos,&c. Quod erat faciendum.

SCHOLIVM.

ABSOLVTVS *iam est rectangulorum triangulorum calculus, sequitur de triangulis non rectangulis. Sed prius quædam ad hanc rem necessaria demonstranda sunt, quorum nonnulla plurimum etiam triangulis sphæricis conducent.*

THEOR. 2. PROPOS. 4.

Quam proportionem habeât duo segmenta cuiusque chordæ.

SI diameter circuli chordam quamlibet,eiusq; arcum secet in duas partes; habebunt segmenta chordæ eandem proportionem, quam sinus segmentorum arcus respondentium.

IN circulo A B C D, diameter A C, secet chordam B D, in E,eiusque arcum B A D, in A, uel B C D, in C: ducanturque B F, D G, ad diametrum A C, perpendiculares; quarum B F, sinus est arcus B A, uel B C: & D G, sinus arcus A D, uel C D. Dico ita esse B E, ad E D, ut B F, ad D G. Quoniam enim in triangulis B E F, D E G, anguli F, G, æquales sunt, utpote recti: Itẽ anguli E, ad uerticem æquales; æquiangula erunt triangula B E F, D E G. Quare erit,ut B E, ad B F, ita E D, ad D G: Et permutando, ut B E, ad E D, ita B F, ad D G. Si ergo diameter circuli chordam quamlibet, eiusq; arcum secet in duas, partes, &c. Quod erat demonstrandum.



15. primi.

32. primi. 4. sexti.

THEOR. 3. PROPOS. 5.

Quã ꝓportionem habeat chorda circuli

SI in circulo chorda cuiuslibet arcus ad vnam partem producatur, conueniatq; cum diametro qua-

quauis ad eandem partem producta; erit eadem proportio totius chordæ productæ ad segmẽtum exterius, quæ sinus arcus inter punctũ, per quod diameter producta est, & remotius punctum extremum dictæ chordæ, ad sinum arcus inter idem punctum diametri, & propinquius punctum extremum eiusdem chordæ. producta, & cũ diametro producta conueniens, ad segmẽtum exterius.

IN circulo A B C D, chorda A D, arcus A D, ad partes D, producta conueniat cum diametro B C, ad easdem partes producta in puncto E; demittanturque A F, D G, ad diametrum B C, perpendiculares; quarum A F, sinus est arcus A C: & D G, sinus arcus C D. Dico ita esse A E, ad D E, ut A F, ad D G. Quoniam enim A F, D G, parallelæ sunt ob angulos rectos F, G; similia erunt triangula A E F, D E G. Quare erit, ut A E, ad A F, ita D E, ad D G: Et permutando, ut A E, ad D E, ita A F, ad D G. Si igitur in circulo chorda cuiuslibet arcus ad unam partem producatur, conueniatque cum diametro quauis, &c. Quod ostendendum erat. 28. primi. Coroll. 4. sexti.



PROBL. 3. PROPOS. 6.

DATO aggregato duorum arcuum, quorum singuli semicirculo sint minores, vel duorum angulorum rectilineorum, siue minus illud sit, siue maius, quàm grad. 180. vnà cum proportione, quam eorum sinus habent: vtrumque illorum sigillatim exhibere notum. Ex summa data duorũ arcuũ, quorum quilibet semicirculo minor sit, vel duorum angulorum, vna cũ proportione, quã eorũ sinus habẽt, vterque cognoscitur.

IN circulo A B C D, cuius centrum E, datum sit primo aggregatum arcuum B F, F D, quorum singuli sint semicirculo minores, uel angulorũ B E F, F E D, & aggregatum tam arcuum, quàm angulorum minus, quàm grad. 180. nimirum datum sit grad. 130. Data quoque sit proportio sinus arcus B F, vel anguli B E F, ad sinum arcus F D, uel anguli F E D, eadẽ, quæ 10. ad 5. Oportet ex his utrumque arcum B F, F D, uel utrumque angulum B E F, F E D, notum efficere. Ducta chorda B D, ducatur ex puncto F, ubi dati arcus coniunguntur, diameter F C, secans chordam B D, in G. Diuiso quoque toto ar- Quãdo aggregatũ arcuum, vel angulorũ minus est, quã grad. 180.

cu B A D, bifariam in A, ſecabit ſemidiameter ducta E A, chordam B D, bi-
5.tertij. fariam in H, ex lemmate ad defin. ſinuum demonſtrato; atque adeo & ad an-



gulos rectos. Quoniam vero proportio ſinus arcus BF, ad ſinum arcus FD, ponitur, vt 10. ad 5. eſtque vt ſinus arcus B F, ad ſinum arcus F D, ita B G, ad G D; erit quoque B G, ad G D, vt 10. ad 5. Poſita igitur recta B G, 10. erit G D, 5. ac proinde tota B D, 15. vtraque vero ſemiſsis B H, H D, $7\frac{1}{2}$. & denique H G, differentia inter ſemiſſem B H, & maius ſegmentum B G, vel inter ſemiſſem H D, & minus ſegmentum G D, erit $2\frac{1}{2}$. Rurſus quia totus arcus BAD, ponitur grad. 130. erit vtraque ſemiſsis B A, A D, grad. 65. ac proinde & vterque angulus B E A, A E D, graduum quoque 65. Et quoniam ex ijs, quæ ad initium tangentium, ſecantiumque tradidimus, poſito ſinu toto E H, recta B H, tangens eſt anguli B E H, & H G, tangens anguli H E G; dabitur, ex tangentium tabula, tangens grad. 65. nempe B H, partium 214451. Quare, vt tangentem anguli AEF, nimirum H G, inueniamus, dicemus per auream regulam. Si B H, ſemiſsis aggregati terminorum proportionis datæ, nempe $7\frac{1}{2}$. dat B H, tangentem ſemiſsis aggregati angulorum B E F, F E D, vel arcuũ BF, FD, partium 214451. quid dabit H G, differentia inter ſemiſſem aggregati terminorum datæ proportionis, & vtrumlibet terminorum eiuſdem proportionis, nimirum $2\frac{1}{2}$? inueniemusq; tangentem HG, partium 71484. vt hic factum vides.

4.huius.

B H.	B H.	H G.		H G.
$7\frac{1}{2}$.	214451.	$2\frac{1}{2}$?	fit	71484.

Ex tabula ergo tangentium elicietur angulus H E G, hoc eſt, arcus A F, grad. 35. Min. 34. qui additus ſemiſsi A B, grad. 65. componet arcum B F, maiorem, atq; adeo & angulum B E F, grad. 100. Min. 34. ablatus vero ex ſemiſſe A D, relinquet arcum minorem F D, & proinde & angulum F E D, grad. 29. Min. 26.

Praxis. *ITAQVE, quando duo arcus ſimul minores ſunt, quàm ſemicirculus, vel duo anguli ſimul duobus rectis minores: Si fiat, vt ſemiſſis aggregati terminorum proportionis datæ ad tangentem ſemiſſis aggregati arcuum, vel angulorum (quærendo tangentem per partem proportionalem reſpondentem 30. ſecundis, ſi forte aggregatum bifariam diuidi nequeat ſine Secundis.) ita differentia inter ſemiſſem aggregati terminorum datæ proportionis, & alterutrum terminorum, ad aliud, reperietur tangens arcus, vel anguli, quo vterque arcus, angulusve quæſitus à ſemiſſe aggregati eorundem differt. Additus igitur arcus, vel angulus huius inuentæ tangentis ad ſemiſſem dabit maiorem arcum, vel angulum; ablatus vero ex eadem ſemiſſe relinquet arcum, vel angulum minorem.*

Alia demõ- ALITER. Producta ſemidiametro B E, ad K, & diametro C F, produ-
ſtratio. cta, donec in L, conueniat cum recta K D L, ex K, per D, ducta, agatur E I, ad
3.tertij. D K, perpendicularis, quæ ipſam D K, bifariam ſecabit; ac proinde cum latera D E,

ra D E, E I, lateribus KE, E I, æqualia sint, & basis D I, basi KI; angulus D E I, angulo K E I, æqualis erit. Quia ergo arcus B F D, datus est grad. 130. dabitur reliquus D K, de semicirculo grad. 50. & eius semissis, id est, angulus DEI, grad. 25. Rursus quia sinus arcus B F, ad sinum arcus F D, ponitur, ut 10. ad 5. estque idem sinus arcus K F, qui arcus B F, vt in defin. sinuum ostensum est: erit quoque sinus arcus K F, ad sinum arcus D F, vt 10. ad 5. Cum ergo sit, vt sinus arcus KF, ad sinum arcus D F, ita K L, ad D L; erit etiam K L, ad D L, vt 10. ad 5. Posita igitur K L, 10. erit D L, 5: ac proinde & reliqua K D, 5. & eius semissis I D, $2\frac{1}{2}$. At quoniam, vt ad initium tangentium & secantiũ diximus, posito sinu toto E I, recta I D, tangens est anguli D E I, hoc est, grad. 25. dabitur I D, ex tabula tangẽtium, partium 46631. Dicemus ergo per auream regulam. Si I D, semissis differentiæ inter terminos proportionis datæ, nempe $2\frac{1}{2}$. dat I D, tangentem semissis differentiæ inter aggregatum datum, & semicirculum, partium 46631. quid dabit I L, composita ex semisse differentiæ inter terminos datæ proportionis, & consequente eiusdem proportionis, nimirum $7\frac{1}{2}$? reperiemusque I L, partium 139893. qualium I D, est 46631. vel E I, 100000. vt hic vides. — 8. primi. / 5. huius.

I D.	I D.	I L.		I L.
$2\frac{1}{2}$.	46631.	$7\frac{1}{2}$?	fit	139893.

Cum ergo I L, sit tangens anguli I E L, posito sinu toto E I, vt in tractatione tangentium ac secantium tradidimus; dabitur, ex tangentium tabula, angulus I E F, grad. 54. Min. 26. Ablato ergo angulo D E I, grad. 25. nimirum semisse differentiæ inter datum aggregatum, & semicirculum, reliquus erit angulus F E D, ac propterea & arcus F D, minor, grad. 29. Min. 26. qui subtractus ex dato aggregato grad. 130. relinquet angulum B E F, & proinde & arcum B F, maiorem, grad. 100. Min. 34. vt prius.

IGITVR si fiat, vt semissis differentiæ inter terminos proportionis datæ ad tangentem semissis differentiæ inter aggregatum datum, & semicirculum, ita aggregatum ex semisse differentiæ inter terminos datæ proportionis, & consequente eiusdem proportionis, ad aliud, inuenietur tangens anguli, à quo si dematur semissis differentiæ inter datum aggregatum, & semicirculum, reliquus erit angulus, seu arcus minor quæsitus: qui detractus ex aggregato dato, relinquet maiorẽ angulum, siue arcũ quæsitũ. — Praxis.

ALITER adhuc per solos sinus sine tangentibus. Iisdem positis, quoniam vt in sinubus declarauimus, posito sinu toto E B, recta BH, est sinus anguli B E H, nempe semissis aggregati angulorum, vel arcuũ dati, nempe grad. 65. & H E, sinus anguli E B H, grad. 25. vtpote complementi anguli B E H; dabitur ex tabula sinuum, B H, partium 90631. at H E, partiũ 42262. Quòd si dicamus. Si B H, semissis aggregati terminorum proportionis datæ, nempe $7\frac{1}{2}$. dat B H, sinum semissis aggregati angulorum, vel arcuum, partiũ 90631. quid dabit H G, differentia inter semissem aggregati terminorum proportionis datæ, & alterutrum terminorum, nimirum $2\frac{1}{2}$? reperiemus H G, partium 30210. qualium sinus totus E B, est 100000. vel E H, 42262. vt hic patet. — Aliter absque tangẽtibus.

B H.	B H.	H G.		H G.
$7\frac{1}{2}$.	90631.	$2\frac{1}{2}$?	fit	30210.

Quia vero quadrata rectarum H E, H G, nempe 1786076644. 912644100. — 47. primi.

qua-

quadrato rectæ EG, æqualia sunt, si ea in vnam summam colligamus, fiet quadratum rectæ E G, 2698720744. cuius radix quadrata dabit E G, partium 51949. Cum autem, posito sinu toto E G, recta H G, sinus sit anguli H E G, vt in sinuum defin. diximus, dicemus rursum. Si E G, inuenta partium 51949. dat E G, sinum totum partium 100000. quid dabit H G, inuenta partium 30210? inueniemusque H G, sinum anguli H E G, partiũ 58153. vt hic vides.

E G.	E G.	H G.		H G.
51949.	100000.	30210?	fit.	58153.

Ex sinuum ergo tabula dabitur angulus H E G, siue arcus A F, grad. 35. Min. 34. qui additus semissi A B, grad. 65. exhibebit maiorem arcum B F, ideoque & angulum B E F, grad. 100. Min. 34. ablatus vero ex semisse A D, reliquum faciet arcum minorem F D, atque adeo & angulum F E D, grad. 29. Min. 26. vt prius.

Praxis. *QVOCIRCA, quando aggregatum duorum arcuum, vel angulorum minus est, quam grad. 180. Si fiat, vt semissis aggregati terminorum proportionis datæ ad sinum semissis aggregati arcuum, angulorumve, ita differentia inter semissem aggregati terminorum datæ proportionis, & alterutrum terminorum, ad aliud, inuenietur numerus; cuius quadratum si adiungatur quadrato sinus complementi semissis aggregati arcuum, seu angulorum; Et tandem fiat, vt compositi huius numeri radix quadrata ad sinum totum, ita numerus per auream regulam nuper inuẽtus ad aliud, producetur sinus anguli, siue arcus, quo vterq; angulus, arcusve quæsitus ab eorundem aggregati semisse differt. Additus ergo arcus, siue angulus huius sinus inuenti ad semissem aggregati dati, dabit maiorem arcum, vel angulum; ablatus vero ex eadem semisse relinquet minorem arcum, siue angulum. Sed priores duæ viæ longe sunt expeditiores; vt perspicuum est.*

Quãdo aggregatũ arcuũ, vel angulorũ maius est, quã grad. 180.

DETVR deinde aggregatum arcuum B C, C D, quorum singuli semicirculo quoq; sint minores, vel angulorum B E C, C E D, at aggregatum tam arcuum, quam angulorum superet grad. 180. nempe detur grad. 230. Detur item proportio sinus arcus B C, vel anguli B E C, ad sinum arcus C D, vel anguli C E D, eadem, quæ 10. ad 5. Oportet ex his vtrumq; arcum B C, C D, vel vtrumq; angulum B E C, C E D, elicere. Ducta diametro C F, & detracto dato aggregato ex integro circulo, hoc est, ex grad. 360. reliquum erit aggregatum arcuum B F, F D, vel angulorum B E F, F E D, grad. 130. minus, quam grad. 180. Et quoniam arcus B C, B F, eundem sinuum habent, necnon & arcus C D, F D, vt in defin. sinuum diximus, data quoq; erit proportio sinuum arcuum B F, F D, vel angulorum B E F, F E D, eadem, quæ 10. ad 5. Quam ob rem, vt iam demonstratum est, inueniemus arcus B F, F D, vel angulos B E F, F E D, grad. 100. Min. 34. & grad. 29. Min. 26. qui ex semicirculo, hoc est, ex grad. 180. sublati relinquent arcus B C, C D, vel angulos B E C, C E D, grad. 79. Min. 26. & grad. 150. Min. 34.

Praxis. *QVANDO ergo aggregatum duorum arcuum, seu angulorum maius est, quam grad. 180. Si illud ex grad. 360. auferamus, remanebit aggregatum aliorum duorum arcuum, vel angulorum minus, quam grad.*

180.

180. *Quare si, vt iam demonstratum est, beneficio huius aggregati minoris, & proportionis datæ, vtrumq; arcum, vel angulum inquiramus, & vtrumq; inuentum sigillatim ex grad. 180. demamus, noti relinquentur arcus, vel anguli quæsiti.*

QVOD si quando proportio sinuum data sit proportio æqualitatis, hoc est, sinus sint æquales, erunt quoq; tam duo arcus, quam duo anguli æquales, vt in defin. sinuum ostendimus. Quapropter semissis dati aggregati dabit vtrumq; arcum, siue angulum cognitum. Dato igitur aggregato duorum arcuum, quorum singuli semicirculo sint minores, vel duorum angulorum rectilineorum, &c. vtrumq; illorum sigillatim exhibuimus notum. Quod faciendum erat.

Quando sinuum proportio data est pportio æqualitatis.

SCHOLIVM.

SI aggregatum duorum arcuum, vel angulorum fuerit præcisè grad. 180 non poterunt arcus illi, vel anguli cognosci, etiam si proportio, quam eorum sinus habent, data sit. Nam quomodocunq; semicirculus in duos arcus secetur, habebunt semper eorum sinus proportionem æqualitatis, cum vnus, & idem sinus sit vtriusq; arcus, vt ad defin. sinuum demonstrauimus. Necesse est ergo, aggregatum datum vel minus esse, vel maius, quam grad. 180. vt in propositione expressum est.

Quãdo aggregatũ datũ continet grad. 180. problema solui non potest.

PROBL. 4. PROPOS. 7.

DATA differentia duorum arcuum, quorum singuli semicirculo sint minores, vel duorum angulorum rectilineorum, vna cum proportione, quam eorum sinus habent: vtrumq; illorum sigillatim notum efficere.

Ex differentia data duorum arcuũ, quorũ quilibet semicirculo minor sit, vel duorũ angulorũ, vna cũ proportione, quã eorum sinus habent, vterq; cognoscit.

IN circulo A B C D, cuius centrum E, superet arcus B F, semicirculo minor arcum D F, arcu B D, vel angulus B E F, angulum D E F, angulo B E D, sitque differentia hæc, nempe arcus B D, vel angulus B E D, data grad. 60. Proportio quoque sinus maioris arcus B F, vel anguli B E F, ad sinum arcus minoris D F, vel anguli D E F, sit primo maioris inæqualitatis data, eadem, quæ 11. ad 5. quod quidem contingit, quando duo arcus B F, D F, semicirculo sunt minores simul sumpti. Oportet ex his vtrumque arcum B F, D F, siue vtrumque angulum B E F, D E F, cognitum facere. Ducta chorda B D, & diametro C F, conue-



Quãdo sinus maioris arcus, vel anguli ad sinum minoris habet proportioné maioris inæqualitatis.

nient

nient hæ lineæ productæ ad partes D,F, vt in puncto G. Cum enim sinuum proportio sit data maioris inæqualitatis, maior erit sinus arcus B F, hoc est, perpendicularis ex B, ad C F, demissa, sinu arcus D F, hoc est, perpendiculari ex D, ad C F, demissa. Quare minus distabit punctum D, à recta C F, quàm punctum B; atque adeo tandem coibunt B D, C F, productæ ad partes D, F. Quod etiam ita probabitur. Si ambo sinus, hoc est, perpendiculares ex B, D, ad C F,

28. primi. demissæ essent æquales, cum ipsæ sint paral-
33. primi. lelæ, essent quoque B D, C F, parallelæ. Cũ ergo perpendicularis ex D, demissa minor sit, efficitur, vt conueniant, &c. Diuiso deinde arcu B D, bifariam in A, secabit semidiameter ducta E A, chordã B D, quoq; bifariã in H, ex lemmate ad defin. sinuum demon-



3. tertij. strato; & proinde & ad angulos rectos. Quoniam vero proportio sinus arcus B F, ad sinum arcus D F, est, ex hypothesi, vt 11. ad
5. huius. 5. estque vt sinus arcus B F, ad sinum arcus D F, ita B G, ad D G; erit quoque B G, ad D G, vt 11. ad 5. Posita igitur recta B G, 11. erit D G, 5. ac proinde reliqua B D, 6. vtraque uero semisis B H, H D, 3. ac denique H G, 8. Rursus quia arcus B D, ponitur grad. 60. erit utraque semisis B A, A D, grad. 30. propterea que & uterque angulus B E A, A E D, graduum quoque 30. Et quia, posito sinu toto E H, recta H D, tangens est anguli D E H, & H G, tangens anguli H E G, ut ad initium tangentium, atque secãtium monuimus; dabitur ex tangentium tabula, tangens grad. 30. hoc est, H D, partium 57735. Quapropter, ut tangentem H G, anguli H E G, cognoscamus, dicemus per auream regulam. Si H D, semisis differentiæ terminorum proportionis datæ, nempe 3. dat H D, tangentem semisis differentiæ datæ arcuum B F, F D, uel angulorum B E F, D E F, partium 57735. quid dabit H G, aggregatum ex semisse differentiæ terminorum datæ proportionis, & consequente eiusdem proportionis, nimirum 8? proueniet que H G, tangens partium 153960. ut hic apparet.

H D.	H D.	H G.	H G.
3.	57735?	8? fit.	153960.

In tangentium autem tabula hæc tangens inuenta offert angulum A E F, siue arcum A F, grad. 57. cui si addatur semisis A B, grad. 30. dabitur maior arcus B F, siue angulus B E F, grad. 87. si uero ab eodem subtrahatur semisis A D, grad. 30. remanebit minor arcus D F, uel angulus D E F, grad. 27.

Praxis. *IGITVR quando proportio sinus maioris arcus, vel anguli, ad sinũ minoris est maioris inæqualitatis: Si fiat, vt semissis differentiæ terminorum proportionis datæ ad tangentem semissis differẽtiæ arcuum, vel angulorum datæ, ita aggregatum ex semisse differentiæ terminorum proportionis, & consequente proportionis ad aliud, producetur tangens arcus, vel anguli, qui semissi differentiæ arcuum, vel angulorum datæ additus componit maiorem arcum, seu angulum; & si ab eodem semissis dicta subducatur, remanet arcus, vel angulus minor.*

ALI-

ALITER sine tangentibus per solos sinus. Iisdem positis, quoniam, per ea, quæ in sinuum defin. ostendimus, posito sinu toto E D, recta H D, sinus est anguli H E D, nimirum semissis differentiæ arcuum, vel angulorum datæ, hoc est, grad. 30. & H E, sinus anguli H D E, grad. 60. vtpote complementi anguli H E D; dabitur ex sinuum tabula, H D, partium 50000. & E H, partium 86603. Iam vero si dicamus. Si H D, semissis differentiæ terminorum proportionis datæ, nimirum 3. dat H D, sinum 50000. vtpote sinum semissis differentiæ arcuũ, angulorumve datæ, quid dabit H G, aggregatũ ex semisse differentiæ terminorum proportionis, & consequente eiusdem proportionis, nempe 8? inueniemus H G, esse 133333. respectu sinus totius E D, vt hic vides. Aliter sine tãgẽtibus.

H D.	H D.	H G.	H G.
3.	50000.	8? fit.	133333.

Igitur, cum quadrata rectarum E H, H G, nempe 7499906404. 17777688889. æqualia sint quadrato rectæ E G, fiet quadratum rectæ E G, 25277595293. 47. primi. cuius radix quadrata indicabit rectam E G, esse 158989. respectu sinus totius E D. Cum autem, vt in nostris sinubus diximus, posito sinu toto E G, recta H G, sit sinus anguli H E G; dicemus rursum. Si E G, inuenta partiũ 158989. dat E G, sinum totum partium 100000. quid dabit H G, inuenta partium 133333? reperiemusq; H G, sinum anguli H E G, partiũ 83863. vt hic apparet.

E G.	E G.	H G.	H G.
158989.	100000.	133333? fit.	83863.

Hic sinus in tabula sinuum monstrat arcum grad. 57. Tantus est ergo angulus A E F, siue arcus A F; cui si adijciatur semissis A B, grad. 30. fiet arcus maior B F, & angulus B E F, grad. 87. Si vero ab eodem minuatur semissis A D, grad. 30. reliquus erit minor arcus D F, & angulus D E F, grad. 27. vt prius.

SI igitur (quando proportio sinuum data est maioris inæqualitatis) fiat, vt semissis differentiæ terminorum proportionis datæ ad sinum semissis differentiæ arcuum, vel angulorum datæ, ita aggregatum ex semisse differentiæ terminorum proportionis, & consequente eiusdem proportionis, ad aliud, inuenietur numerus; cuius quadratum si adijciatur quadrato sinus complementi semissis differentiæ arcuum, vel angulorum datæ: Et tandem fiat, vt compositi huius numeri radix quadrata ad sinum totum, ita numerus per regulam auream nuper inuentus ad aliud, inuenietur sinus anguli, siue arcus, cui si addatur semissis differentiæ arcuum, vel angulorum datæ, notus fiet maior arcus, siue angulus: Ab eodem vero si eadem semissis detrahatur, remanebit minor arcus, angulusve cognitus. Sed prior ratio breuior est, vt constat. Praxis.

ADHVC aliter tam per tangentes, quam per sinus. Iisdem positis, & extensa recta B E, vsq; ad I: Quoniam arcus B D, hoc est, differentia arcuum B F, D F, datur grad. 60. dabitur reliquus semicirculi arcus D I, nimirum aggregatum arcuum D F, F I, grad. 120. Datur autem & proportio sinus arcus B F, hoc est, arcus F I, (cum arcus B F, F I, eundem sinum habeant, vt in defin. sinuum diximus.) ad sinum arcus D F, eadem, quæ 11. ad 5. Quare, vt demonstratum est, vterq; arcus I F, D F, cognoscetur, quorum D F, est minor 6. huius. propositorum arcuum: at F I, complementum maioris B F, vsq; ad semicir-

culum, ac proinde ex semicirculo sublatus maiorẽ B F, notum relinquet. Erit
26. tertij. autẽ semper arcus I F, maior, quam DF, propterea quod ęqualis est arcus I F, arcui B C, qui maior est arcu DF, quòd illius sinus maior ponatur sinu huius.

Praxis. *QVOCIRCA ijsdem positis: Si ex data proportione sinuum maioris inæqualitatis, & ex arcu, qui relinquitur post detractionem differentiæ datæ ex semicirculo, tanquam aggregato duorum arcuum, inquirantur duo arcus huius aggregati, vt in antecedente propos. ostensum est; dabit maior inuentus, si ex semicirculo auferatur, maiorem arcum, atque adeo & angulum propositum; minor vero inuẽtus erit minor propositus.*

Quãdo sinus maioris arcus, aut anguli ad sinum minoris proportionem minoris inæqualitatis habet.

DEINDE superet arcus DBC, semicirculo minor arcũ BC, arcu DB, vel angulus D E C, angulũ BEC, angulo DEB; sitq; differẽtia hęc, nẽpe arcus DB, vel angulus D E B, data grad. 60. Proportio quoq; sinus arcus maioris DBC, vel anguli D E C, ad sinũ arcus minoris B C, vel anguli B E C, sit data, & minoris inæqualitatis, eadem, quæ 5. ad 11. quod quidem accidit, quando duo arcus simul sumpti D B C, B C, semicirculũ excedũt. Oportet ex his vtrumq; arcum D B C, B C, vel vtrumq; angulum D E C, B E C, notum fieri. Ijsdem constructis, quæ prius, non conueniet chorda D B, cum diametro C F, ad partes B, C, minoris arcus producta, sed ad partes D, F, vt ex ijs, quæ ad initium huius propos. ostendimus, manifestum est. Quia vero tam arcus D B C, D F, eundem sinum habent, quam arcus B C, BF, erit quoq; proportio sinus arcus D F, ad sinum arcus B F, data, eadem, quæ 5. ad 11. & proinde proportio sinus arcus B F, ad sinum arcus D F, vt 11. ad 5. nempe maioris inæqualitatis. Quare cum arcus B F, D F, eandem differentiam habeant B D, datam, reperiemus vtrumq; arcum B F, D F, atq; adeo & vtrumq; angulum B E F, D E F, vt ante demonstrauimus, illum nimirum grad. 87. hunc vero grad. 27. qui ex semicirculo sigillatim detracti relinquent minorem arcum propositum B C, grad. 93. maiorem vero D B C, grad. 153.



Praxis. *ITAQVE, quando proportio sinuum data est minoris inæqualitatis: Si inuertatur, vt fiat maioris inęqualitatis proportio, & ex hac, et differentia data inquirantur duo arcus, dabit maior inuentus, si ex semicirculo dematur, minorem arcum, atq; angulum propositum, minor vero, si ex eodem semicirculo auferatur, maiorem.*

Quandò proportio sinuũ est ęqualitatis.

IAM vero si quãdo sinuum data proportio fuerit æqualitatis; quod quidem euenit, quando duo arcus propositi BF, DF, semicirculo æquantur, erunt arcus D F, B C, æquales, vt in sinuum defin. demonstrauimus, ob æqualitatem sinuum.

Praxis. *QVARE si tunc data differentia grad. 60. nempe arcus B D, ex semicirculo detrahatur, & residui arcus grad. 120. semissis, nempe grad. 60. ad differentiam addatur, componetur maior arcus B F, siue angulus*

B E F,

BEF, grad. 120. Ipsa vero semissis erit arcus minor DF, vel angulus DEF, grad. 60. Ita si differentia data complectatur grad. 104. Min. 20. detrahemus eam ex grad. 180. & reliqui arcus grad. 75. Min. 40. semissem, nempe grad. 37. Min. 50. datæ differentiæ addemus, vt componatur maior arcus, seu angulus propositus, grad. 142. Min. 10. Minor enim erit ipsa differentiæ semissis grad. 37. Min. 50.

QVOCIRCA, data differentia duorum arcuum, quorum singuli semicirculo sint minores, vel duorum angulorum rectilineorum, &c. vtrumq; illorum sigillatim notum effecimus. Quod faciendum erat.

THEOR. 4. PROPOS. 8.

SI ab angulo trianguli cuiusuis duobus lateribus inæqualibus comprehenso linea perpendicularis ad basim ducatur, si quidem intra triangulum cadit, erit quadratum maioris laterum dictum angulum ambientium maius, quam quadratum minoris, rectangulo sub base, & differentia segmentorum à perpẽdiculari factorum comprehenso: si vero extra cadit, erit quadratum maioris lateris maius, quam quadratum minoris, rectangulo sub base, & recta linea, quæ ex base, & duplo exterioris lineæ inter perpendicularem, & angulum trianguli componitur, comprehenso. Quãto maius sit quadratũ maioris lateris, quàm minoris in quouis triãgulo.



IN triangulo ABC, cuius duo latera AB, AC, inæqualia sint, AC, maius, & AB, minus, ducatur ex angulo A, ad basim BC, perpendicularis AD, cadens primùm intra triangulum, vt in priori figura. Et quoniam tam quadrata rectarum AD, DB, quadrato rectæ AB, quàm quadrata rectarum AD, DC, quadrato rectæ AC, æqualia sunt; 47.primi. est autem quadratum rectæ AB, minus quadrato rectæ AC, quòd minor ponatur recta AB, quam AC: erunt quoque duo quadrata rectarum AD, DB, simul minora duobus quadratis AD, DC, simul; ablatoque propterea communi quadrato rectæ AD, quadratum rectæ BD, quadrato rectæ DC, minus erit, & proinde & recta BD, minor, quam recta DC. Abscissa ergo recta DE, ipsi BD, æquali, erit EC, differentia inter segmenta BD, DC. Dico quadratum lateris AC, superare quadratum lateris AB, rectangulo sub BC, EC, comprehenso. Quia enim recta BE, secta est bifariam in D, eiq; addita in continuum recta EC, erit rectangulum sub BC, EC, contentum vna cum quadrato rectæ DE, quadrato rectæ DC, æquale. Addito ergo quadrato communi rectæ AD, erit rectangulum sub BC, EC, vnà cum quadratis rectarum DE, AD, hoc est, rectarum BD, AD, hoc est, cum quadrato rectæ AB, æquale quadratis rectarum DC, AD, hoc est, quadrato rectæ AC. Maius ergo est quadratum lateris AC, quam quadratum lateris AB, rectangulo sub BC, EC, comprehenso. quod est propositum.

6. secundi.





CADAT deinde perpendicularis AD, extra triangulum in basim CB, productam, vt in figura posteriori. Abscissa recta DE, ipsi DB, æquali, erit recta EC, composita ex base BC, & EB, quæ dupla est lineæ DB, inter perpendicularem, & angulum B. Dico rursus, quadratum lateris AC, superare quadratum lateris AB, rectangulo sub BC, EC, comprehenso. Erit enim rursus rectangulum sub BC, EC, vnà cum quadrato rectæ DB, quadrato rectæ DC, æquale. Addito ergo quadrato communi rectæ AD, erit rectangulum sub BC, EC, vnà cum quadratis rectarum DB, AD, hoc est, cum quadrato rectæ AB, æquale quadratis rectarum DC, AD, hoc est, quadrato rectæ AC. Excedit igitur quadratum lateris AC, quadratum lateris AB, rectangulo contento sub BC, EC.

6. secundi.

47 primi. ALITER. Quoniã quadratis ex AD, DC, quadratum ex AC; & quadratis ex AD, DB, quadratum ex AB, æquale est: idem erit excessus quadrati ex AC, supra quadratum ex AB, qui quadratorum ex AD, DC, supra quadrata ex AD, DB: Et, ablato communi quadrato ex AD, idem, qui quadrati ex DC, supra quadratum ex DB, per pronunciatum 17. lib. 1. Eucl. Sed quadratum ex DC, superat quadratum ex DB, rectangulo sub BC, CE,

6. secundi. comprehenso; propterea quòd quadratum ex DC, æquale est quadrato ex DB, vel ex DE, in prima figura, vnà cum rectangulo sub BC, CE, contento. Igitur & quadratum ex AC, superat quadratum ex AB, rectangulo comprehenso sub BC, CE. Quocirca, Si ab angulo trianguli cuiusuis duobus lateribus inæqualibus comprehenso linea perpendicularis ad basim ducatur, &c. Quod ostendendum erat.

COROLLARIVM.

Perpẽdicularis in Isosceles secat basim bifariam.

EX demonstratis constat, In Isoscele perpendicularem secare basim bifariam. Nam si in priore triangulo latera AB, AC, ponantur æqualia, erunt eorum quadrata quoque æqualia. Quare cum quadratum ex AB, æquale sit quadratis ex AD, BD; & quadratum ex AC, quadratis ex AD, CD: erunt quoque quadrata ex AD, BD, quadratis ex AD, CD, æqualia: Ablatoque communi quadrato rectæ AD, reliqua erunt quadrata ex BD, CD, æqualia, & proinde rectæ BD, CD, æquales.

47. primi.

PRO-

PROBL. 5. PROPOS. 9.

SI ab vno angulo trianguli cuiuſuis notorum laterum ad oppoſitũ latus perpendicularis demittatur: quanta ſit recta inter perpendicularem, & vtrumuis angulorum reliquorum comprehenſa, cognoſcere.

Cognitis lateribus triãguli, cognoſcũtur ſegmenta baſis inter perpendicularẽ, & vtrũque angulum comprehenſa.

REPETANTVR duo triangula præcedẽtis propoſ. ſitq; latus A C, 20. A B, 13. & in priori quidem triangulo, B C, 21. in poſteriori vero, 11. Oporteatq; cognoſcere, quanta ſit tam recta B D, quàm C D. Quoniam quadratum ex A C, ſuperat quadratum ex A B, rectangulo ſub B C, C E, contento; ſi quadratum rectæ A B, hoc eſt, 169. detrahatur ex 400. quadrato rectæ A C, reliquum erit rectangulum ſub B C, C E, contentum 231. quo diuiſo per latus B C, hoc eſt, per 21. in priori triangulo, prodibit recta C E, 11. quæ ablata ex latere B C, id eſt, ex 21. relinquet B E, 10. Huius ergo dimidium 5. dabit rectam B D: ac proinde reliqua C D, erit 16. nempe reſiduum lateris B C. In poſteriori vero triangulo, diuiſo eodem rectangulo 231. per 11. nimirum per latus B C, inuenietur C E, 21. à qua ſi latus B C, hoc eſt, 11. auferatur, remanebit B E, 10. cuius ſemiſsis dabit B D, 5. ac proinde C D, erit 16. nempe compoſitum ex latere B C, ac B D.

8. huius.





ITAQVE, Si differentia inter duo quadrata laterum ambientium angulum, à quo perpendicularis ducta eſt, diuidatur per tertium latus, in quod perpendicularis eſt demiſſa, producetur numerus, qui ſi minor tertio latere fuerit, indicabit perpendicularem intra triangulum cecidiſſe, idemque ex tertio latere ſubductus relinquet numerum, cuius ſemiſſis dabit minus ſegmentum baſis: hoc autem ex tertio latere ſubtractum exhibebit ſegmentum maius. Si vero numerus ille ex diuiſione productus fuerit tertio latere maior, argumento eſt, perpendicularem extra triangulum cecidiſſe. Quare ſi ex eo tertium latus detrahatur, reliquus erit numerus, cuius ſemiſſis dabit rectam extra triangulum inter perpendicularem, & angulum obtuſum; eadem vero ſemiſſis tertio lateri addita exhibebit alteram rectam inter perpendicularem, & angulum acutum.

Praxis.

Quo pacto ex operatione intelligatur, num perpẽdicularis intra triãgulum cadat, an extra.

ALI-

Alia inuẽtio ſegmẽtorum baſis, & facilior.

ALITER & facilius. Ex A, ad interuallum minoris lateris A B, circulus deſcribatur ſecans maius latus A C, in F, idemq́. productum in G, & latus B C, ſi perpendicularis intra triangulum cadit, vel certe, ſi extra cadit, ipſum productum in E: ſecabiturq́; recta B E, bifariam in E. Quia vero rectangulum ſub B C, C E, rectangulo ſub G C, C F, æquale eſt; erit, vt B C, latus, in quod perpendicularis ducitur, nempe vt 21. in priori triangulo, vel vt 11. in poſteriori, ad G C, ſummam reliquorũ duorum laterũ A C, A B, (quod A G, ipſi A B, ſit æqualis) hoc eſt, ad 33. ita C F, differentia inter eadem duo latera, id eſt, ita 7. ad C E. Quare per regulam auream inuenietur C E, partium 11. in triangulo priori, in poſteriori autem 21. vt hic perſpicuum eſt.

3. tertij.

corol. 1. 36. tertij.

16. ſexti.



BC.	GC.	CF.		CE.
21.	33.	7?	fit.	11.
		Item		
11.	33.	7?	fit.	21.

Quòd ſi E C, inuenta partium 11. in priori triangulo auferatur ex latere B C, nempe ex 21. remanebit B E, 10. cuius ſemiſsis 5. erit ſegmentum B D, ac proinde alterum C D, erit 16. In poſteriori vero triangulo, ſi ex E C, inuenta partium 21. dematur latus B C, partium 11. relinquetur rurſus B E, 10. Quare eius dimidium 5. dabit rectam B D, extra triangulum inter perpendicularem, & angulum obtuſum; ac proinde tota C D, compoſita ex latere B C, & dicto dimidio B D, erit 16.

Praxis.

Quo pacto ex ipſa operatione cognoſcatur, an perpendicularis cadat intra triangulũ, an extra.

SI igitur fiat, vt latus, in quod perpendicularis ducta eſt, ad ſummam aliorum duorũ laterum, ita differentia eorundem laterum ad aliud, reperietur numerus, qui ſi minor fuerit tertio latere, indicabit perpendicularem intra triangulum cecidiſſe, idemq́, ex tertio latere ablatus relinquet numerum, cuius dimidium erit minus ſegmentum baſis, hoc autem ex tertio latere demptum reliquum faciet maius ſegmentum. Si vero numerus per auream regulam inuentus tertium latus ſuperet, argumento eſt, perpendicularem cecidiſſe extra triangulum. Quare ſi ex eo latus tertium detrahatur, dabit ſemiſſis reliqui numeri rectam extra triangulum inter perpendicularem, & angulum obtuſum: Eadem vero ſemiſſis

tertio

tertio lateri adiuncta offeret alteram rectam inter perpendicularem, & angulum acutum.

SI ergo ab vno angulo trianguli cuiusuis notorum laterum, &c. Quod faciendum erat.

SCHOLIVM.

VIDES *igitur, in vtraque praxi calculum ipsum monstrare, num perpendicularis intra triangulum cadat, an vero extra.*

IDEM *hoc problema absolui potest per propos. 13. aut 12. lib. 2. Eucl. prout perpendicularis intra triangulum cadit, vel extra. Cadat enim primũ perpendicularis* AD, *intra, sintq́; latera, vt prius;* A B, 13. A C, 20. B C. 21. *Eritq; vterq; angulus* B, C, *acutus, propter rectos angulos ad* D. *cũ tam duo anguli* B, & A D B, *quàm duo* C, & A D C, *sint duobus rectis minores. Quoniam igitur quadratũ ex* AC, *minus est, quàm duo quadrata ex* A B, B C, *rectangulo bis cõprehenso sub* C B, B D; *si quadratũ lateris* A C, *nempe* 400. *auferatur ex summa quadratorum laterum* A B, B C, *nimirum ex* 610. *reliquum erit rectangulũ sub* C B, B D, *bis comprehẽsum* 210. *Semissis ergo huius, vtpote* 105. *erit rectangulum sub* C B, B D, *comprehensum: quo diuiso per latus* B C, *hoc est, per* 21. *exibit segmentum* B D, 5. *Reliquum ergo* C D, *erit* 16. *Quod tamen eodem modo reperiri potest, si quadratum lateris* A B, *ex quadratis laterum* A C, C B, *subducatur, &c. Est enim & illud minus, quàm hæc duo, rectangulo sub* B C, C D, *bis comprehenso.* 17. primi. 13. secundi. 13. secundi.



CADAT *deinde perpendicularis* A D, *extra, sintq́; latera, vt prius;* A B, 13. A C, 20. B C, 11. *Eritq; angulus* A B C, *obtusus: propterea quod duo* D, & A B D, *sunt duobus rectis minores; ac proinde* A B D, *acutus, cum* D, *rectus sit. Quia ergo quadratum ex* A C, *maius est, quàm duo quadrata ex* A B, B C, *rectangulo bis comprehenso sub* C B, B D; *si summa quadratorum laterum* A B, B C, *id est,* 290. *auferatur ex* 400. *quadrato lateris* A C, *relinquetur rectangulum bis comprehensum sub* C B, B D, 110. *Semissis ergo huius, nimirum* 55. *erit rectangulum sub* C B, B D, *contentum: quo diuiso per* 11. *latus* B C, *prodibit recta* B D, *extra triangulum,* 5. *quæ cum* 11. *latere* B C, *componet rectam* C D, 16. 17. primi 11. secundi.



ITAQVE, cadente perpendiculari intra triangulum; Si semissis differentiæ inter quadratum vtriusuis laterum ambientium angulum, à quo perpendicularis demissa est, & summam quadratorum ex reliquis duobus lateribus descriptorum, diuidatur per latus, in quod perpendicularis cadit, producetur segmentum basis prope angulum, quem continent latera, quorum summa quadratorum accepta fuit: Hoc autem segmentum ex eadem base detractum relinquet alterum segmentum. Praxis.

CADENTE vero perpendiculari extra triangulum; Si semissis differentiæ inter quadratum lateris angulo obtuso oppositi, & summam qua-

quadratorum ex reliquis duobus lateribus descriptorum, diuidatur per latus, in quod productum perpendicularis cadit, procreabitur linea extra triangulum inter perpendicularem, & angulum obtusum: Hæc vero addita basi constituet alteram rectam inter perpendicularem, & angulum acutum basis.

PROBL. 6. PROPOS. 10.

In triangulo non rectãgulo ex angulis notis, vel ex proportionib⁹ angulorum notis, vna cũ vno latere, reliqua inuestigãtur.

DATIS omnibus angulis trianguli non rectanguli, vel datis eorum proportionibus, vna cũ vno latere; reliqua duo latera cognoscere, & quorumlibet duorum proportionem facere notam.

IN triangulo A B C, sint primum omnes anguli acuti, & dati; A, grad. 75. Min. 45. B, grad. 67. Min. 23. C, grad. 36. Min. 52. Datum quoq; sit latus A B, 13. Oportet ex his reliqua duo latera inuenire. Quoniam est, vt sinus anguli C, ad sinum anguli A, ita latus A B, datum ad latus B C: si fiat, vt sinus anguli C, nempe 59996. ad 96923. sinum anguli A, ita latus A B, datũ 13. ad aliud, inuenietur latus B C, 21. ferè, vt hic apparet.

5. huius.



C.	A.	A B.		B C.	
59996.	96923.	13?	fit	21.	ferè.

Item quia est, vt sinus anguli C, ad sinum anguli B, ita latus A B, datum ad latus A C: si fiat, vt 59996. sinus anguli C, ad 92310. sinum anguli B, ita latus A B, datum 13. ad aliud, inuenietur latus A C, fere 20. vt hic vides.

C.	B.	A B.		A C.	
59996.	92310.	13?	fit	20.	ferè.

1. huius.

Vel quia est, vt sinus anguli A, ad sinum anguli B, ita latus B C, inuentum ad latus A C: si fiat, vt 96923. sinus anguli A, ad 92310. sinum anguli B, ita latus B C, inuentum 21. ad aliud, reperietur latus A C, fere 20. vt hic cernis.

A.	B.	B C.		A C.	
96923.	92310.	21?	fit	20.	ferè.

SIT deinde angulus B, obtusus grad. 112. Min. 37. A, grad. 30. Min. 31. C, grad. 36. Min 52. & rursum latus A B, 13. Quoniam idem est sinus anguli B, qui eius complementi grad. 67. Min. 23. vt in tractatione sinuum demonstrauimus, inuenietur ratione iam exposita latus B C, 11. & A C, 20. fermè. vt hic liquido constat.

A. C.

C.	A.	AB.		BC.	
59996.	50779.	13?	fit	11.	ferè.

Item.

C.	B.	AB.		AC.	
59996.	92310.	13?	fit	20.	ferè.

Vel.

A.	B.	BC.		AC.	
50779.	92310.	11?	fit	20.	ferè.

ITAQVE, datis angulis omnibus, cum vno latere; Si fiat, vt sinus anguli lateri dato oppositi ad sinum vtriusuis reliquorum angulorum, ita latus datum ad aliud, inuenietur latus angulo illi, cuius sinus acceptus est, oppositum: Et si rursus fiat, vt sinus anguli lateri dato oppositi ad sinum tertij anguli, ita datum latus ad aliud, reperietur latus tertio angulo oppositum, &c. Praxis.

QVOD si triangulum fuerit Isosceles, & dentur anguli: Vel si fuerit scalenum, & duo dentur latera cum angulis, vnius tantum lateris inuentione opus est, vt patet. In æquilatero autem triangulo, si detur vnum latus, erunt & reliqua data, vtpote illi æqualia.

Quãdo triãgulũ est Isosceles, vel ęquilaterũ: aut quãdo in scaleno dãtur duo latera cum angulis.

IAM verò si datæ sint proportiones angulorum, cum vno latere, inuestigandæ erunt ex illis proportionibus magnitudines angulorum, vt in scholio propos. 1. demonstrauimus: Deinde vero reliqua latera exploranda, vt hic ostensum est.

Quãdo dãtur proportiones angulorũ, cũ vno latere.

INVENTIS autem lateribus, liquido constat, eorum proportiones esse notas in numeris, in quibus ipsa cognita sunt. Datis ergo omnibus angulis trianguli non rectanguli, &c. Quod erat faciendum.

PROBL. 7. PROPOS. 11.

DATIS omnibus trianguli non rectanguli lateribus, vel eorum proportionibus, omnes angulos notos efficere.

In triãgulo ex notis lateribus, vel ex eorũ proportionib' notis, anguli inueniũtur.





IN triangulo priori ABC, sint data omnia latera; AB, 13. AC, 20. & BC, 21. Oportet ex his inuestigare angulos. In maximum latus BC, ex opposito angulo A, ducatur perpendicularis AD, quę necessario intra triangulum cadet. Cum enim latus BC, sit maximum, erit & angulus A, ipsi oppositus, maximus: ac propterea vterq; B, C, acutus. Ex quo fit, perpendicularem AD, intra triangulum cadere. Primùm itaq; inquirantur rectæ BD, CD. Inuenietur BD, 5. & CD, 16. Quia ergo, posito sinu toto AB, recta BD, sinus est anguli BAD, vt in tractatione sinuum ostendimus, dicemus per auream regulam. Si AB,

19. primi. 17. primi. Scholium 13. secundi. 9. huius.

13. dat A B, ſinum totum partium 100000. quid dabit B D, 5? inueniemusq; ſinum B D, 38461. vt hic vides.

A B.	A B.	B D.		B D.
13.	100000.	5?	fit.	38461.



Ex tabula ergo ſinuum dabitur angulus B A D, grad. 22. Min. 37. atq; adeo eius complementum B, grad. 67. Min. 23. qui eſt vnus angulorum quæſitorum. Rurſus, quia poſito A C, ſinu toto, C D, ſinus eſt anguli C A D, dicemus iterum per regulam auream. Si A C, 20. dat A C, 100000. ſinum totum, quid dabit C D, 16? Inueniemuſq; ſinum C D, 80000. Vt hic patet.



A C.	A C.	C D.		C D.
20.	100000.	16?	fit	80000.

Qui ſinus in tabula ſinuum monſtrat angulum C A D, grad. 53. Min. 8. ac proinde eius complementum C, erit grad. 36. Min. 52. qui eſt vnus etiam angulorum quæſitorum. Quòd ſi duo anguli duorum ſinuum inuentorum, nempe grad. 22. Min. 37. & grad. 53. Min. 8. ſimul componantur, fiet tertius angulus B A C, grad. 75. Min. 45. Vel certe ſi ſumma duorum angulorum B, C, inuentorum ex grad. 180. auferatur, reliquus fiet tertius angulus B A C, grad. 75. Min. 45.

Praxis. *ITAQVE, (vt totam praxim complectamur) ſi fiat, vt maximum latus (in quod perpendicularis ducta eſt) ad ſummam aliorum duorum, ita differentia eorundem duorum ad aliud, reperietur numerus, qui ex maximo latere ſubductus relinquet numerum, cuius ſemiſſis dabit minus ſegmentum baſis, hoc autem ex baſi detractum relinquet maius ſegmentum, vt conſtat ex ſecunda praxi propoſ. 9. Quòd ſi rurſum fiat, vt minimum latus ad ſinum totum, ita ſegmentum baſis minus ad aliud, inuenietur ſinus, cuius arcus complementum dabit angulum ſupra baſim medio lateri oppoſitum. Deinde ſi rurſum fiat, vt medium latus ad ſinum totum, ita maius ſegmentum baſis ad aliud, reperietur ſinus, cuius arcus complementum dabit angulum ſupra baſim minimo lateri oppoſitum. Tertius vero angulus maximo lateri oppoſitus conſtabitur ex duobus illis arcubus duorum ſinuum inuentorum: vel certè relinquetur poſt detractionem duorum angulorum inuentorum ex duobus rectis.*

RVRSVS in poſteriori triangulo datum ſit latus A B, 11. A C, 13. & B C, 20. Demiſſa in maximum latus B C, perpendiculari A D, inuenietur ſegmentum B D, $8\frac{4}{5}$. at C D, $11\frac{1}{5}$. vt hic apparet ſecundum praxim poſteriorem propoſ. 9.

B C.	A B. A C.	Differ. inter A B, A C.		
20.	24.	2?	fit	$2\frac{2}{5}$.

Hic numerus ex baſe 20. ablatus relinquit $17\frac{3}{5}$. cuius ſemiſsis $8\frac{4}{5}$. dat ſegmentum minus B D. Ergo maius C D, erit $11\frac{1}{5}$. Hinc inuenietur angulus

B, grad.

B, grad. 36. Min. 52. C, grad. 30. Min. 31. & BAC, grad. 112. Min. 37. vt hic vides.

AB.	AB.	BD.		BD.
11.	100000.	$8\frac{4}{5}$?	fit	80000.
		Item.		
AC.	AC.	CD.		CD.
13.	100000.	$11\frac{1}{5}$?	fit	86154.

Complemētum arcus, quem prior ſinus inuentus offert, dat angulum B, grad. 36. Min. 52. At complementum arcus poſterioris ſinus inuenti dat angulum C, grad. 30. Min. 31. &c. Eſt ergo doctrina huius propoſitionis generalis, ſiue angulus maximus A, acutus ſit, vt in priori triangulo, ſiue obtuſus, vt in poſteriori, ſiue deniq; rectus ſit; quamuis in rectangulo triangulo iam ſupra traditum ſit propoſ. 3. quo pacto ex duobus lateribus cognitis facilius anguli duo acuti inueniantur. Generalitas huius propoſ.

IAM ſi dentur laterum proportiones, ſaltem duæ, continuabimus eas in tribus minimis numeris, ſi proportionum numeri minimi non ſint, vt Eucl. docuit propoſ. 4. lib. 8. eosq; numeros lateribus aſcribemus, perinde ac ſi in illis numeris darentur. Vt ſi in priori triangulo proportio AB, ad BC, ſit, quæ 26. ad 42. At AB, ad AC, quæ 39. ad 60. reuocabuntur hæ proportiones ad minimos hoſce numeros 13. 21. & 13. 20. Dabitur ergo AB, 13. AC, 20. & BC, 21. Ex quibus angulos eruemus, vt prius. Quando laterum proportiones datæ ſunt. 35. ſeptimi.

PORRO in Iſoſcele datorum laterum ducenda eſt perpendicularis ad baſim, ſiue ea ſit maximum latus, ſiue minimum: quæ diuidet baſim bifariam. Quare ſi fiat, vt vnum æqualium laterum ad ſinū totum, ita dimidium baſis ad aliud, inuenietur ſinus cuiuſdam arcus, cuius complementum dabit vnum æqualium angulorum ſupra baſim, vt ex demonſtratis liquet. Ergo & alter dabitur: ac proinde & tertius baſi oppoſitus, vtpote reliquus duorū rectorum. Quādo triā gulū eſt Iſoſceles. coroll. 8. huius.

IN æquilatero deniq; triangulo dabuntur anguli, etiamſi latera non dentur, cum quilibet ſit tertia pars duorum rectorum, hoc eſt, contineat grad. 60. Datis igitur omnibus trianguli non rectanguli lateribus, &c. Quod faciendum erat. Quādo triā gulū eſt æquilaterū.

SCHOLIVM.

ETSI *in hac propoſ. præcepimus, perpendicularem ad maximum latus eſſe ducendam ex angulo oppoſito, vt intra triangulum cadat, fiatq; calculus facilior: tamen eadem fere via problema abſoluemus, ſi in triangulo obtuſangulo perpendicularis non ducatur ab obtuſo angulo in maximum latus, ſed ab alterutro acutorum angulorum in latus oppoſitum protractum, ita vt cadat extra triangulum, vt in hoc triangulo* ABC, *manifeſtum eſt, in quo latus* AB, *datur* 22. AC, 31. *&* BC, 14. *Nam ſi fiat, vt* BC, 14. *(in quod latus perpendicularis eſt ducta) ad* 53. *ſummam aliorum laterum* AB, AC, *ita* 9. *differentia eorundem laterum ad aliud, reperietur numerus* $34\frac{1}{14}$. *à quo ſi ſubducatur latus* BC, *remanebit numerus* $20\frac{1}{14}$. *cuius ſemiſsis* $10\frac{1}{28}$. *erit recta* BD, *ac proinde* CD, $24\frac{1}{28}$. *Quam ob rem ſi iam fiat, vt* AB, 22. *ad* AB, *ſinum totum* 100000. *ita* BD, $10\frac{1}{28}$, *ad aliud, inuenietur* BD, *ſinus* 45617. Quādo perpendicūlaris in obtuſāgulo triāgulo cadit extra triangulum.



Sſ 2 cuius

cuius arcus complementum exhibebit angulum A B D, grad. 62. Min. 52. ac propterea reliquum duorum rectorum A B C, grad. 117. Min. 8. Item si fiat, vt A C, 31. ad A C, 100000. sinum totum, ita C D, $24\frac{1}{2}\frac{1}{8}$. ad aliud, reperietur sinus 77534. cuius arcus complementum offeret angulum C, grad. 39. Min. 10. Quòd si duo anguli A B C, & C, ex grad. 180. demantur, relinquetur angulus B A C, grad. 23. Min. 42. Ratio huius operationis colligitur ex tractatione sinuum, vbi ostendimus, si A B, statuatur sinus totus, B D, esse sinum anguli B A D: Item si A C, ponatur sinus totus, C D, esse sinum anguli C A D, &c.

PROBL. 8. PROPOS. 12.

In triãgulo nõ rectãgulo ex duobus lateribus notis, vel ex eorũ proportione nota, cũ angulo ab ipsis comprehenso, tertium latus, & reliqui anguli exquirũt.

DATIS duobus lateribus trianguli non rectanguli, cum angulo ab ipsis comprehenso; vel data proportione duorum laterum angulum datum continentium: tertium latus, & reliquos angulos inuenire.

IN triangulo A B C, data sint primum duo latera A B, A C, illud 3. hoc 5. ambientia angulum A, obtusum, qui datus etiam sit grad. 93. Min. 50. Oportet ex his tertium latus B C, & reliquos angulos B, C, inuestigare. Quoniam datur angulus A, grad. 93. Min. 50. si detrahatur ex grad. 180. hoc est, ex duobus rectis, reliquum erit aggregatum duorum angulorum B, C, grad. 86. Min. 10. Est autem & proportio sinuum angulorum C, B, data, nempe eadem, quæ lateris A B, 3. ad latus A C, 5. propterea quod est, vt latus A B, ad latus A C, ita sinus anguli C, ad sinum anguli B. Quare vterq; angulus C, B, sigillatim cognitus erit, ille grad. 29. Min. 55. hic vero grad. 56. Min. 15. Quia vero latera sunt sinubus angulorum oppositorum proportionalia, erit, vt sinus anguli C, ad sinum anguli A, ita latus A B, ad latus B C: vel vt sinus anguli B, ad sinum anguli A, ita latus A C, ad latus B C. Per auream ergo regulam inuenietur latus B C, ferme 6. vt hic apparet.

1. huius.
6. huius.
1. huius.



C.	A.	A B.		B C.
49874.	99776.	3?	fit	6. ferè
		Vel.		
B.	A.	A C.		B C.
83147.	99776.	5?	fit	6. ferè.

Praxis.

VT ergo totam praxim complectamur: Si (ablato angulo dato ex grad. 180. vt summa aliorum duorum habeatur) fiat, vt semissis summæ duorum laterum datorum, nempe semissis summæ terminorum proportionis sinuum angulorum reliquorum, ad tangentem semissis summæ reliquorum angulorum, ita differentia inter semissem summæ datorum laterum,

hoc

hoc est, terminorum proportionis sinuum angulorum reliquorum, & alterum laterum, siue terminorum proportionis, ad aliud, reperietur tangens anguli, qui cum semisse summæ reliquorum angulorum componet maiorem angulum, qui nimirum maiori lateri dato opponitur: idem verò ex eadem semisse dictæ summæ detractus relinquet angulum minorem minori lateri dato oppositum; vt perspicuum est ex praxi priore propos. 6. Quòd si rursus fiat, vt sinus vtriusuis angulorum inuentorum ad sinum anguli in principio dati, ita latus inuento angulo, qui acceptus fuerit in regula aurea, oppositum ad aliud, inuenietur tertium latus. Et ad maiorem perspicuitatem proponemus aliud exemplum.

SINT in triangulo A B C, data duo latera A B, A C, 22. & 31. vnà cum angulo A, grad. 23. Min. 42. Hic angulus ablatus ex grad. 180. reliqua fiet summa angulorum B, C, grad. 156. Min. 18. Si ergo fiat, vt $26\frac{1}{2}$. semissis laterum A B, A C, id est, terminorum proportionis sinuum angulorum B, C, ad 476595. tangentem semissis summæ angulorum B, C, hoc est, ad tangentem grad. 78. Min. 9. ita $4\frac{1}{2}$. differentia inter semissem summæ laterũ A B, A C, vel terminorũ proportionis sinuũ angulorum B, C, & alterutrũ laterum, seu terminorum, ad aliud, reperietur tangens 80931. cuius arcus grad. 38. Min. 59. additus ad grad. 78. Min. 9. nempe ad semissem summæ angulorum B, C, constituet angulum maiorem B, maiori lateri dato A C, oppositum grad. 117. Min. 8. Idem vero arcus grad. 38. Min. 59. ex eadem semisse summæ angulorum B, C, id est, ex grad. 78. Min. 9. detractus relinquet minorem angulum C, minori lateri dato A B, oppositum grad. 39. Min. 10. Operationem aureæ regulæ hic vides.



$26\frac{1}{2}$.	476595.	$4\frac{1}{2}$?	fit 80931.

Quòd si iam fiat, vt 63158. sinus anguli C, ad 40195. sinum anguli A, ita latus A B, 22. ad aliud: Vel vt 88995. sinus anguli B, ad 40195. sinum anguli A, ita latus A C, 31. ad aliud, inuenietur latus B C, 14. ferè. vt hic cernis.

C.	A.	A B.		B C.
63158.	40195.	22 ?	fit	14 ferè
		Vel.		
B.	A.	A C.		B C.
88995.	40195.	31 ?	fit	14. ferè.

SI vti nolis tangentibus, vsurpanda erit posterior praxis propos. 6. in inuentione angulorum B, C.

IAM si proportio laterum A B, A C, data sit, vna cum angulo A, ab ipsis comprehenso, ascribemus dictis lateribus numeros proportionis, ac si in ipsis data essent, problemaq; absoluemus, vt prius. Quando laterum proportio data est.

HOC etiam problema absolui potest sine auxilio propos. 6. hoc modo. In triangulo A B C, detur latus A B, 29. A C, 24. & angulus A, primùm acutus grad. 38. Min. 16. Ducatur ad maius latus A B, ab angulo opposito C, perpendicularis C D: quæ necessario intra triangulum cadet. Cum enim latus Alia demõstratio problematis sine ppos. 6.

Ss 3 A B,

19. primi. A B, maius sit latere A C, erit & angulus C, angulo B, maior. Quare B, acutus erit. Nam si rectus esset, aut maior, esset C, etiam



17. primi. maior recto. quod est absurdum; quòd B, C, sint minores duobus rectis. Cum ergo & A, ponatur acutus, cadet perpendicularis C D, intra triangulum.
Schol. 13. secundi. In triangulo igitur rectangulo A C D, cum angulus A, sit grad. 38. Min. 16. erit eius complementum A C D, grad. 51. Min. 44.
1. huius. Quare cum sit, vt sinus totus anguli recti D, ad sinum anguli A, ita latus A C, 24. ad latus C D: inuenietur latus C D, per regulã auream, $14\frac{2}{3}\frac{6}{1}\frac{9}{2}\frac{9}{5}$. Vt hic apparet.

D.	A.	A C.		C D.
100000.	61932.	24?	fit	$14\frac{2}{3}\frac{6}{1}\frac{9}{2}\frac{9}{5}$.

1. huius. Eadem ratione, cum sit, vt sinus totus anguli recti D, ad sinum anguli A C D, ita latus A C, 24. ad latus A D: reperietur latus A D, $18\frac{5}{6}\frac{2}{2}\frac{7}{5}\frac{1}{0}$. vt hic vides.

D.	A C D.	A C.		A D.
100000.	78514.	24?	fit	$18\frac{5}{6}\frac{2}{2}\frac{7}{5}\frac{1}{0}$.

Ablata autem A D, inuenta ex A B, data 29. relinquetur B D, $10\frac{9}{6}\frac{7}{2}\frac{9}{5}\frac{}{0}$. Et quia, vt in tractatu tangentium ostendimus, posito sinu toto B D, recta C D, tangens est anguli B, inuenietur C D, tangens 146344. vt hic manifestum est.

B D.	B D.	C D.		C D.
$10\frac{9}{6}\frac{7}{2}\frac{9}{5}\frac{}{0}$.	100000.	$14\frac{2}{3}\frac{6}{1}\frac{9}{2}\frac{9}{5}$?	fit	146344.

Tangens autem 146344. monstrat in tabula tangentium angulum B, grad. 55. Min. 40. ac proinde duo anguli A, B, grad. 38. Min. 16. & grad. 55. Min. 40. ex grad. 180. subducti reliquum facient angulum A C B, grad. 86. Min. 4.
1. huius. Quoniam autem est, vt sinus anguli B, noti ad sinum anguli A, dati, ita latus datum A C, 24. ad latus B C, reperietur latus B C, 18. ferè. vt hic vides.

B.	A.	A C.		B C.
82577.	61932.	24?	fit	18. ferè.

RVRSVS in triangulo A B C, datum sit latus A B, 13. A C, 11. & angulus A, ab ipsis comprehensus obtusus, & datus grad. 112. Min. 37. Ducatur ex alterutro angulorum acutorum, vt ex B,



Schol. 12. secundi. ad oppositum latus C A, perpendicularis: quæ extra triangulum cadet. Quia igitur angulus B A C, ponitur grad. 112. Min. 37. erit B A D, grad. 67. Min. 23. eiusq; complementum propterea A B D, necessariò grad. 22. Min. 37.
1. huius. Quare cum sit, vt sinus totus anguli recti D, ad sinum anguli B A D, ita latus A B, datum 13. ad latus B D: Item vt sinus totus anguli recti D, ad sinum anguli A B D, ita latus datum A B, 13. ad latus A D; inuenietur B D, quidem 12. at A D, 5. ferè. vt hic apparet.

D.	B A D.	A B.		B D.
100000.	92310.	13?	fit	12. ferè.

Item.

D.	A B D.	A B.		A D.
100000.	38456.	13?	fit	5. ferè.

Addita

Addita autem A D, inuenta 5. ad latus A C, datum 11. fiet tota C D, 16. Cum ergo, posito ſinu toto C D, recta B D, ſit tangens anguli C; reperietur tangens B D, 75000. vt hic cernis.

C D.	C D.	B D.		B D.
16.	100000.	12?	fit	75000.

Quæ tangens offeret in tangentium tabula angulum C, grad. 36. Min. 52. & proinde duo anguli A, C, grad. 112. Min. 36. & grad. 36. Min. 52. ex grad. 180. ablati relinquent angulum A B C, grad. 30. Min. 31. Quoniam tandem eſt, vt ſinus anguli C, cogniti ad ſinum anguli B A C, dati, ita latus A B, 13. datum ad B C, inuenietur latus B C, 20. ferè. vt hic apparet. 1. huius.

C.	B A C.	A B.		B C.
59996.	92310.	13?	fit	20. ferè.

Verum, vt vides, prior ratio multò eſt breuior, & expeditior.

Quãdo data latera sũt æqualia.

QVOD ſi quando data duo latera datum angulum ambientia fuerint æqualia, facilius erit problema. Sint namq; in triangulo A B C, duo latera A B, A C, æqualia, quodlibet 9. & angulus A, comprehenſus grad. 80. Ablato hoc angulo ex grad. 180. dabit ſemiſsis reſidui, quod eſt grad. 100. vtrumque angulorum B, C, grad. 50. Si autem fiat, vt ſinus anguli B, vel C, ad ſinum anguli A, ita latus A C, vel A B, ad aliud, prodibit latus B C, $11\frac{4}{7}\frac{3}{6}\frac{6}{6}\frac{8}{0}\frac{5}{4}$. vt hic vides.



B, vel C.	A.	A B, vel A C.		B C.
76604.	98481.	9?	fit	$11\frac{4}{7}\frac{3}{6}\frac{6}{6}\frac{8}{0}\frac{5}{4}$.

Datis ergo duobus lateribus trianguli non rectanguli, cum angulo ab ipſis comprehenſo, &c. Quod erat faciendum.

PROBL. 9. PROPOS. 13.

In triãgulo non rectangulo ex datis duobus laterib⁹ datis, vel ex eorũ proportione data, cũ vno angulo nõ ab ipſis cõprehenſo, tertium latus, & reliqui anguli inueſtigãtur.

DATIS duobus lateribus trianguli non rectanguli, vel eorum proportione data, vnà cum angulo, qui alteri datorum laterum opponitur: reliquos angulos, & tertium latus inquirere. Oportet autem conſtare, num alter angulus reliquo lateri dato oppoſitus ſit acutus, an obtuſus, ſi datus angulus acutus eſt.

SINT in triangulo A B C, data duo latera A B, A C. 13. & 20. datusq; ſit acutus angulus C, grad. 36. Min. 52. lateri dato A B, oppoſitus, conſtetque de angulo B, qui alteri dato lateri A C, opponitur, num acutus ſit, an obtuſus: alias enim nihil certi colligi poſſet, vt ex ſequenti ſcholio patebit. Quoniam ergo eſt, vt latus A B, ad latus A C, ita ſinus anguli C, ad ſinum anguli B; ſuntque tria prima data, inuenietur per auream regulam quartum, hoc eſt, ſinus anguli B, 92302. vt hic liquet. 1. huius.

A B.

AB.	AC.	C.		B.
13.	20.	59996$\frac{2}{3}$	fit	92302.

Qui sinus in tabula sinuum exhibet angulum B, ferè grad. 67. Min. 23. si acutus fuerit, vt in priori triangulo: si autem obtusus, vt in triangulo posteriori, grad. 112. Min. 37. vtpote qui cum illo semicirculum compleat; cum obtusus, & acutus conficientes grad. 180. eundem sinum habeant, vt ad definitiones sinuum demōstrauimus. Ablatis autem duobus angulis C, B, ex grad. 180. relinquetur in priori triangulo angulus A, grad. 75. Min. 45. In posteriori vero grad. 30. Min. 31. Latus autem B C, inuenietur, per auream regulam, partium ferè 21. in priori triangulo; in posteriori autem



8. huius. ferè 11. quòd sit, vt sinus anguli C, ad sinum anguli A, ita latus A B, ad latus B C. vt in hac operatione apparet.

C.	A.	A B.		BC.
59996.	96923.	13$\frac{2}{3}$	fit	21. ferè.

Item

C.	A.	A B.		BC.
59996.	50779.	13$\frac{2}{3}$	fit	11. ferè.

Praxis. *ITAQVE, si fiat, vt latus datum dato angulo oppositum ad alterum latus datum, ita sinus dati anguli ad aliud, reperietur sinus, cuius arcus dabit angulum alteri lateri dato oppositum, si acutus fuerit, (quod quidem semper contingit, quando datus angulus est obtusus) aut certe ex semicirculo sublatus dabit illum angulum, si obtusus fuerit: Summa vero ex dato angulo, & inuento angulo conflata ex grad. 180. subducta exhibebit tertium angulum. Si deniq; fiat, vt sinus anguli dati ad sinum tertij anguli à datis lateribus comprehensi, qui vltimo inuentus est, ita latus datum dato angulo oppositum ad aliud, producetur tertium latus.*

Quādo proportio duorum laterū datur.



QVOD si detur duorum laterum proportio, si lateribus illis numeri proportionis ascribantur, eodem modo problema exequemur.

ALITER. Dentur rursum duo latera A B, 13. & A C, 20. vnà cum angulo C, acuto grad. 36 Min. 52. sitq; primum alter angulus B, acutus etiam, vt in priori triangulo. Ducta ex A, ad B C, perpendiculari A D, quæ intra triangulum cadet: quoniam in triāgulo rectangulo A C D, posito sinu toto AC, recta A D, sinus est anguli dati C, vt in tractatu sinuum docuimus; si fiat, vt A C, sinus totus ad A C, latus datum, ita A D, sinus dati anguli C, ad aliud, reperietur A D, 12. ferè, vt hic vides.

Schol. 15. secundi.

AC.

A C.	A C.	A D.	A D.
100000.	20.	59996? fit	12. ferè.

Rursus, quia posito sinu toto A B, recta A D, est sinus anguli B, vt in sinubus traditum est; si fiat, vt A B, latus datum ad sinum totum, ita A D, iam inuenta ad aliud, inuenietur sinus A D, 92308. vt hic apparet.

A B.	A B.	A D.	fit.	A D.
13.	100000.	12?		92308.

Ex tabula ergo sinuum dabitur angulus B, grad. 67. Min. 23. ac proinde B A C, reliquus duorum rectorum, grad. 75. Min. 45. Quoniam vero est, vt sinus anguli dati C, ad sinum anguli A, inuenti, ita latus A B, ad latus B C, inuenietur latus B C, 21. ferme: vt hic cernis. 1.huius.

C.	B A C.	A B.		B C.
59996.	96923.	13?	fit	21. ferè.

DEINDE, iisdem positis, sit alter angulus B, obtusus, vt in posteriori triangulo. Ducta ex A, ad B C, perpendiculari A D, quæ extra triangulum cadet: quoniam in triangulo rectangulo A C D, posito sinu toto A C, recta A D, sinus est anguli C, vt dictum est in tractatione sinuum; si fiat, vt sinus totus ad datum latus A C, ita sinus dati anguli C, ad aliud, inuenietur A D, ferme 12. vt hic apparet. Schol. 13. secundi.

A C.	A C.	A D.		A D.
100000.	20.	59996?	fit	12. ferè.

Rursus, quia posito sinu toto A B, recta A D, sinus est anguli A B D, vt in defin. sinuum explicauimus; Si fiat, vt latus datum ad sinum totum, ita A D, proxime inuenta ad aliud, reperietur sinus A D, 92308. vt hic vides.

A B.	A B.	A D.		A D.
13.	100000.	12?	fit	92308.

Qui sinus exhibet in tabula sinuum angulũ A B D, grad. 67. Min. 23. ac proinde reliquum duorum rectorum A B C, grad. 11. Min. 37. Ablatis autem duobus angulis C, & ABC, notis ex grad. 180. remanebit angulus B A C, grad. 30. Min. 31. Hinc, quoniam est, vt sinus anguli C, dati ad sinum anguli A, inuenti, ita latus A B, datum ad latus B C, inuenietur latus B C, fere 11. vt hic manifestum est. 1.huius.

C.	A.	A B.		B C.
59996.	50779.	13?	fit	11. ferè.

POSTREMO, datis iisdem lateribus, detur angulus obtusus A B C, grad. 112. Min. 37. vt in posteriori triangulo, factaque eadem constructione; quoniam posito sinu toto A B, recta A D, sinus est anguli A B D, hoc est, anguli dati A B C, inuenietur rursum A D, 12. ferè, vt hic cernis.

A B.	A B.	A D.		A D.
100000.	13.	92308?	fit	12. ferè.

Rursũs, quia posito sinu toto A C, recta A D, sinus est anguli C, reperietur sinus A D, 60000. Vt hic apparet.

A C.

AC.	AC.	AD.		AD.
20.	100000.	12?	fit	60000.

Est ergo angulus C, grad. 36. Min. 52. & proinde reliquus duorum rectorum BAC, grad. 30. Min. 31. Latus BC, inuenietur 11. vt prius. Igitur, Datis duobus lateribus trianguli non rectanguli, &c. Quod faciendum erat.

SCHOLIVM.

Quãdo datus angulus est acutus, cur cõstare debeat, num alter angulus sit acutus, vel obtusus.

QVOD autem nihil certi colligi posit, quando datus angulus vni datorum laterum oppositus acutus est, nisi prius cognitum sit, num angulus alteri dato lateri oppositus sit acutus, obtususue, vt in propos. diximus, ita perspicuum faciemus. Sint in triangulo ABC, *data latera* AB, AC, *vna cum angulo acuto* B. *Ducta ex* A, *ad* BC, *perpendiculari* AD, *ignorabitur, num ea cadat extra triangulum, an intra, nisi sciatur, angulum alterum* ACB, *esse obtusum, acutumue. Sumpta quoque recta* DE, *ex altera parte perpendicularis* AD, *ipsi* DC, *æqualis, ductaq́; recta* AE; *erit* AE, *ipsi* AC, *æqualis: propterea quòd latera* DC, DA, *lateribus* DE, DA, *æqualia sunt, angulosq́; comprehendunt æquales, vtpote rectos.* (4. primi.) *Itaque etiamsi nota sint latera* AB, AC, *vel* AB, AE, *& angulus acutus* B, *non tamen idcirco reliquum latus notum erit, aut reliqui anguli; cum reliquum latus posit esse vel* BC, *vel* BE; *ac propterea reliqui anguli vel* BCA, BAC, *vel* BEA, BAE: *nisi prius constet, angulum* BCA, *obtusum esse, vel acutum.* Hoc enim cognito, *sciemus, quando perpendicularis* AD, *extra triangulum cadit, & quando intra; &c.*



Error Nicolai Copernici,

EX *quibus constat, Nicolaum Copernicum, alioquin diligentissimum, hallucinatum fuisse lib.1. Reuolutionum propos.6. triangulorum rectilineorum, dum simpliciter proponit: Si duo latera trianguli data sint, & angulus vni eorum oppositus datus etiam, reliquum latus, & reliquos angulos dari posse. Hoc etenim fieri non potest, vt demonstrauimus, quando datus angulus est acutus, nisi constet, num angulus alteri laterum datorum oppositus sit acutus, an obtusus.*

FINIS TRIANGVLORVM RECTILINEORVM.

Si aliquis angulus in circulo aeb dividatur bifariam linea et a puncto divisionis descendat linea ad diametrum producta cd erit linea intercepta semicirculo et linea ducta ed equalis linee ea determinanti angulum integrum. sunt enim triangula eac cbd equiangula cum angulus d sit equalis angulo bed hoc est lea latera cum cb cd lateribus ec ac equalia

Pro propositione 12 triangulorum rectangulorum 3

In quolibet triangulo plano, et summa duorum laterum ad diferentiam eorumdem; sic tangens semisis summæ angulorum ad tangentem semisis diferentiæ eorum



de parallela ba

Producatur bc ita ut cg æqualis sit ca fiat que cf æqualis bc ductaque ce perpendiculari ad ag hanc bifariam dividet in e exitque bg summa laterum bc, ca fiatque æqualis de em ducatur que cm. eruntque æquales in linea ag partes ad di mg additaque communi im æquales erunt gi dm igitur erit ut bg suma laterum ad fg dif. laterum ita ag ad ig hoc est ad dm hoc est ut ae semisis ag. ad de semisis dm sed ae est tangens semisis sumæ angulorum cum acg sit summa angulorum ba, et de tangens semisis dif. angulorum ba cum angulus acd diferat ab angulo dcg in angulo dcm cuius semis cde

&c.

Si angul. dab in portione qualibet circuli dividatur bifarie linea ac cui fiat equalis linea ce a puncto d usque finem portionis lineq (ae hoc est cordq dictq portioni circuli productq) erit equalis lineq ab determinanti totum angulum

Demonstratio

Quia linea ac est equalis lineq ce ex hypotesi erit in triangulo ace angulus cae = ang. cea sed ang. cae est = angulo bac (quod utrumque est dimidium ang. bad) ergo ang bac est = ang ced. sed in quadrilat. nunc bacd ang. oppositi ~~…~~ abc cda sunt equales 2 rectis et similiter anguli eda cde sunt = duobus rectis ergo ang abc est = angulo cde ergo reliquus ang. bca in triangulo abc est = reliquo ango in triangulo cde nimirum ang. dce sed in triang. abc lineq ac bc sunt etiam equales lineis dc ce trianguli cde. ergo linea ba est = lineq de. quod est propositum.

CHRISTOPHORI
CLAVII BAMBERGENSIS
E SOCIETATE
IESV

TRIANGVLA
SPHÆRICA.

CHRISTOPHORI CLAVII BAMBERGENSIS E SOCIETATE IESV

TRIANGVLA SPHÆRICA.

PRÆFATIO.

EXPLICATIS ijs, quæ ad triangulorum rectilineorum ſcientiam, qua ex angulis notis latera, & viciſſim ex notis lateribus anguli cognoſcũtur, neceſſaria eſſe duximus; reliquum eſt, vt ſphæricorum etiam triangulorum doctrinam, qua arcus ex cognitis angulis, et contra, anguli ex arcubus notis inquiruntur, tradamus. Quamuis enim Menelaus, qui etiam Mileus, nobilis ſcriptor, qui temporibus Traiani Imperatoris floruit, vt auctor eſt Ptolemæus, Lib. 7. Almag. cap. 3. acutiſſimos tres libros de triãgulis ſphæricis compoſuerit, non tamen eius ordinem nos in hiſce noſtris ſphæricis triangulis ſequemur; propterea quòd & plurimas eius propoſitiones, licet iucundiſſimæ ſint, miráq; eruditione refertæ, tãquam *non neceſſarias reiecimus, & alias non paucas ab eo omiſſas ex Gebro Hiſpalenſi, Ioanne Regiom. Franciſco Maurolyco, & ex alijs adiecimus, quas omnino neceſſarias eſſe iudicauimus ad res Aſtronomicas intelligendas: Plerunq; etiam nouas demonſtrationes, easq; breuiores, ac faciliores adhibuimus, nonnullas item eodem modo demõſtrauimus, quo eædem de angulis, & triangulis rectilineis demonſtratæ ſunt ab Euclide, vt planior fieret earum demonſtratio: ex quarum numero ſunt propoſ. 5. 6. 7. 8. & 9. Non parum tamen operæ in eo poſuimus, vt omnes propoſitiones triangulorum ſphæricorum ita in ordinem redigeremus, vt poſteriores ex prioribus penderẽt, quemadmodum res Mathematicæ poſtulant, & in omnibus elementis Geometricis fieri conſueuit. Sed iam ad rem veniamus, exordio ſumpto à definitionibus.*

DEFINITIONES.

I.

Angulus ſphæricus quid.

ANGVLVS ſphæricus eſt, quem in ſphærę ſuperficie duo arcus circulorum maximorum ſeſe mutuo ſecantes continent.

QVONIAM *angulus ſphæricus, qui à* Geometris *in ſphærica ſuperficie conſideratur, ab arcubus maximorum circulorum tantummodo conſtituitur, omnes au-*

tem

tem circuli maximi in sphæra se mutuo secant bifariam, fit, vt duo arcus angulum sphæricum in superficie sphæræ continētes, si producantur, se mutuo secent, non autem se mutuo contingant: Ita vt omnis angulus sphæricus fiat ex duobus arcubus sese intersecantibus in superficie sphæræ, non autem ex arcubus se mutuo tangentibus. Id quod de angulis in planæ superficie existentibus dici non potest. In hac enim non solum duæ lineæ rectæ, vel curuæ, vel quarum vna recta est, & altera curua, se mutuo secantes, si producantur, angulum planum constituunt, verum etiam duæ lineæ, quarum vtraque vel curua est, vel vna curua, & altera recta, sese tangentes tantummodo, angulum planum curuilineum, vel mixtum (qui quidem angulus contactus, vel contingentiæ à Geometris vocatur,) constituere possunt, vt ex propos. 16. lib. 3. Eucl. perspicuum est: licet Iacobus Peletarius neget eum esse angulum, coneturq; illud multis rationibus confirmare, quæ omnes sophisticæ sunt, & friuolæ, vt ex solutionibus illarum, quas in scholio dictæ propos. adduximus, perspicuū est. Neque vero Peletarius in Apologia de contactu linearū, quam anno 1579. in me conscripsit, (quàm modeste, & syncere, ipse viderit.) ausus est solutiones meas impugnare, aut opinionē suam, nouam illam quidem, & inauditam, nouis rationibus (scilicet nullas habebat) confirmare: sed verbis duntaxat, & conuitijs se defendere conatur, vt facile ij, qui eam perlegerint, iudicabunt.

11.1. Theod. Angulus sphæricus necessario fit ex duobus arcub⁹ se mutuo secantibus. Angulus planus fieri etiam potest ex duabus lineis se non secantibus, sed tāgentibus se mutuo dūtaxat.

HVIC ego Apologiæ iam pridem non tam mei purgandi, quam veritatis tuendę gratia respondissem, nisi me ab hoc consilio grauissima eruditissimorum hominum auctoritas, qui eam responso omnino indignam iudicabant, reuocasset. Nunc vero quoniam de re ipsa, eiusq; Apologia necessario mentio facta est, non alienum esse duxi, breuiter calumnias, atq; iniurias, quibus frequenter me in ea Apologia afficit, quanta potero modestia, depellere, vt benignus lector intelligat, sine causa eum tanto animi dolore, & iracundia, quantam præ se fert, contra me exarsisse, falsoq; mihi imposuisse multa: me autem è contrario nullum verbum iniuriosum in illum effudisse, aut conuitium, quod frustra in epistola nuncupatoria criminatur, vbi me à conuitijs non abstinere, aperte testatur. Atq; in illa Apologia nihil adeo me offendit, quàm quòd me Peletarius non syncere, sed animose, atq; adeo inuidiose fecisse insimulat, vt eum in meis commentarijs vel reprehenderem, vel laudarem: quæ sane vitia pusilli semper animi esse duxi, & ab homine liberaliter, christianeq; educato alienissima. Verum ea quàm longe absint tum à nostræ Societatis disciplina, tum à mea consuetudine, nemo omnino, qui nos ac nostra norit, ignorat. His vero, qui nostra minime norunt, liber ipse fidem faciet, syncere omnia dici, nihil inuidiose, nihil animose: planè vt veritatem quæsitam, non cuiusq; auctoritatem contemptam esse appareat. Neq; enim mihi tantum derogo, (etsi nihil arrogo) vt mihi vni interdictum putem, ne, si quid in alienis scriptis falsum videatur, occasione oblata, cur id mihi minus probetur, ostendam; modo (quod pudentium, ac bene moratorum hominum consuetudo postulat) id sine conuitio, atq; irrisione faciam: Hoc autem liber ipse, qui in medio est, ita à me factum esse clamat. Etenim vt totum illum librum peruolutes, ne verbum quidem vnum reperias, quod vel speciem maledicti habeat, atq; conuitij. Nam in scholio de angulo contactus

Digressio cōtra Apologiam Peletarij in auctorem scriptam.

tactus iurare liquido possem, nihil me minus cogitasse, quàm vt Peletarium obtrectandi animo oppugnarem; sed illud habuisse propositum, (si modo consequi possem) vt suus esset veritati locus. Quod quidem eò liberius feci, quòd Peletario ipso non modo inuito, sed etiam libenti existimaui me esse facturum, quod vel ipso auctore facerem: qui non à Cardano solum, atque Campano, sed etiam à Proclo, Theone, Apollonio, Eratosthene, Pappo, Ptolemæo, Hippocrate Chio, Geometriæ luminibus, ab ipso deniq; omnium magistro Euclide dissentire non dubitauit. Nimirum quia, vt ab eodem in Apologia vere dictum est, in omni doctrina, præsertim verò in Geometria, non auctoritas est spectanda, sed veritas: quanquam non video, qui amicus veritatis sit is, apud quem veritas odium parit; nisi forte aut decipi se non posse arbitratur, qui columina illa Geometriæ errasse interdum prædicat, aut veritatem in alienis rebus amat, ac quærit potius, quàm in suis. Equidem si quis me in re quapiam (quod pro humani ingenij imbecillitate fieri posse video) errasse ostenderit, næ ego maximam illi gratiam habuero, qui errantem in viam veritatis reduxerit. At enim probat studium veritatis Peletarius, conuitia ferre non potest: quæ tandem conuitia? rogas? Demonstrationes meas appellas sophismata. Nunc demum, quæ conuitia dicat, intelligo. Nam alia nulla in meo libro esse certò scio: ab his (si conuitia sunt) fateor me non abstinere. At ego homo simplex, & ignarus verborum, conuitia esse nunquam duxi, cum vere dicerentur. Neq; enim, quo alio vocabulo demonstrationes plane fallaces, & adulterinas appellarem, habebam: neq; vero philosophorum, ac Mathematicorum consuetudo loquendi magis appositum mihi verbum snppeditabat. Accedit, quòd cum à Peletario, homine in loquendo consideratissimo, germanas Campani, Cardanique demonstrationes paralogismos appellari viderem, existimaui in falsis eius demonstrationibus refellendis impunius persimili me vocabulo vsurum. Quòd si sophisma contumeliosius verbum est, quam paralogismus, in Gallia, ignoscat consuetudinis eius ignaro, atq; existimet, me paralogismos dicere voluisse. Atq; vt plane intelligat Peletarius, me non contradicendi studio illa scripsisse, mecum vnà consideret, quantam mihi materiam sui refellendi dederit, si hominem refellere potius, quam rem, quæ tum agebatur, explanare in animo fuisset: quanquam occasionē eius reprehendendi in sinum delatam sæpius omisi, ne illum mihi delegisse viderer, in quem potissimum incurrerem. Quàm præclara enim occasio fuit in propos. 4. & 8. lib. 1. atq; in propos. 24. lib. 3. quam ipse 23. facit? In his enim omnibus reijcit demonstrationes antiquissimas Euclidis, tanquam non Geometricas; quippe in quibus figuram vnam alteri superponi concipere animo oporteat: quod ipse a Geometriæ dignitate putat esse alienum, hac solum inductus ratione, quòd superpositionem illam mechanicum quid esse arbitretur, & quòd omnes fere propositiones hoc modo, vt ait, possint demonstrari, etiam problemata, in quibus aliquid proponitur construendum: atq; in huius rei exemplum adducit propos. 2. & 3.
lib.

lib. 1. quæ problemata sunt. Hic certe Peletarium iure carpere potuissem, si id mihi fuisset propositum, vt falso criminatur; maxime in eo, quòd eadem ratione vsui fore existimauit superpositionem in demostrãdis problematibus, ac theorematibus. Nam non satis intellexisse videtur, quo pacto Geometræ superpositionem illam vsurpent. Neq; enim volunt, re ipsa faciendam esse figurarum superpositionem, (hoc enim mechanicum quid esset) sed cogitatione tantum, ac mente, quod opus est rationis atq; intellectus. Itaque in theorematibus quidem locum habebit genus hoc argumentandi, in problematibus vero non. Namq; in theorematibus, propter magnitudinum æqualitatem, inæqualitatemve, quæ, vt nota, ponitur, facile intellectus cuiusuis sine vlla hęsitatione comprehendit, vnam vel non excedere alteram, vel excedere, si animo concipiatur vna alteri esse superposita, quamuis re ipsa non fiat illa superpositio, vt in propos. 4. lib. 1. factum est: At in problematibus, in quibus magnitudinẽ quis alteri æqualem construere iubetur, licet mente cogitet magnitudinem propositam ttansferri in alium locum, non tamen propterea quicquam efficiet, cum re ipsa translatio nulla facta sit: Vt mirum sit, Peletarium sibi persuadere potuisse, propos. 2. & 3. lib. 1. & alias pene omnes per superpositionem, siue translationem linearum, figurarumve posse demonstrari, si hoc modo argumentandi in Geometria vti liceret. Et certe hac in re non solum Euclidem in crimen vocat Peletarius, verum etiam Archimedem, quo, omnium iudicio, acutior in demonstrando, & subtilior fuit nemo, eiusque commentatorem grauissimum, eumque doctissimum Eutocium Ascalonitam, qui eodem argumentandi genere vtuntur in æqueponderantibus, immo vero & omnes Geometras redarguat necesse est, qui non raro hoc argumenti genus adhibent. Sed videamus, quò tandem egregius hic noster Geometra, qui omnes alios Geometras reprehendit, sit deuolutus. Viderat Peletarius, (neq; enim rem adeo manifestam videre non poterat) si hunc modum argumentandi è medio tollat, vniuersam se Geometriam funditus euertere, cum plurimæ, eæque præcipuæ propositiones in Geometria demonstrentur ex propos. 4. & 8. lib. 1. & ex 24. lib. 3. quæ quidem alio modo demonstrari nequeunt, quam per dictam figurarum superpositionem, non quidem re ipsa existentem, sed cogitatione duntaxat, vt dixi, comprehensam. Quò igitur se verteret? quid ageret? Excogitauit sane rem magis à Geometria alienam, quam est superpositio illa figurarum. Coactus enim est afferere, propositionem 4. lib. 1. esse definitionem angulorum ęqualium, (& quis vnquam talem audiuit definitionem?) atq; adeo concedendam eam esse sine demonstratione: propositionem vero 8. eiusdem lib. principium esse per se quoq; notum. Quod vt credibile magis efficiat, ita scribit in propositionem 4. lib. 1. [*Etenim nulla euidentiori specie æqualitas figurarum dignoscitur, quam ex laterum æqualitate.*] Idemque quasi confirmat, & repetit in propositionem 8. eiusdem lib. dum ita loquitur. [*Quis enim negauerit, duas superficies esse æquales, quarum latera & quantitate, & numero sunt æqualia?*] Hæc Peletarius,

Superpositio figurarum apud Geometras quo modo intelligatur, & cur ea locum habeat in theorematibus, non autem in problematibus.

Absurda sẽtentia Peletarij de propos. 4. & 8. lib. 1. Eucl.

rius, vt dictę propositiones Euclidis sine demonstratione admittantur, cōmētatus est, sed quę omnino falsa sunt: vt magnopere mirandũ sit, potuisse eũ propositiones a Geometria prorsus alienas tam incōsiderate proferre. Scilicet verum est, quod philosophi asserunt; Dato vno absurdo, cætera consequũtur. Assumpserat enim Peletarius propos. 4. & 8. lib. 1. pro principijs: quod quidem falsum est, atq; absurdum. Vnde ad eas absurditates necessario deuenit, quas etiam illi, qui vix adhuc principia Geometriæ attigerunt, vel facile vitare potuissent. Nam quis non videt, Rhombum, & Quadratum, etiamsi latera habeant & quantitate, & numero æqualia, posse tamen inter se valde esse inæqualia? Id quod in Pentagonis quoque æquilateris, & in alijs figuris pluriũ laterum æqualium cerni potest: quod non est huius loci pluribus verbis explicare. Cum ergo in omnibus figuris multilateris inæqualitas reperiatur, licet latera habeant & quantitate, & numero æqualia, demonstrandum fuit necessario Euclidi, æqualitatem triangulorum colligi ex laterum ęqualitate, quandoquidem in alijs figuris ea non colligitur. Quare neq; propositio 4. Definitio, neq; propositio 8. principium erit; ac proinde omnes propositiones, quæ illis nituntur, quæ innumerabiles propemodum sunt, corruant necesse est, nisi demonstrationes Euclidis recipiãtur in illis propositionibus, cum alio modo demonstrari non possint. Demonstratio enim noua propos. 4. quam Peletarius confinxit, nihil aliud est, quam (vt cum Logicis loquamur) petitio principij. Id quod perspicuum erit cuilibet, qui eam diligentius considerare voluerit. Nam in ea solum cōstruitur vnum triangulum posteriori ex duobus datis æquale, immo idem, atq; hoc ipsum quidem ineptissime, cum ad id præstandum circulos describat Peletarius, quibus tamen in demonstratione non vtitur, quod vitiosum omnino est in Geometria: Deinde infert, triangulum hoc constructum, quod a posteriori ex duobus propositis non differt, priori esse æquale, sine vlla demonstratione; certum autem est, hoc ab initio propositum fuisse, vt demonstretur. Quocirca manifeste principium petit, cum eadem facilitate statim in principio concludere potuisset, etiamsi nullam adhibuisset constructionem, triangula proposita esse æqualia; quippe cum constructio illa ad rem non faciat. Idem dico de demonstratione propos. 24. lib. 3. quam etiam nouam confinxit: quod eorum iudicio, ad quorum manus eius commentarij peruenerunt, relinquo. Prætereo alia loca innumerabilia, in quibus abutitur propositionibus Euclidis in demonstrando, vt quòd plerunq; secundam propos. lib. 1. inscite pro tertia assumat, &c. Neq; enim mihi in animo nunc est, eius commentarios examinare, sed solum calumnias, quas frequentes in sua Apologia adhibuit, a me depellere. Quæ cum ita sint, quod ille falsò de me, verè ego de illo dicere possem, rubere me, (vt eius verbis vtar) Euclidi interpretem contigisse, qui nō iam Theonem, aut Campanũ emēdet, sed ipsum Euclidem sine causa reprehendat; quippe cum ego Euclidem (vti par est) a calumnijs ipsius defendam, omnesque insidias, ac fallacias, quas contra eum instruxerat, detegam ac refellam. Liquet igitur, me ea

Petitur principiũ à Peletario in propos. 4. lib. 1. Eucl.

mente non fuiſſe, vt Peletarium redarguerem, cum tot ac tantos errores diſsimulauerim: quos ego ne nunc quidem in lucem protuliſſem, niſi vellem omnes & intelligere, quantum Peletarius a me, de quo tam acerbe queritur, tum beneficium acceperit, & ex breui hac diſputatione fructus aliquid, vtilitatiſque percipere. Nunc vt, quam diſpari ille animo in me fuerit, appareat, eius calumnias breuiter exponam, atq; ita refellam ac diluam, vt omnes oculis videant, eas eſſe calumnias: In quo tamen eiuſmodi a me moderatio adhibebitur, vt modeſtiæ, quæ hominem religioſum decet, minime obliuiſcar. Neq; enim illi, vti prouocauit, reſpōdebo.

PRIMVM itaq; mihi obijcit Peletarius, quòd in eius demonſtrationibus citandis ita me geſſerim, vt ſi quo modo nomen ipſius ſupprimere potuiſſem, id me oſtendam libenter fuiſſe facturum. Quod quam ſit falſum, facile iudicabunt ij, qui meos commentarios legerint; cum vbiq; eum honorifice appellem, eique plurimas demonſtrationes aſcribam, tanquam proprias, quas tamen aliter, quam ipſe, & multo breuius demonſtro, & interdum etiā (quod maius eſt) vniuerſalius, vt liquido conſtat ex ijs, quæ tum ad propoſ. 38. tum ad propoſ. 45. lib. 1. ex Peletario demonſtraui, vt alia interim taceam: quæ non iniuria mihi vendicare potuiſſem: vt mirer, quid illi in mentem venerit, id a me parum ſyncere, atq; adeo inuidioſe factum exiſtimare, quod ego verebar, ne nimis ambitioſe factū quiſpiam iudicaret. Quòd vero propoſ. 16. lib. 3. & in prioribus duabus definitionibus lib. 5. vt ipſe obijcit, animoſe, vt ego fateor, libere, quid de eius demonſtrationibus ſentirē, expoſui, id feci, vt iam ante dixi, non cuiuſquam lædendi cauſa, ſed quærendæ veritatis. Ea enim eſt natura, & conditio eorum, qui liberalibus artibus dant operam, vt etiamſi alter alterius interdum ſententiam impugnet, non tamen idcirco odijs potius, quam ingenijs inter ſe certare videantur. Qui ſit aliorum ſenſus ignoro, equidem, vt ſupra dixi, ita ſum animo, vt ſi quis me alicuius erroris in demonſtrando commiſsi admoneret, ei quam maximas gratias haberem: atq; vt liberius id facerent, enixe rogaui non paucos, & nunc iterum eoſdem, atque etiam alios amicè oratos volo. Scio enim quam facile poſsit in ſuis quisq; inuentis hallucinari; video (quod ipſe quoq; Peletarius in Apologia ſapienter aſſeruit) omnibus hominibus commune eſſe, vt peccent. Deinde quòd in additionibus ad propoſ. 47. lib. 1. eius mentionem non fecerim, non eſt, quod ægre ferat, cum illæ propoſitiones non ſint ab ipſo inuentæ. Quædam enim multo tempore ante ipſum demonſtratæ ſunt vel a Campano, vel a Proclo, aut Theone: quaſdam vero demonſtraui egomet, antequam ipſius demonſtrationes vidiſſem; quòd adeo manifeſtæ ſint, & faciles, vt nulla probatione egeant, ſed ſint inſtar corollariorum propoſ. 47. Vt nulla prorſus laus, aut gloria illi acceſſura videretur, ſi maxime eas ab ipſo inuentas eſſe (quod tamen verum non eſt) prædicaſſem; cum eas quilibet, modo primoribus labris ſtudia Mathematica deguſtarit, nullo negotio ex illa propoſ. 47. colligere poſsit: Vt non videam, cur tandem eas propoſitiones tanti ponderis eſſe dicat, cum ſint omnium iudicio leuiſſimæ;adeo vt in pleriſque earum nec ipſe Peletarius demonſtrationem vllam,propter earum euidentiam, adducat, ſed eas nulla probatione egere fateatur. Denique non eſt,quod tantopere mihi ſuccenſeat idcirco, quod conſtructionem Pentagoni æquilateri,& æquianguli ſupra datam rectam lineam finitam ei non tribuerim:quoniam in ea conſtructione nihil prorſus ab eo ſum mutuatus:quod ijs dijudicandum relinquo,qui meam cum illius conſtructione contulerint. Nam & mea omnino diuerſa eſt, & ille in ſua mirifice(vt alia peccata taceam)abutitur propoſitione 9. lib. 3. cum ex ea probet,punctum quoddam eſſe centrũ circuli, qui nondum eſt deſcriptus. Geometra ſanè dixiſſet, punctum illud eſſe eiuſmodi, vt circulus ex eo deſcriptus ad interuallum cuiuſlibet lineæ rectæ ex illis tribus, quæ ibi oſtenſæ ſunt æquales,tranſeat per extremitates reliquarum duarum linearum æqualium. Nam propoſitio 9. lib. 3. nihil eo loco ad rem facit, cum propoſitum ex ipſa cõſtructione poſsit cõcludi,& ex demõſtratis, vt proxime dixi,etiamſi propoſitio illa vera non eſſet, aut nuſquam demonſtrata. Idem peccatum committit Peletarius in omnibus propoſitionibus lib. 4. in quibus vel intra figuram rectilineam,vel circa eandẽ circulus deſcribẽdus eſt. Quòd ſi ideo ſum reprehẽdendus,quòd propoſitionem vnã,multo aliter a me, & breuius demonſtratam, ei non aſcripſerim, non video, quo pacto in idem ipſe vitium non incurrat, cum problema hoc [*Propoſitis duabus lineis inæqualibus, potentiam maioris ſupra minorem cognoſcere.*] multis ſeculis ante ipſum a Theone demonſtratum ſibi arroget, hac ſolum de cauſa, vt arbitror, quòd illud alia ratione, longiore tamen, demonſtrauerit. Mitto hoc aliud problema, [*Dato angulo rectilineo æqualem angulum curuilineum conſtituere.*] quod in Apologia ſuum proprium appellat, idemque hactenus deſideratum eſſe gloriatur; cum tamen illud ipſum ego ex Proclo,qui multis ante eum ſeculis floruit,in defin. 5. lib. 5. multo breuius, & clarius demonſtrauerim. Nam,vt eo in loco oſtendi,ſi rectæ lineæ datum angulum rectilineum continentes ponantur æquales,& circa ipſas duo ſemicirculi (qui æquales erunt) verſus eaſdem partes deſcribantur, illico conſtitutus erit angulus curuilineus dato angulo rectilineo æqualis: Neque opus eſt tot ambagibus vti, quot Peletarius ad eam rem demonſtrandam adhibet;quamuis robur demonſtrationis ipſius idem ſit,quod meæ. Et quod magis mirandum eſt, fatetur Peletarius, ſe meam demonſtrationem vidiſſe, & eam nihilominus ſibi audet, tanquam propriam arrogare. En cur Peletarius clamet, me non paucas demonſtrationes parum honeſte, vt mihi vendicem, ſibi ſubducere conatum. Quis autem non videt,id eum in altero vituperare, quod ipſe ſibi glorioſum putat? Itaque multo verius, ac iuſtius eodem illum crimine ego, quàm ille me,condemnare poſſum; cum nunquam propoſitionum illarum inuentorem me appellauerim,vt ipſe,ſed ſolum eius nomen, ob rationes a me expoſitas,reticuerim.

Improprietates Peletarij in demonſtrando.

DEINDE angulum contactus,& acutum rectilineum eiuſdem generis eſſe, contra me pluribus verbis conatur oſtendere. Sed neſcio quo

modo

modo aberrat, quod dicitur, a ſcopo. Solum enim probat, vtrumque angulum eodem genere quantitatis contineri, hoc eſt, vtrumque angulum planum eſſe; quod acutus angulus rectilineus, vel etiam rectus conſtare poſſit ex angulo contactus, & alio angulo mixto: quod neque ego, neque vllus vnquam Geometra negauit. Ego angulos illos eiuſdem eſſe generis negaui hac ſolum de cauſa, quòd angulus contactus quantumuis multiplicatus angulum acutum rectilineum ſuperare nequeat, vt in ſcholio propoſ. 16. lib. 3. euidenter oſtendi. Hinc enim fit, vt alter ad alterum proportionem non habeat, atque adeo quodammodo diuerſi generis ſint: quemadmodum eadē de cauſa linea recta finita, & infinita non cenſentur eſſe eiuſdem generis, cum altera ad alteram proportionem non habeat; quamuis ſub eodem genere magnitudinis; nimirum ſub linea recta, comprehendantur. Hoc itaque feriat, vt collimaſſe videatur: quamquam vt omnia faciat, collimabit nunquam; ita longè abeſt, quod eſt propoſitum. Magnitudines autem, quarum altera multiplicata alteram ſuperare nequit, non cenſeri eiuſdem generis, (quod ad proportionem attinet) licet ſub eodē genere quantitatis, hoc eſt, ſub longitudine, aut latitudine, aut profunditate, aut numero, collocentur, liquido conſtat ex defin. 5. lib. 5. vbi Euclides ſatis perſpicue explicat, cuiuſmodi debeant eſſe magnitudines eiuſdem generis, inter quas proportio reperitur. Quare viderint alij, Peletarius homo conſideratus quam cogitatè me incogitantem hominem appellarit; quaſi non recte intellexerim, quæ magnitudines ſint eiuſdē generis, quæ non ſint. Nunquam enim dixi (id quod mihi affinxit, vt carperet) duarum magnitudinum, quæ ſub diuerſis quātitatis generibus collocantur, quales ſunt linea, ſuperficies, corpus, ac numerus, alterutram ita poſſe multiplicari, vt alteram ſuperet: In quo, nemine reluctante, fruſtra ſeſe fatigat, vt doceat, id fieri non poſſe; ſed de illis duntaxat magnitudinibus ſum locutus, quæ cum in eodem genere quantitatis verſentur, diuerſi tamen generis cenſeri poſſunt: quales ſunt ſuperficies rectilinea & curuilinea, ſiue mixta: Itemque linea recta, & curua. Hæ etenim ita differre inter ſe videntur, vt Ariſtoteles liquido affirmarit, vnam alteri æqualem eſſe non poſſe: quod tamen (pace Ariſtotelis dictum ſit) verum vſquequaque non eſt; cum Archimedes in lib. de lineis ſpiralibus demonſtrauerit, quænam linea recta æqualis poſſit eſſe circunferentiæ cuiuſuis circuli dati. Non igitur negare poterit Peletarius, aut quiſquam alius, ab Euclide defin. 5. lib. 5. aliquas quantitates a proportionis definitione excludi, diuerſique propterea eſſe quodammodo generis, quod ad proportionem attinet, licet in eodem magnitudinis genere ponantur: quales ſunt angulus contactus, & angulus rectilineus; Linea item recta finita, & infinita: Multas item magnitudines comprehendi in eadem definitione proportionis, quas plerique excludebant; cuiuſmodi ſunt curuilinea ſuperficies, & rectilinea; necnon linea circularis, & recta, vt paulo ante diximus, latiuſque in defin. 5. lib. 5. expoſuimus. Verum Peletarius, ne opinionem illam ſuam, quam de angulo contactus ſemel imbiberat, deſerere cogeretur, noluit hanc expoſitionem quintæ defin. lib. 5.

Angulus contactus, & rectilineus cur dicantur eſſe diuerſi generis.

recipere;immo eã vt oppugnet,omnes videtur in Apologia intẽdisse neruos,oblitus sui,q fere eodẽ modo illam defin.in quinto lib.olim exposuerat;nisi quod nõ recte inde colligit, angulum cõtactus non esse quantitatẽ, propterea quod multiplicatus nullam magnitudinem, vt dicit, posſit excedere. Hoc enim (pace eius dixerim) falsum est. Nam licet angulus contactus multiplicatus angulum rectilineum non posſit excedere, excedet tamen alium angulum contactus. Quare ex illa defin. solum recte colligitur, angulum contactus ad angulum rectilineum non habere proportionem vllam; ad angulum vero alium contactus quemcunque proportionem habere. Sed siue ita intellexerit eam defin. vt ex commentarijs eius in lib. 5. colligi potest, siue secus, vt in Apologia indicare videtur, non multum laboro: Certè ita illam esse intelligendam, vt exposui, nemo, qui verba Euclidis diligenter expenderit, negabit. Verum enim verò, si mihi fidem habere non vult Peletarius, habebit certe, (nisi arrogans haberi volet) aut Proclo grauisſimo scriptori, qui lib. 2. in lib. 1. Eucl. ad definitionem anguli plani eodem modo definitionem illam intellexit, aut Petro Nonio Lusitano, quem tanti facit, (& merito id quidẽ: fuit enim acerrimo vir ingenio, & nullo hac nostra ætate in Mathematicis inferior) vt eum vnum pro multis millibus testem citet, & suarũ demõstrationum approbatorem, qui disertisſimis verbis tum in libro de Erratis Orontij, tum in Algebra sua, illam definitionem explicat, vt a me est exposita: quinetiam ibidem asserit, ex ea defin. colligi, angulum contactus ad angulum rectilineũ, & lineam finitam ad infinitam nullam habere proportionem; vt Petrus Nonius, quem testem produxerat pro se Peletarius, iam pro me testimonium dicat. Atque ex hisce duobus locis Petri Nonij facile quiuis intelliget, quam sine ratione, quanto contradicendi studio mihi insultet Peletarius, cum semel atque iterum odiose percontatur, vndenam potuerim illi lineã infinitam deportare. In idem enim crimen (si crimen est, lineam infinitam exempli causa nominare) vocat etiam Petrum Nonium testem suum, atque adeo omnes philosophos, quorum est illa vox nemini inaudita, præterquam Peletario, finiti ad infinitum nullam esse proportionem. Desinat igitur a me sciscitari, vnde lineam infinitam deportauerim: Inde enim respondebo, vnde eam Petrus Nonius, vnde philosophi omnes deportarunt. Quid? nonne sophisma illud Peletarij, semper in hoc erro, demonstratio illa, volui dicere, & quidem palmaris, qua conatur ostendere, propositionem 1. lib. 10. cum propos. 16. lib. 3. stare non posse, si angulus contactus concedatur esse quantitas, a Petro Nonio Peletarij cognitore eadem prorsus ratione, qua a me ipso, confutatur? Quæ si germana demonstratio est, miror quid sit, cur eã Nonius Geometriæ scientisſimus, idemq; Peletarij approbator, minus probarit: Cur nihilo magis demonstrationes eiusdem, quibus planum facit, (vt putat) angulum contactus quantitatem non esse, eundem illum Nonium nihil admodum mouerint? Id enim (nisi fallor) illa Nonij verba [*Si quis sententiam Peletarij de angulo contactus amplecti velit.*] declarant. Nam si demonstrationes existimasset, profecto Peletarij

letarij doctrinã in eo retinendam esse dixisset, Geometricæ enim demonstrationes eiusmodi sunt, vt assensum extorqueant, ac dubitationem omnem excludant, nulloq; modo quempiam sinant ancipiti opinione distrahi sic, vt tum assentiatur, si velit, tum, si nolit, dissentiat. En cur Peletarius Nonij testimonio aliorũ iudicia cótemnat, en pręclarum testimoniũ, quod Petrus Nonius eius demonstrationibus dedit: quò æquiore animo ferat, eas a me nihilo magis, quã ab illo suo approbatore, demõstrationes putari.

TERTIO, quòd existimare dixi Peletarium, angulum contingentiæ nihil esse, falsum esse, clamat: Nusquam enim dixisse se, nihil esse, sed quantitatem non esse. Ita ne vero? at in prædicamento Quantitatis, quod neque est punctum, (quis enim inclinationem illam punctum esse dixerit?) neque quantitas, quo alio nomine vocetur, quam Nihil? Sed vt vt dixit, profecto non modo mirabile est, sed monstri in Geometria simile, putare angulum contactus non esse quantitatem, qui postea additus alijs angulis efficiat curuilineum angulum rectilineo æqualem. Quis enim vnquã Geometrarum id, quod quantitas non est, magnitudini adiunxit, vt æqualem eam alteri efficeret? Prætereo, quod figura trilatera curuilinea intra tres circulos se mutuo tangentes conclusa nullum haberet angulũ ex Peletarij sententia; quia tres illi contactus, anguli non sunt: cum tamen tribus diuersis lineis contineatur; quod omnino nouum est, & inauditũ apud Geometras. Itemque, si quatuor, aut plures circuli se mutuo tangerent, vt fieret figura curuilinea quadrilatera, vel plurium laterum, illa nullum angulum haberet. Atque etiam, si duæ lineæ rectæ angulum continentes, vnum eundemque circulum tangerent, trilatera illa figura habens tertium latus curuum, vnicum tantum haberet angulum. Quæ omnia si sunt absurda, consentanea non est opinio Peletarij. Sed nimis fortasse multa ad Nihil illud Peletarij euertendum, ad quod tuendum ille nihil afferat. Quoniam vero, ne pro Nihilo suo nihil agere videatur, quando res non potest, mea verba carpit, verba defendam: quæ quidẽ ille nescio quibus præstigijs ita deprauat, vt dicere videar, nihil esse minus quocũq; angulo: atq; (vt simplicem, credo, hominẽ irretiat) quærit ex me, quod tãdem genus sermonis sit illud. Viderit is, cuius ex officina prodijt. Neque enim ego eiusmodi sermonem agnosco, qui, nihil esse minus quocunque angulo, nusquam dixerim, nisi ex sententia Peletarij. Sed videlicet homo vehemens, vt suum illud Nihil vlcisceretur, aliud mihi nihil affinxit, quo cum impune pugnaret: At quam palæstrice pugnat? quam sibi placet hoc loco, dum meum illud argumentum, quo petitus fuerat, in me ipsum mira venustate conuertit? Sic enim argumentatur. [*Angulus contactus nihil est: Angulus contactus angulo contactus maior est. Angulus igitur maior nihilo est: Atqui Clauius eundẽ ponit minorẽ nihilo. Est igitur angulus contactus nihilo maior, et idẽ nihilo minor*] Mox quasi Nihil illud ab se effictũ iugulasset, exclamat. [*En Clauij argumenta, quæ vtrum tandem Peletarij sophismata sunt, an Clauij potius figmenta, cum ipse suum angulum contactus nihil esse dicat, non ego?*] Verum vt hominem fæneum, atque adumbratum nequicquam

petere

petere desinat, virum ostendam, qui cum, si velit, certare cum laude possit. Ego vt ostenderem, angulum contactus, ex Euclidis sententia, verè esse angulum, & angulum semicirculi angulo recto rectilineo minorem, ita sum argumentatus. Si Euclides sensisset, angulum contactus nihil prorsus esse, (hoc est, vt Peletarius intelligit, non esse angulum, vel non esse quantitatem) & angulum semicirculi æqualem recto rectilineo; quid, obsecro, tantopere desudasset, vt demonstraret, angulum contactus esse minorem omni acuto rectilineo, angulum vero semicirculi maiorem? Quid enim clarius, quàm nihil, cuiusmodi est angulus contactus, ex Peletarij sententia, hoc est, quàm id, quod quantitas non est, minus esse quocunque angulo? Quid rursus magis perspicuum, quàm angulum rectum, qualem ponit Peletarius angulum semicirculi, maiorem esse quolibet acuto? Agnoscat itaque Peletarius, Nihil illud suum male à nobis acceptum, idque ita vlciscatur, vt meum hoc argumentum refellat: in quo ego si angulum contactus dixi esse nihil, & non potius eum nihil esse asserui ex sententia Peletarij, libenter manus dabo. Videtur Peletarius aut non intellexisse meum argumentum, aut intelligere noluisse: nisi eum quis dicat, dedita opera verba mea voluisse cauillari; quod & plerisque alijs in locis facere videtur. Nunquam enim dixi, angulum contactus minorem esse, aut maiorem nihilo: Solum affirmaui, angulum contactus quemcunque minorem esse, aut maiorem aliquo alio angulo contactus, quem non ego dixi nihil esse, sed Peletarius, eundemque Euclides minorem quolibet acuto rectilineo recte demonstrauit. Vt autem intelligat Peletarius, me, quod ipse negat, didicisse Dialecticam, illum ipsum tam lepidum, atque acutum syllogismum, quo Nihil illud ab se cõfictum mira venustate confixit, paulisper considerabimus; vt quàm suo iure Dialecticæ ignaros alios vocet, appareat. Nam mihi quidem male tornatus ille ipse syllogismus videtur, incudique reddendus. Etenim cum versetur in tertia figura, in eo maior extremitas, (vt Dialectici loquuntur) quæ est, Nihil, de minori, quę est, angulo contactus maior, in recto prædicari deberet, hoc pacto. Angulus contactus nihil est: Angulus contactus angulo contactus maior est. Igitur aliquid, quod angulo contactus maius est, nihil est. Quæ quidem conclusio recte sequitur ex præmissis, quarum prior Peletarij est, non mea, posterior autem mea, & Procli, immo & Euclidis. Conclusio autem illa Peletarij, Angulus igitur maior nihilo est, nulla ratione ex præmissis inferri potest. Nam si, angulum cum dicit, intelligit Peletarius angulum contactus, assumitur medius terminus, qui in vtraq; præmissa subijcitur: quod nefas esse, Aristoteles in prioribus Anal. & Dialectici omnes clamant. Si autem alium angulum intelligit, assumitur in conclusione terminus, cuius nulla facta est mentio in præmissis: quod nihilo magis licere, nemo est tam plumbeus in Dialecticis, qui nesciat. Neque contendat Peletarius, mentionem factam esse anguli in minore extremitate, vbi dictum est, angulum contactus angulo contactus maiorem esse. Nam angulus in minore extremitate positus est in obliquo, qui in conclusione subijcitur in recto: quod,

Paralogismus Peletarij insignis.

vtauvt auctore Aristotele docent omnes Logici, sine peccato fieri non potest. Quod vt planum fiat, vtemur ea palæstra, quam ab illo didicimus. Si quispiam ita argumentetur; Angulus in semicirculo rectus est: Angulus in semicirculo angulo acuto maior est. Angulus igitur acutus maior recto est; quis, modo sit imbutus Dialecticis, eiusmodi argumentationem probet, cum præmissæ veræ sint, conclusio autem falsa? Talis ille syllogismus est Peletarij, qui apud imperitam multitudinem alter Chrysippus videri voluit. Conclusio, quæ recte ex præmissis inferretur, hæc esset. Igitur aliquis angulus, qui acuto maior est, rectus est. Sed tamen ei veniam dandam puto, quòd se Geometricum Dialecticum, ex alio quodam Dialecticorum genere, profitetur, cuius ego me Dialecticæ, si ab Aristotelica abhorret, planè fateor ignarum. Fatetur deinde Peletarius, se non intelligere, quo pacto dicere possim, angulum rectilineum minimum dari non posse, & tamen angulum contactus esse omni acuto rectilineo minorem, (ipse, vt aliquid addat de suo, dicit, omni minimo acuto rectilineo minorem; cum tamen verbum illud, minimo, ego non addiderim) cupitque scire, quid aliud sit, angulum contactus minorem esse omni rectilineo acuto, quàm angulum contactus esse acutorum rectilineorum minimum. Qua in re morem geram homini non grauate, etsi è scholio ad propos. 16. lib. 3. potuit id, quod cupit, cognoscere. Nempe ea ratione me illud potuisse dicere, qua dicimus, angulum obtusum rectilineum minimum dari non posse, & tamen angulum rectilineum acutum esse omni obtuso rectilineo minorem. Item quemadmodum aliud est, angulum rectilineum acutum minorem esse omni rectilineo obtuso, quàm angulum rectilineum acutum esse obtusorum rectilineorum minimum: propterea quod angulus acutus non est obtusus, sicut nec angulus contactus rectilineus est, aut acutus. Id quod etiam clarissime docet Proclus lib. 2. in primum Eucl. ad defin. anguli recti, obtusi, & acuti. Sed hæc puerilia sunt, & quæ magis ad Grammaticos spectent, quàm ad Geometras. Quòd etiam, ne librum meum parum spissum viderer fecisse, suas demonstrationes ad verbum me recitasse queritur, id in me reprehendit, quod ego in ipso desidero. Id enim eo a me consilio factum est, vt omnes plane viderent, syncere me, ac fideliter eius opinionem retulisse, nullumq; omnino verbũ immutasse. Quod vtinam in meis verbis recitãdis ipse facere in animum induxisset. Multo enim minus spissam Apologiam suam facere potuisset. Nam ego, quid erat, cur laborarem meum librum Peletarij verbis magis spissum efficere? Qui enim parum spissum iudicarem librum eum, qui nec raras, nec inanes in libros omnes Euclidis commentationes contineret, cum Peletarius suum librum, qui sex priorum duntaxat librorum demonstrationes complectitur, satis spissum sit arbitratus? Sed eo sum æquior Peletario, quòd ex se alios iudicat. Nam in Apologia sua, ne inanis rerum videretur, tres demonstrationes nihil penitus ad eam pertinentes insersit: quarum priorem immeritò suam propriam facit, vt supra dixi: posteriorem vero, quam mirum in modum gloriatur se clariorem fecisse, ego & longè breuius, & dilucidius (nisi meorum

me

me amor fallat) iam pridem demonstraui, vt mox, Deo adiuuante, ex libello meo de dimensionibus magnitudinum apparebit. Sed licuerit Peletario suæ Apologię, ne incomitata prodiret, nouo more comites ac pedissequas adiungere: mihi cur non liceat, quod omnibus semper licuit, aliorum sententias totas meis scriptis intexere? Aut igitur omnes reprehendat, atque in primis Petrum Nonium laudatorem suum, qui idem fecit in refellendis paralogismis Orontij, aut sine causa id se mihi vitio dedisse fateatur. Quòd si, postquam tam fideliter eius verba proposui, Peletarius criminatur, me eius sententiam perperam esse interpretatum, quid facturus fuisset, si alienis verbis eius opinionem in medium adduxissem? Equidem facile sibi persuadebit quis, nullum eum verbum relicturum fuisse, quod non reprehendisset.

QVARTO vt leuiora hæc omittat, illud putat palmare, quòd me laborare ostendit, vt probem, angulos cōtactus alios alijs esse inæquales: propterea quòd scripsi, æqualitatem angulorum eiusdem generis requirere eandem inclinationem linearum, ita vt lineæ vnius conueniant omnino lineis alterius, si alter alteri superponatur, iuxta octauum pronunciatum. Qua in re dupliciter me peccare ait. Primum quod dicam, ad æqualitatem angulorum eiusdem generis requiri eandem linearum inclinationem; cum tamen angulus rectilineus ostensus sit a me æqualis circuilineo, atque adeo eiusdem generis cum illo, licet non sit in vtroq; eadem linearum inclinatio. Deinde quod putem angulos contactus ideo inter se inæquales esse, quòd sibi mutuo non congruant. Equidem si quid in eo a me peccatum esse intelligerem, & peccatum (quod est ingenuo, & liberaliter educato homine dignum) agnoscerem, & Peletario correctori, & emendatori meo (quocunque id animo fecerit) gratias agerem. Nunc vero, cum, tota re etiam atque etiam considerata, nihil omnino vitij inesse videam, ita, quæ obijciuntur, diluam, vt tamen gratiam habeam Peletario, qui occasionem dedit eius loci diligentius explicandi. Ego igitur eo loco intellexi angulos eiusdem generis illos, qui vnam lineam habent rectam, & alteram circularem, quales sunt anguli contactus, & semicirculorum, de quibus tunc agebamus. Quare cum linea recta vnius congruat lineæ rectæ alterius, circularis vero circulari non itē, nisi circuli ponantur æquales, efficitur, angulos illos esse inæquales inter se, quippe cum alter alterum excedat. Eadem ratione, si dentur duo anguli curuilinei æqualium circulorum æquales, necesse est, lineas vnius lineis alterius congruere, si alter alteri superponatur. Quòd si Peletarius hanc doctrinam oppugnat, sciat, se iam bellum mouere non mihi, sed Proclo, qui lib. 3. in primum Eucl. ad propos. 4. idem prorsus docet, quod ego. Ait enim [*Angulorum autem æqualitatem sumemus iuxta conuenientiam laterum in rectilineis, in cæterisque omnibus, qui eiusdem sunt speciei, vt in Lunaribus, in Systroidibus, atque in vtrinque conuexis, &c.*] Et infra. [*Quæ æqualia data sunt, sibi inuicem congruunt. Hoc autem non in omnibus verū est, sed in ijs, quæ specie similia sunt. Specie autem similia hæc dico, vt recta linea rectæ lineæ,*

& cir-

& circunferentia circunferentiæ circuli eiusdem, & anguli, qui à similibus similiter iacentibus lineis comprehensi sunt. Horum autem dico, quòd quæ æqualia data fuerint, sibi inuicem congruūt.] Nonne luce clarius ex his colligitur, Proclum illos solum angulos contactus concedere æquales, quorum rectæ lineæ, & curuæ sibi mutuò congruunt? Temere igitur Peletarius mihi obijcit angulum rectilineum & circuilineum, triangulum & quadratum, atque alia huiusmodi, de quibus eo loco sermo non erat; quippe quæ non sint eiusdem speciei, atque adeo æqualitatem tueantur, etiamsi alterum alteri non congruat. Vt iam vereri incipiam, ne Peletarius noster contentionis sit cupidior, quàm veritatis.

POSTREMO, vt nihil intactum relinquat, me non modo Geometriæ ignarum vocat, sed etiam Logices: propterea quòd lib. 5. dixi, non rectè à quibusdam diuidi Proportionem rationalem in proportioné æqualitatis, atque inæqualitatis? quòd multæ proportiones inæqualitatis sint etiam irrationales. Ego vero (etsi non is sum, qui mihi quicquā vllo in genere arrogem) tamen in hisce studijs, in quibus mediocriter versatus sum, planè rudem non esse, præ me semper tuli. Quantulum autem sit id, quod in vtroq; possim, cæteri melius, qui vacant amore, & odio, iudicabunt; Peletario quidem ipsi ita me adhuc respōdisse arbitror, vt iam minus fortasse ignarus Geometriæ, ac Dialecticæ videar, quàm putarat. Nunc, vt perspiciat, neq; me pertinacem esse, neq; illa, quæ exagitat, à Dialecticorū præceptis abhorrere, libēter ei concedo, diuisioné illam, quam à me reprehensam criminatur, probā esse, ita tamen, si in quolibet diuisionis membro Diuisum intelligatur: neq; vero hoc vnquā negaui, cum alibi similes diuisiones vsurpem. Solū id eo loci contēdi, rectius meo iudicio, diuidi Proportionem in vniuersum duplici diuisione, priori quidem in proportionem rationalem, & irrationalem; posteriori vero in proportioné æqualitatis, atq; inæqualitatis, (quod verissimum esse, neminem negaturum censeo, qui rem diligentius expenderit) cum tam priora duo membra diuidētia, quam posteriora totum Diuisum (vt Logici loquuntur) exhauriant: quàm si prius membrum prioris diuisionis, hoc est, proportio rationalis, secetur in proportionem æqualitatis, & inæqualitatis, cum hæc membra diuidentia latius pateant, quam Diuisum, nisi in illis Diuisum intelligatur. Atque eò magis duplex illa diuisio mihi probatur, quòd non desint, qui primum partiantur Proportionem in proportioné æqualitatis, & inæqualitatis; posteriorem deinde hanc in proportionem rationalem, & irrationalem: contrario scilicet modo, quàm priores. Vt igitur hanc controuersiam dirimerem, ac dubitationem, vtri rectius faciant, priores ne an posteriores, tollerem, statui duabus diuisionibus secandam esse Proportionem, quarum vtraque absolutissima est, ac perfectissima. Non aliter arbitror, omnes magis esse probaturos, si corpus duplici diuisione secetur, primum quidem in viuens, & non viuens; deinde vero in album, nigrum, ac mixto colore affectum: quam si corpus viuens diuidatur in album, nigrum, ac mixto colore affectum; ob causam iam dictam: licet hęc subdiuisio bona sit, si Diuisum sem-

Xx per

per intelligatur. Huiusmodi diuisiones sexcentas adducere possem: sed satis est, me prudenti lectori institutum meum in diuisione Proportionis exposuisse, & cur duplicem illam diuisionem subdiuisioni aliorum prætulerim. Quòd si tam acres, & seueri iudices singulorum verborum aut improprietatum, quæ per incogitantiam interdum excidunt, esse velimus, næ scriptorum nullus aliquo vitio carebit, neque ipse quidem Peletarius, vt partim ex ijs, quæ dicta sunt, constat, partim etiam ex alijs eius demonstrationibus apparere potest: quas si liberet ad certam illam Dialecticorum normam exquirere, profecto reprehendendi materia non deesset. Verum non est hoc nostri consilij, refellendi studio vitia aliena scrutari, sed vbi sese occasio obtulerit, meam (qualiscunque est) de aliorum sententijs sententiam exponere: Solum ab eo peto, (quoniam se tam acutum Dialecticum iactat, vt alios contemnere videatur; quanquàm ex superiore syllogismo, quem in me conuertit, liquido constat, quam sit Dialecticæ peritus) ex qua Logica hanc argumentationem hauserit; Omnes anguli contactus sunt minores quolibet angulo acuto rectilineo: ergo omnes inter se sunt æquales. Itemque hanc; Anguli semicirculorum, quò a maioribus circulis fiunt, eò sunt maiores: igitur tandem ad aliquem perueniemus, qui recto rectilineo maior sit; in qua quidem ad Cardanum scribit, nullum esse paralogismum. Ego sane vehementer miror, qua ratione in tam apertas hallucinationes, & viro Geometra omnino indignas, incidere potuerit. Sed argumentationes eiusmodi satis superque in scholio propos. 16. lib. 3. a me sunt confutatæ, adductis contra ipsas euidentissimis instantijs. Deinde quòd me perstringit, quasi parũ intellexerim, quæ sit proportio rationalis, & quæ irrationalis, non multum laboro. Constat enim eum studio mihi detrahendi id dixisse; cum has proportiones vbique ex sententia grauissimorum scriptorum definierim: neque vero ipse, vllum peccatũ a me ea in re esse commissum, poterit ostendere. Certe commentarius meus in lib. 10. Eucl. abunde declarat, num illas intellexerim, nec ne. Denique quòd criminatur, me in definitionibus lib. 5. proportionis nomen confundere cum Rationis nomine, nullo modo verum est. Perspicuis enim verbis docui in defin. 4. lib. 5. me in commentario comparationem duarum quantitatum Proportionem cum pluribus Geometris appellaturum, habitudinem autem proportionum, Proportionalitatem; licet in textu cum interprete illam dicam Rationem, hanc vero, Proportionem. Neque enim quicquam in textu Euclidis volui immutare. Itaque nulla in meis verbis potest esse ambiguitas.

Argumẽtationes Peletarij sophisticæ.

EX HIS, quæ diximus, satis (vt opinior) apparet, doctissimos illos viros, de quibus initio memini, non sine causa Apologiam Peletarij inanem, ac responsionis indignam iudicasse. Ego tamen, ne contemnere hominem viderer, quem semper laudandum esse duxi, occasione inuitatus respondendum amice putaui. Existimet ille, angulum contactus quantitatem non esse, atque adeo angulum semicirculi recto rectilineo esse æqualem, ego certe contrariam sententiam tuebor, donec aliud mihi demonstratum ab aliquo fuerit: rationes enim Peletarij fallaces sunt, nihilque continent in se

pro-

Probabilitatis, vt in ſcholio propoſ. 16. lib. 3. oſtendi, vbi omnes diſſolui: neque meis ipſe ſolutionibus vel vnum verbum (exceptis iјs, quæ ſupra ex lib. 10. adduxi) reſpondit; quod tamen maxime ad Apologiam pertinebat: Vt non ſine cauſa permulti exiſtimauerint, eum non veritatis ſtudio eam Apologiã ſcripſiſſe, ſed ne veritati ceſsiſſe videretur. Nec vero quiſquam putet, me vnum exiſtimare, angulum contactus vere eſſe angulum, & angulum ſemicirculi recto rectilineo minorem. Multos enim eius rei auctores, eoſque grauiſsimos laudare poſſum, Theonem, Campanum, Petrum Nonium, & (vt Nonius refert) Archimedem, atque Iordanum: quin etiam (quod plurimi facio) Euclidem ipſum, eiuſque commentatorem celeberrimum Proclum; vt taceam ex Gallis præſtantiſsimos, atque eruditiſsimos viros non paucos, è quorum numero in primis eſt Franciſcus Candalla ex illuſtriſsima Fluſſatum familia oriundus, qui inſigne volumen in elementa Geometrica Euclidis edidit, vbi ad propoſ. 16. lib. 3. apertiſſime docet, angulos contingentiæ verè eſſe angulos, ex definitione anguli plani, aliosq; alijs eſſe maiores, æquales, ac minores: Eos autem, qui aliter ſentiũt, (Peletariũ proculdubio intelligit. Præter eum enim ad hunc diem nemo hac de re ſcripſit) abſurde multa ex falſis ſuppoſitis concludere affirmat. Huc accedat etiam Henricus Monantholius Mathematicarum artium profeſſor regius qui, cum Apologiam Peletarij in me conſcriptam vidiſſet, opuſculum eruditum aduerſus Peletarium de angulo contactus edidit. Vt autem ſtudioſus lector videat, quid in hoc negotio ſentiat Proclus, afferam in mediũ pauca quædam ex eius commentarijs in lib. 1. Eucl. quæ obiter notaui, & ex quibus liquido conſtabit, eius ſententiam eſſe Peletarij commento prorſus contrariam. Primum itaque ita ſcribit lib. 2. in primum Eucl. ad definitionem anguli plani. [*Duæ namque circunferentiæ ſe inuicem ſecando, vel ſeſe contingendo, angulos efficiunt. Quinetiam à recta linea, & conuexa circunferentia angulus continetur, vt Cornicularis.*] Intelligit autem nomine Cornicularis anguli angulum contactus mixtum. Paulo enim ante dixerat, angulum Cornicularem eſſe omni rectilineo minorem: quod ſolius anguli contactus proprium eſt. Deinde in eodem lib. ad definitionem anguli recti, obtuſi, & acuti ita habet. [*Cornicularis namque angulus omni recto eſt minor, quandoquidem & acuto, nec tamen acutus eſt: Semicircularis itidem quocunque recto eſt minor, acutus tamen non eſt.*] Quid clarius, quam Proclum hic afferere, angulum ſemicirculi minorem eſſe recto? Rurſus lib. 3. ad propoſ. 4. lib. 1. Eucl. ita ſcribit. [*Addiſcemus enim, quòd angulus Cornicularis acuto ſemper inæqualis eſt, & nunquàm æqualis: Et ſemicircularis ſimiliter, tranſitusque à maiori ad minus non omnino per æquale fit.*] En quam aperte docet, angulum ſemicirculi æqualem eſſe non poſſe angulo rectilineo, tranſitumque propterea fieri a maiori ad minus non per æquale: quorum vtrumque Peletarius negat, audetque poſterius appellare paralogiſmũ. Denique in eodem lib. 3. ad propoſ. 23. hæc verba habentur. [*Cum autem nullus angulus mixtus rectilineo æqualis eſſe poſsit, &c.*] Et Peletarius tamen non dubitat angulum ſemi-

Varij auctores, qui ſenſerunt, angulũ cõtactus vere eſſe angulum, & angulũ ſemicirculi angulo recto rectilineo minorem.

Procli ſententia de angulo cõtactus, & ſemicirculi.

circuli, qui mixtus est, angulo recto rectilineo facere æqualem, cõtra Procli sententiam. Ex his liquere arbitror, vt de cæteris taceam, idem sentire Proclum de angulo contactus, & semicirculi, quod ego contra Peletarium scripsi: quis autem neget, maiorem esse auctoritatem, meliora argumenta Procli, quam Peletarij?

Idem dicẽdum est de angulo cõtactus, qui in conicis sectionib⁹ fit, quod de illo Euclidis dicitur.

OBITER quoque hoc loco monendum lectorem censeo, id, quod de angulo contactus, qui fit in circulis, ex sententia Euclidis, & Procli docui, verum etiam esse de angulo cõtactus, qui in conicis sectionibus efficitur, nimirum in Parabola, Hyperbola, & Ellipsi. Vt enim Apollonius Pergæus demonstrat lib. 1. propos. 32. in locum, qui inter coni sectionem, & rectam lineam tangentem interijcitur, altera recta linea non cadit; atque adeo angulus ille contactus minor etiam est omni acuto rectilineo, & reliquus angulus ex recto (si nimirum ex puncto contactus ad lineam tangentem excitetur perpendicularis) omni acuto rectilineo maior. Si igitur, vt opinatur Peletarius, angulus contactus quantitas non est, (eadem enim hic est ratio, quæ in circulo) erunt omnes anguli contactus inter se æquales, hoc est, vt ipse vult, non inæquales, & reliquorum angulorum singuli recto rectilineo æquales. Vbi sanè maior absurditas apparet, quo ad sensum, in Ellipsi, quæ perexiguam habeat latitudinem, & in Hyperbola, quæ ferè linea recta esse videatur. Valde enim inæquales cernuntur anguli ad verticem Ellipsis, & Hyperbolæ constituti; vt incredibile omnino sit, nisi firma ratione demonstretur, angulos illos contactus ad vertices sectionum constitutos inter se, & reliquos ex rectis inter se quoque esse æquales; propterea quod in ea Ellipsi linea tangens magis recedere perspiciatur a circunferentia Ellipsis, quam in circulo; in illa vero Hyperbola minus. Sed hæc alio tempore examinanda relinquamus: nunc ad interruptam expositionem definitionum reuertamur.

II.

Angulus sphæricus rect⁹ quid.

ANGVLVS sphæricus rectus est, quem in sphærę superficie duo arcus circulorum maximorum sese ad angulos rectos secantium, id est, quorum alter ad alterum rectus est, continent.

III.

Angulus sphæricus obtusus quid.

ANGVLVS sphæricus obtusus est, qui recto maior est.

IIII.

Angulus sphæricus acutus qd.

ACVTVS verò, qui minor est recto.

CON-

CONSTITVITVR *angulus sphæricus rectus ad punctum datum in dato arcu circuli maximi superficie in sphæra, si per illud punctū & per polum dati arcus (qui per propos 21. lib 1. Theod. inuenitur) circulus maximus describatur. Huius enim circuli circunferentia cum arcu dato angulum rectum constituet; cum circulus hic ad circulum illius arcus sit rectus. Si vero per datum punctum describatur arcus circuli maximi non per polos dati arcus, constituet circunferentia huius circuli cum dato arcu angulos inæquales, obtusum vnum, & alterum acutum.* Cōstructio anguli sphęralis recti, obtusi & acuti. 15.1.Theo.

V.

TRIANGVLVM sphæricum est, quod tribus arcubus circulorum maximorum in sphæræ superficie continetur. Triangulū sphęricum quid. Triangulū sphęri cum diuiditur, vt rectilineum ab Euclide.

HOC *autem est vel æquilaterum, si omnes arcus æquales fuerint; vel Isosceles, si duo arcus tantum fuerint æquales; vel denique Scalenum, si omnes arcus inæquales inter se fuerint. Itemq; vel rectangulum, si aliquem angulum habuerit rectum; vel obtusangulum, in quo angulus aliquis fuerit obtusus; vel denique acutangulum, si omnes anguli fuerint acuti: quemadmodum de rectilineo triangulo dixit Euclides. Hoc tamen discrimen reperitur inter triangulum rectangulum, obtusangulumque rectilineum, & sphæricum, quòd in rectilineo reliqui duo anguli necessario sint acuti, propterea quòd duo anguli quomodolibet sumpti minores sūt duobus rectis; in sphærico autem si vnus angulus fuerit rectus, vel obtusus, possunt alij duo etiam esse recti, vel obtusi, vel alter saltem, vt ex demonstrationibus sequentibus perspicuum fiet.* Discrimen inter triangulū rectāgulum, obtusangulūque rectilineum, ac sphæricū. 17. primi.

VI.

ARCVS anguli sphærici est arcus circuli maximi, cuius polus est in ipso angulo, inter duos arcus angulum sphæricum comprehendentes interceptus. Arc° anguli sphærici quid.

QVIA *vero polus circuli maximi quadrante maximi circuli ab eo abest, fit, vt vterque arcuum angulum comprehendentium inter angulum, & arcum anguli positorum sit quadrans. Quare si angulus fuerit rectus, arcus anguli erit quadrans; si acutus, quadrante minor; si denique obtusus, maior quadrante: & contra. Vt propos. 26. demonstrabimus.* Coroll. 16. 1. Theod.

VII.

COMPLEMENTVM arcus est excessus, quo quadrans eum superat, si arcus minor est quadran- Complementum arcus quid.

dran-

drante, vel ab eo ſuperatur, ſi eſt quadrante maior.

VIII.

Complemẽtũ anguli ſphærici quid.

COMPLEMENTVM anguli ſphærici dicitur exceſſus, quo quadrans arcum ipſius anguli ſuperat, vel ab eo ſuperatur.

IX.

SINVS, Tangens, & Secans alicuius anguli ſphærici eſt ſinus, tangens, & ſecans illius arcus, qui arcus anguli dicitur.

PROBLEMA I. PROPOSITIO I.

DATIS duobus arcubus circulorum maximorum in ſuperficie ſphæræ inæqualibus, quorũ neuter ſemicirculo maior ſit, de maiore æqualem minori arcum detrahere.

SINT duo arcus circulorum maximorum inæquales A B, C D, quorum neuter ſemicirculo maior ſit, & maior ſit C D; oporteatque ex maiori C D, minori A B, æqualem detrahere. Ducta recta A B, applicetur ei æqualis C E, in arcu C D. Dico arcum ablatum C E, æqualem eſſe arcui minori A B. Cum enim circuli arcuum A B, C D, maximi ſint, & propterea æquales; auferent rectæ æquales A B, C E, arcus æquales A B, C E: quòd vterque arcus ſemicirculo minor ponatur. Datis igitur duobus arcubus circulorum, &c. Quod erat faciendum.

1. quarti.

28. tertij.

THEOR. 1. PROPOS. 2.

IN omni triangulo ſphærico, latus quodcunque minus eſt ſemicirculo.

SIT triangulum ſphæricum A B C. Dico quodcunque latus ſemicirculo eſſe minus. Productis enim arcubus B A, B C, donec conueniant in D, vl-

tra-

tra A, & C,erunt arcus B A D,B C D,ſemicirculi; cum circuli maximi ſe mu- 11.1.Theod.
tuo bifariam ſecent. Quare tam arcus B A, B C, ſemicirculo minor eſt. Eodem modo, productis arcubus A B, A C,oſtendemus arcum A C, ſemicirculo eſſe minorem. Conuenient autem arcus B A, B C,producti vltra puncta A, & C, propterea quòd ſphæricos angulos faciunt cũ arcu A C,ſuntq; omnes tres arcus portiones circulorum maximorum, qui ſe mutuo ſecant in punctis A, B, C, non autem tangunt. Hinc enim



fit,vt vterque arcus B A,B C, productus arcum A C,productum ſecet in punctis A, C, vt ex defin.conſtat;ac proinde inter ſe coeant vltra puncta A, C. In omni ergo triangulo ſphærico,&c. Quod erat demonſtrandum.

THEOR. 2. PROPOS. 3.

IN omni triangulo ſphærico, duo latera reliquo ſunt maiora, quomodocunque aſſumpta.

SIT triangulum ſphæricum A B C. Dico duo quælibet latera,vt AB,AC, maiora eſſe latere B C. Si enim triangulum eſt æquilaterum, manifeſtum eſt duo ſimul dupla eſſe reliqui, atque adeo maiora. Quod ſi alterum laterũ A B, A C, æquale ſit lateri B C,vel maius, vel etiã vtrumq; maius, perſpicuum quoque eſt,duo latera A B, A C, maiora eſſe reliquo B C. Si vero vtrumque latus A B, A C, aſſumptum latere tertio B C, minus ſit, demonſtrabimus,latera A B, A C, ſimul maiora eſſe latere B C, hac ratione. Perficiatur circulus arcus tertij B C. Deinde ex polo B, nempe ex altero extremo maioris lateris B C,ad interuallũ vtriuſuis arcuum minorum, nimirum ad interuallũ arcus B A, in ſuperficie ſphæræ circulus deſcribatur A D, ſecans arcum B C,qui maior ponitur arcu B A, in D,puncto inter B,& C. Et quoniam



circulus B C, tranſit quoque per reliquum polum circuli A D; ſit alter po- ſchol.10.1.
lus E, qui per ſemicirculũ remotus erit à polo B; ita vt ſemicirculus ſit BCE. Theod.
Cum ergo arcus B C,ſemicirculo minor ſit,exiſtet polus E,vltra punctum C: 2.huius.
Eſt autem punctum D, inter B, & C, vt dictum eſt. Punctum igitur C, inter puncta D, E, cadet. Quare cum ex puncto C, quod extra peripheriam circuli A D,eſt,& præter eiuſdem polum E,ſignatur,ducantur duo arcus maximorum circulorum C B, C A, ſemicirculo minores(quòd latera ſint trianguli ſphæ- 2.huius.
rici A B C.) ad peripheriam A D, erit arcus C D, per polũ B, tranſiens, mi- ſchol. 21.
nor arcu C A. Additis ergo æqualibus arcubus D B, A B; (ſunt autem æqua- 2.Theod.
les,

17.xxiij. les, proptèrea quòd rectæ eos subtendentes æquales sunt, per defin. poli.) erit totus arcus B C, minor duobus arcubus A B, A C; hoc est, duo latera A B, A C, maiora erunt latere B C. Eodemque modo quælibet alia duo latera reliquo maiora demonstrabuntur. In omni ergo triangulo, &c. Quod erat demonstrandum.

THEOR. 3. PROPOS. 4.

IN omni triangulo sphærico, tria latera simul minora sunt integro circulo maximo.

SIT triangulum sphæricum A B C. Dico tria latera simul minora esse integro circulo maximo. Productis enim duobus arcubus quibuslibet B A, B C, donec coeant in D, puncto, (Coibunt autem necessario vltra A, C, quod circulum maximum A C, secent in punctis A, C. vel propterea quòd vterque arcus B A, B C, semicirculo minor est.) erunt duo arcus B A D, B C D, semicirculi; propterea quòd circuli maximi sese bifariam diuidunt. Quoniam verò in triãgulo D A C, latera D A, D C, maiora sunt latere A C; si addantur communes arcus A B, C B, hoc est, aggregatum ex arcubus A B, C B, fient quoque arcus B A D, B C D, maiores tribus arcubus A C, A B, B C; hoc est, tria latera A C, A B, B C, minora erunt duobus semicirculis B A D, B C D, hoc est, integro circulo maximo. In omni ergo triangulo sphærico. &c. Quod demonstrandum erat.

11.1. Theod.
3. huius.

THEOR. 4. PROPOS. 5.

CVM arcus circuli maximi in sphęra super arcum circuli maximi consistens angulos facit; aut duos rectos, aut duobus rectis æquales efficiet.

ARCVS circuli maximi A B, cõsistens super arcum circuli maximi C D, faciat duos angulos sphæricos A B C, A B D. Si igitur circulus arcus A B, per polum circuli arcus C D, transit, secabit omnino arcum C D, ad angulos rectos; atque idcirco anguli A B C, A B D, recti erunt. Si verò arcus A B, per polos arcus C D, non transit, faciet vnum quidem angulũ obtusum, alterũ verò acutum. Dico igitur ipsos duobus esse rectis æquales. Ducatur enim arcus circuli maximi E B, per punctum B, & polum arcus C D; eruntque duo anguli E B C, E B D, recti. Quoniam verò angulus rectus E B D, æqualis est duobus angulis D B A, A B E; apposito communi angulo recto E B C, erunt duo recti E B D, E B C, tribus angulis D B A, A B E, E B C, æquales. Rursus quia angulus

15.1. Theo.
20.1. Theo.
15.1. Theo.



gulus A B C, duobus angulis A B E, E B C, æqualis est; apposito communi angulo A B D, erunt duo anguli A B C, A B D, tribus angulis D B A, A B E, E B C, æquales. Sed eisdem his tribus ostensum fuit esse etiam æquales duos rectos E B D, E B C; quæ autem eidem æqualia, inter se sunt æqualia. Duo igitur anguli A B C, A B D, æquales sunt duobus rectis E B D, E B C. Cum ergo arcus circuli maximi in sphæra, &c. Quod erat ostendendum.

COROLLARIVM.



SEQVITVR ex his, duos arcus duorum angulorum, qui duobus rectis angulis sunt æquales, hoc est, qui ab arcu circuli maximi arcui alterius circuli maximi insistente efficiuntur, quales sunt duo anguli A B C, A B D, semicirculum constituere. Nam si ex polo B, circulus maximus describatur C A D, erunt, ex defin. 6. C A, A D, arcus angulorum A B C, A B D, Perspicuum autem est, arcus C A, A D, semicirculum conficere; cum circuli maximi C B D, C A D, se mutuo secent bifariam in C, D. 11.1.Theod.

THEOR. 5. PROPOS. 6.

SI duo arcus circulorum maximorũ in sphæra se mutuo secuerint, angulos ad verticem æquales inter se efficient.

SECENT se duo arcus A B, C D, circulorum maximorum in sphæra in E, vtcunque. Dico angulos, quos faciunt ad verticem E, inter se esse æquales; angulum videlicet A E D, angulo BEC, & angulum A E C, angulo B E D. Quoniam enim tam anguli A E D, D E B, quàm anguli D E B, B E C, duobus sunt rectis æquales, 5.huius. erunt illi duo his duobus æquales: ablato ergo communi angulo D E B, remanebit angulus A E D, angulo B E C, æqualis. Eademque ratione confirmabimus, angulum A E C, angulo B E D, æqualem esse. Si duo ergo arcus circulorum maximorum, &c. Quod ostendendum erat.



THEOR. 6. PROPOS. 7.

SI duo triangula sphærica duo latera duobus lateribus æqualia habeant, vtrumque vtrique; habeant verò & angulum angulo æqualẽ sub æqualibus arcubus contentũ: Et basim basi æqualem habebunt; eritque triangulũ triangulo æquale, ac reliqui anguli reliquis angulis æquales erunt, vterq; vtrique, sub quibus æqualia latera subtenduntur.

SINT duo triangula sphærica A B C, D E F, habentia duo latera A B, A C, duobus lateribus D E, D F, æqualia, vtrumq; vtriq;, & angulum A, angulo D, æqualem. Dico & basem B C, basi E F, æqualem esse, & triangulum A B C, triangulo D E F, & reliquos angulos B, C, reliquis angulis E, F, vtrumq; vtriq;.



Quoniam enim arcus A B, arcui D E, æqualis ponitur, fit, vt si alter alteri intelligatur superponi in superficie sphæræ, collocato puncto A, in puncto D, & puncto B, in puncto E, plana circulorum A B, D E, sibi mutuo congruant, & proinde arcus AB, arcui D E, congruat. Alias se
11.1.Theod. mutuo secarent bifariam circuli illorum arcuum in A, & B, atq; adeo semicir
2.huius. culi essent A B, D E. quod est absurdum. Est enim semicirculo vterq; minor. Cum ergo angulus A, angulo D, ponatur æqualis, congruet quoq; arcus A C, arcui D F, punctumq; C, in punctum F, cadet, ob æqualitatem arcuum A C, D F. Basis igitur B C, basi E F, congruet quoq;: alias, si supra caderet, aut infra, cuiusmodi est arcus E G F, essent arcus E F, E G F, vel B C,
11.1.Theod. se mutuo secantes in E, F, semicirculi; cum circuli maximi se mutuo secent
2.huius. bifariam. quod est absurdum. Singuli enim semicirculo minores sunt. Quocirca basis B C, basi E F, æqualis erit, cum neutra alteram excedat; & triangulum A B C, triangulo D E F; & anguli B, C, angulis E, F, vterq; vtrique, æquales erunt, ob eandem causam. Quare si duo trangula sphærica, &c. Quod ostendendum erat.

THEOR. 7. PROPOS. 8.

ISOSCELIVM triangulorum sphæricorum, qui ad basim sunt, anguli inter se sunt æquales: Et productis æqualibus arcubus, qui sub basi sunt, anguli inter se æquales erunt.

SIT triangulum sphæricum Isosceles A B C, cuius duo latera A B, A C, æqualia sint. Dico angulos B, C, supra basim B C, æquales esse: Item si producantur arcus æquales A B, A C, infra basim B C, quantumlibet, angulos
3.huius. quoque B, C, sub basi B C, æquales esse. Quoniam enim arcus A B, semicirculo minor est, poterit in eo producto accipi adhuc arcus minor semicircu-
1.huius. lo. Sit igitur arcus A D, semicirculo minor; & ex arcu A E, quantumcunq; producto abscindatur arcus A F, æqualis arcui A D; & per duo puncta B, F,
20.1.Theo. nec non per C, D, ducantur duo arcus maximorum circulorum B F, C D. Quia ergo duo latera A B, A F, trianguli A B F, æqualia sunt duobus lateribus A C, A D, trianguli A C D, vtrumque vtrique, continentq; angulum
7.huius. communem A; erit basis B F, basi C D, æqualis, & anguli A B F, & F, angulis A C D, & D. Rursus, quoniam arcus A D, A F, æquales sunt; si demantur

tur æquales A B, A C, erunt & B D, C F, æquales. Quare duo latera D B, D C, trianguli D B C, æqualia sunt duobus lateribus F C, F B, trianguli F C B: quæ cum contineant angulos æquales D, F, vt ostendimus, erunt & anguli D B C, D C B, angulis F C B, F B C, æquales. Quòd si ex angulis A B F, A C D, quos ostendimus æquales esse, auferantur anguli F B C, D C B, quos etiam æquales esse demonstrauimus, remanebunt anguli A B C, A C B, supra basim B C, æquales: Ostensum est autem & angulos D B C, F C B, infra eandem basim B C, esse æquales. Igitur & anguli supra basim inter se, & anguli infra eandem inter se æquales sunt. Quam ob rem Isoscelium triangulorum sphæricorum, &c. Quod demonstrandum erat. 7. huius.



COROLLARIVM.

HINC manifestum est, omne triangulum sphæricum æquilaterum, esse quoque æquiangulum.

THEOR. 8. PROPOS. 9.

SI trianguli sphærici duo anguli æquales inter se fuerint: Et sub æqualibus angulis subtensa latera æqualia inter se erunt.

IN triangulo A B C, sint duo anguli B, C, supra latus B C, æquales. Dico latera quoque A B, A C, illis subtensa esse æqualia. Si enim non sunt æqualia, sit, si fieri potest A B, maius. Et quoniam arcus A C, minor est semicirculo, abscindatur ex arcu maiore A B, arcus B D, arcui minori A C, æqualis; & per puncta C, D, arcus circuli maximi ducatur C D. Quoniam ergo duo latera A C, C B, trianguli A C B, æqualia sunt duobus lateribus D B, B C, trianguli D B C, continentq; angulos æquales A C B, D B C; erunt triangula A C B, D B C, æqualia, totum & pars. Quod fieri non potest. Non ergo inæqualia sunt latera A B, A C, sed æqualia. Si trianguli igitur sphærici duo anguli, &c. Quod erat ostendendum. 2. huius. 1. huius. 20. 1. Theo. 7. huius.



COROLLARIVM.

SEQVITVR hinc, omne triangulum sphæricum æquiangulum, esse quoque æquilaterum.

PROBL. 2. PROPOS. 10.

AD datum arcum circuli maximi in ſphæra, datumq́; in eo punctum, dato angulo ſphærico æqualem angulum ſphæricum conſtituere.

SIT datus arcus maximi circuli in ſphæra A B, datumq; in eo punctum C, oporteatq́; dato angulo ſphærico D, ad punctum C, æqualem angulum ſphæricum conſtituere. Productis arcubus D E, D F, angulum D, continen-
20.1.Theo. tibus quantumlibet, ſumatur quadrans D G; atq; per G, & polum circuli D E, arcus circuli maximi ducatur G H, ſecans arcum D F, in H.
25.1.Theo. Erit igitur angulus G, rectus. Deinde ſumpto
20.1.Theo. quoque quadrante C I, ducatur per I, & polum circuli A B, arcus maximi circuli I K. Erit
25.1.Theo. igitur & angulus I, rectus. Poſtremo, quia ar-
2. huius. cus G H, ſemicirculo
1. huius. minor eſt, abſcindatur
20.1.Theo. ei arcus I K, æqualis, ducaturque per C, K, arcus circuli maximi C K. Dico angulum C, æqualem eſſe angulo D. Cum enim latera D G, G H, æqualia ſint lateribus C I, I K, contineantque angulos æquales, vt pote rectos; æqua-
7. huius. les erunt anguli D, & C. Ad datum ergo arcum circuli maximi, &c. Quod faciendum erat.



THEOR. 9. PROPOS. 11.

OMNIS trianguli ſphærici maior angulus maiori lateri ſubtenditur. Et maius latus maiorem angulum ſubtendit.

IN triangulo ſphærico A B C, ſit angulus A C B, angulo A, maior. Dico latus A B, maius eſſe latere B C. Quoniam angulus
10. huius. A C B, maior ponitur angulo A, fiat angulus ACD, angulo A, æqualis, ſecetque arcus C D, arcum A B, in D. Quoniam igitur in triangulo A D C, anguli
9. huius. A, & A C D, æquales ſunt; erunt & latera A D, C D, æqualia. Addito ergo communi arcu D B, erunt arcus B D, D C, æquales arcui A B: Sed arcus B D,
3. huius. D C, ſimul maiores ſunt arcu B C. Igitur & arcus A B, eodē arcu B C, maior erit. Quod eſt propoſitū.



SED iam in triangulo sphærico A B C, latus A B, maius sit latere B C. Dico angulum C, maiorem esse angulo A. Si enim angu lus C, maior non est angulo A, erit vel ei æqualis, vel minor. Si est æqualis, erunt latera A B, C B, 9.huius. æqualia. Quod est absurdum, cum A B, ponatur maius, quàm C B: Si vero minor est angulus C, angulo A, erit latus B C, latere A B, maius, vt iã ostensum est. Quod etiam absurdum est. ponitur enim A B, maius, quàm B C. Cum ergo angulus C, æqualis non sit, neque minor angulo A, erit vtique maior. Quod est propositum. Omnis ergo trianguli sphærici maior angulus, &c. Quod erat ostendendũ.

THEOR. 10. PROPOS. 12.

SI duo triangula sphærica duo latera duobus lateribus æqualia habuerint, vtrumque vtrique, angulum verò angulo maiorem sub æqualibus arcubus contentum: Et basim basi maiorem habebunt. Quòd si basim basi maiorem habuerint: Et angulum sub æqualibus arcubus contentum angulo maiorem habebunt.

SINT duo latera A B, A C, trianguli A B C, æqualia duobus lateribus D E, D F, trianguli D E F, sed angulus E D F, maior sit angulo A. Dico basim E F, maiorem quoque esse basi B C. Sint enim primum triangula hæc sphærica Isoscelia, & ex D, polo per puncta E, F, arcus circuli describatur in superficie sphæræ E G F, qui circulus, si maximus fuerit, idem erit omnino, qui E F: alias, cum maximi circuli se bifariam secent, esset E F, semicirculus. quod est absurdum, cum sit semicirculo minor. Tunc autem circulus arcus E G F, maximus erit, cum arcus D E, D F, quadrantes fuerint; quòd maximus circulus quadrante absit à suo polo. Sit ergo iam arcus E G F, maximi circuli, & idem, qui E F, fiatque angulus F D G, angulo A, æqualis. Erit arcus D G, arcui D E, atque adeo & arcui A B, æqualis: propterea quòd rectæ subtendentes D E, D G, ex defin. poli, æquales sunt. Quia igitur latera A B, A C, æqualia sunt lateribus D G, D F, angulosque continent æquales; æquales erunt bases B C, G F. Cum ergo arcus E F, maior sit arcu G F, maior quoque erit arcus E F, arcu B C. Quod est propositum.

11.1.Theo. 8.huius. Coroll. 16. 1.Theod. 10.huius. 28.tertij. 7.huius.



QVOD si circulus ex polo D, per puncta E, F, descriptus non fuerit maximus,

ximus, atque adeò idem non ſit, qui E F; ſed vel cadat infra arcum E F , ſiue
10.huius. ſupra , (nihil enim intereſt , quocunque cadat .) fiat nihilominus angulus
28.tertij. F D H, angulo A, æqualis: eritque rurſus arcus D H, arcui D E, hoc eſt, ar-
cui A B, æqualis; eo quòd rectæ ſubtendentes D E, D H, æquales ſint, ex de-
10.1.Theo. fin. poli . Ducto igitur per puncta F, H, arcu circuli maximi F H; cum latera
A B, A C, lateribus D H, D F, æqualia ſint, anguloſque contineant æquales;
7.huius. erunt & baſes B C, H F , æquales. Quoniam verò circulus maximus D F, per
15.1.Theo. D, polum circuli E H F, tranſiens eum bifariam ſecat; erit arcus E H F, ſemi-
circulo minor;(quia arcus à puncto F, per E, vſque ad illud punctum, in quo,
ſi protractus eſſet vltra E , ſecaretur ab arcu F D , ad partes D , producto , eſt
ſemicirculus : quandoquidem circulus arcus E H F, bifariam ſecatur a circulo
15. tertij. arcus F D, vt dictum eſt.)atque adeo recta F E, maior, quàm recta F H, in eo-
dem circulo : quia illa propinquior eſt centro circuli E H F, hoc eſt , diame-
tro, quàm hæc. Cum ergo circuli arcuum E F, H F, maximi ſint, ideoq; æqua-
2.huius. les; ſit autem vterque arcus E F, H F, ſemicirculo minor; erit arcus E F, ma-
Schol. 28. tertij. ior arcu H F: Oſtenſus autem eſt arcus H F, æqualis arcui B C . Maior igitur
erit quoque arcus E F, arcu B C. Quod eſt propoſitum.

SINT deinde triangula propoſita non Iſoſcelia , ſed latus A B, maius
ſit latere A C, ac proinde & latus D E, maius latere D F. Producto ergo arcu
1.huius. D F, ad partes F , abſciſſoque arcu D G, æquali ipſi D E , qui minor eſt ſe-
2.huius. micirculo, deſcribatur ex polo D, per pun
cta E , G , arcus circuli E H G , ſiue maxi-
ximus is ſit , ſiue non maximus . Fiat rur-
10.huius. ſus angulus F D H , angulo A , æqualis;
28. tertij. eritque arcus D H, arcui D E, hoc eſt, ar-
cui A B, æqualis ; eò quòd rectæ ſubtenſæ
D H, D E, æquales ſint, ex defin. poli. Du-
cto igitur per puncta H , F, arcu circuli
7.huius. maximi H F, erit, vt prius, arcus B C, ar-
cui H F, æqualis. Quoniam verò circulus
maximus D G, per D, polum circuli E G,
ducitur, eſtque punctum F , intra periphe-



riam circuli E G, (nempe inter circulum, & polum D.) & præter eius polum;
Schol. 21. 1.Theod. erit arcus F E, maior arcu F H , cum ille propinquior ſit arcui F D , per po-
lum D, tranſeunti, & vterque arcus F E, F H, ſemicirculo ſit minor: propte-
rea quòd non ſe interſecant , niſi in puncto F : Oſtenſus eſt autem arcus H F,
arcui B C, æqualis . Maior ergo erit quoque arcus E F, arcu B C . Quod eſt
propoſitum.

SED iam baſis E F , maior ſit baſi B C.
Dico & angulum D , maiorem eſſe angulo
A. Si enim angulus D, maior non eſt angu-
lo A, erit vel æqualis, vel minor. Si æqualis
9.huius. dicatur eſſe , erit arcus E F , æqualis arcui
B C. quod eſt abſurdum. Ponitur enim arcus
E F, maior arcu B C . Si verò minor dicatur
eſſe angulus D, angulo A, erit, vt iam oſten
ſum eſt , arcus B C , maior arcu E F. quod
etiam abſurdum eſt , cum E F, maior pona-
tur,



tur, quàm B C. Cum ergo angulus D, neque æqualis ſit angulo A, neque minor, erit vtique maior. Quod eſt propoſitum. Itaque ſi duo triangula ſphærica, &c. Quod demonſtrandum erat.

THEOR. 11. PROPOS. 13.

DVO ſemicirculi maximorum circulorum ſe mutuo ſecantes continent duos angulos inter ſe æquales.

DVO ſemicirculi maximorum circulorum A B C, A D C, ſe mutuo ſecent in A, C. Dico angulos A, & C, æquales eſſe. Diuiſo enim ſemicirculo A B C, in B, bifariam, vt A B, B C, quadrantes ſint, ducatur per B, & polum circuli A B C, arcus circuli maximi B D, ſecans arcũ A D C, in D; eritq; angulus B, ex vtraque parte rectus. Quia igitur duo latera A B, B D, duobus lateribus C B, B D, æqualia ſunt, cõtinentq; angulos æquales, vtpote rectos; erunt & anguli A, & C, æquales. Quare duo ſemicirculi maximorum circulorum, &c. Quod demonſtrandum erat. 10.1. Theo. 15.1. Theo. 7. huius.



THEOR. 12. PROPOS. 14.

CVIVSCVNQVE trianguli ſphærici vno latere producto, ſi reliqua latera ſimul ęqualia ſint ſemicirculo, erit angulus externus æqualis angulo interno oppoſito ſupra arcum productum: Si verò minora ſint ſemicirculo, erit angulus externus eodem interno oppoſito maior: ſi denique maiora ſint ſemicirculo, idem angulus externus dicto angulo interno oppoſito minor erit.

IN triangulo ſphærico A B C, producatur latus B C, ad D, & ſint primum reliqua duo latera A B, A C, ſimul ſemicirculo æqualia. Dico angulum externum ACD, æqualem eſſe interno oppoſito B, ſupra arcum productum B C, &c. Coeat enim arcus B A, productus cum arcu B C, producto in D; eritque B A D, ſemicirculus. Quia vero arcus B A, 11.1. Theo.



AC,

A C, æquales ponuntur ſemicirculo BAD; dempto communi arcu B A, erunt
8.huius. reliqui arcus A C, A D, æquales. Quare & angulus A C D, angulo D, æqua-
13.huius. lis erit. Cum igitur anguli B, & D, ſint quoque æquales, æqualis quoque erit angulus A C D, angulo B. quod eſt propoſitum.



SINT deinde duo latera A B, A C, minora ſemicirculo B A D. Dempto ergo com muni arcu A B, erit reliquus A C, reliquo
11.huius. A D, minor; ac propterea angulus A C D,
13.huius. maior angulo D, hoc eſt, angulo B, qui angulo D, æqualis eſt. Quod eſt propoſitum.

SINT poſtremo latera A B, A C, maiora ſemicirculo B A D. Dempto igitur cõmuni arcu A B, erit reliquus A C, reliquo
11.huius. A D, maior; ac propterea angulus D, maior erit angulo A C D. Cum ergo
13.huius. angulo D, æqualis ſit angulus B, erit quoque angulus B, maior angulo ACD, hoc eſt, angulus A C D, angulo B, minor erit. Cuiuſcunque ergo trianguli, &c. Quod erat oſtendendum.

THEOR. 13. PROPOS. 15.

SI cuiuſcunque trianguli ſphærici vno latere producto, externus angulus æqualis fuerit interno oppoſito ſupra arcum productum, erunt duo reliqua latera ſimul æqualia ſemicirculo: Si verò angulus externus maior fuerit interno eodem, & oppoſito, erunt duo reliqua latera ſemicirculo minora: Si deniq; externus angulus interno oppoſito dicto minor fuerit, erunt duo latera reliqua ſemicirculo maiora.

POSITO eodem triangulo ſphærico, & conſtructione figuræ eadem;



Sit primum angulus A C D, externus æqualis interno oppoſito B. Dico latera A B, A C, ſemicirculo eſſe æqualia, &c. Cum enim
13.huius. angulus B, angulo D, æqualis ſit, erit quoque angulus A C D, angulo D, æqualis;
9.huius. ideoq; & arcus A C, A D, æquales erunt. Addito ergo communi arcu A B, erunt duo arcus A B, A C, ſemicirculo B A D, æquales. Quod eſt propoſitum.

13.huius. SIT deinde angulus A C D, maior angulo B, hoc eſt, angulo D, qui an-
11.huius. gulo B, æqualis eſt; eritq; arcus A D, maior arcu A C. Addito ergo communi arcu

ni arcu A B, erunt duo arcus A B, A C, minores ſemicirculo B A D. Quod eſt propoſitum.

SIT poſtremò angulus A C D, minor angulo B, hoc eſt, angulo D, qui angulo B, æqualis eſt; eritque arcus A C, maior arcu A D. Addito ergo communi arcu A B, erunt duo arcus A B, A C, maiores ſemicirculo B A D. Quod eſt propoſitum. Si igitur cuiuſcunque trianguli ſphærici, &c. Quod erat demonſtrandum. 15.huius. 11.huius.

THEOR. 14. PROP. 16.

SI cuiuſcunque trianguli ſphærici duo latera ſimul æqualia ſint ſemicirculo, erunt duo anguli ſupra baſim duobus rectis æquales: Si verò minora ſint ſemicirculo, erunt duobus rectis minores: Si denique ſemicirculo ſint maiora, erunt duobus rectis maiores.

IN triangulo ſphærico A B C, ſint primum duo latera A B, A C, ſemicirculo æqualia. Dico duos angulos B, C, eſſe æquales duobus rectis, &c. Producto enim arcu B C, ad D, erit angulus A C D, angulo B, æqualis. Cum 14.huius. ergo duo anguli ad C, duobus ſint rectis æquales; erũt quoque duo anguli B, & A C B, æquales duobus rectis. 5 huius.



SINT deinde latera A B, A C, ſemicirculo minora. Cum ergo duo anguli ad C, ſint duobus rectis æquales; & angulus B, minor ſit angulo A C D; erunt anguli B, & A C B, duobus rectis minores. 5.huius. 14.huius.

SINT tandem latera A B, A C, ſemicirculo maiora. Quoniam igitur duo anguli C, ſunt duobus rectis æquales, eſtque angulus B, maior angulo A C B; erunt anguli B, & A C B, maiores duobus rectis. Si igitur cuiuſcunque trianguli ſphærici, &c. Quod erat oſtendendum. 5.huius. 14.huius.

THEOR. 15. PROP. 17.

SI cuiuſcunque trianguli ſphærici duo anguli ſupra vnum latus duobus rectis æquales fuerint, erunt reliqua duo latera ſemicirculo æqualia: Si vero duobus rectis fuerint minores, erunt minora ſemicirculo: Si denique maiores extiterint duobus rectis, erunt ſemicirculo maiora.

POSITO eodem triangulo sphærico, & constructione figuræ eadem; Sint primum duo anguli B, C, duobus rectis æquales supra latus B C. Dico reliqua duo latera A B, A C, semicirculo æqualia esse, &c. Cum enim & anguli duo ad C, æquales sint duobus rectis; dempto communi angulo A C B, remanebit angulus A C D, angulo B, æqualis. Quare semicirculo æquales sunt arcus A B, A C.

5.huius. 35.huius.



SINT deinde anguli B, A C B, duobus rectis minores. Cum ergo duo anguli ad C, sint duobus rectis æquales; dempto communi angulo A C B, remanebit angulus A C D, maior angulo B. Arcus ergo A B, A C, semicirculo sunt minores.

5.huius. 35.huius.

SINT denique anguli B, A C B, duobus rectis maiores. Cum ergo duo anguli ad C, sint æquales duobus rectis; si dematur communis angulus ACB, erit reliquus A C D, reliquo B, minor; atque adeo arcus A B, A C, semicirculo maiores. Quo circa si cuiuscunque trianguli sphærici, &c. Quod ostendendum erat.

5.huius. 15.huius.

THEOR. 16. PROP. 18.

SI duo triangula sphærica habeant tria latera tribus lateribus æqualia, singula singulis: habebũt & tres angulos tribus angulis æquales, singulos singulis, sub quibus æqualia latera subtenduntur.

SINT duo triangula sphærica A B C, D E F, habentia tria latera A B, A C, B C, tribus lateribus D E, D F, E F, singula singulis, æqualia. Dico & angulos tres A, B, C, tribus angulis D, E, F, singulos singulis, esse æquales, sub quibus æqualia subtenduntur latera. Si enim angulus A, (vt ab hoc angulo incipiamus.) non est æqualis angulo D, erit vel maior eo, vel minor. Si maior, erit basis B C, maior quoque basi EF. Quod est absurdũ. ponuntur enim latera B C, E F, æqualia. Si verò minor est angulus A, angulo D, erit basis E F, maior basi B C. Quod rursum est absurdum, cum æquales ponantur. Cum ergo angulus A, neque maior sit, neque minor angulo D, erit vtique illi æqualis. Igitur & reliqui anguli B, C, angulis reliquis E, F, æquales erunt, nempe B, ipsi E, & C, ipsi F. Si duo ergo triangula sphærica, &c. Quod erat ostendendum.

12.huius. 12.huius. 7.huius.



THEOR. 17. PROPOS. 19.

SI duo triangula sphærica habeant tres angulos tribus angulis, singulos singulis, æquales: habe-

bunt

bunt & tria latera tribus lateribus æqualia, ſingula ſingulis, quæ æquales angulos ſubtendunt.

HABEANT duo triangula ſphærica A B C, D E F, tres angulos A, B, C, tribus angulis D, E, F, ſingulos ſingulis, æquales. Dico & tria latera A B, A C, B C, tribus lateribus D E, D F, E F, eſſe æqualia, ſingula ſingulis, quæ angulos æquales ſubtendunt. Si enim latera B C, E F, (vt ab his lateribus exordiamur.) non ſunt æqualia, ſit B C, ſi fieri poteſt, maius; & abſcindatur arcus B G, arcui E F, æqualis. 1.huius. Aut ergo arcus B A, æqualis eſt arcui E D, aut maior, aut minor. Quodcunque horũ dicatur, ſequetur abſurdũ ex eo, quòd inæqualia dicuntur eſſe latera B C, E F, nempe B C, maius, quàm E F. Sit enim primum arcus B A, arcui E D, æqualis; ducaturq́ue per puncta 20.1. Theo. A, G, arcus maximi circuli A G. Igitur cum latera B A, B G, æqualia ſint lateribus E D, E F, anguloſq́ue contineãt æquales B, E, ex hypotheſi; erunt anguli B A G, & D, æquales: Eſt autem angulus D, poſitus æqualis angulo BAC. 7.huius. Angulus igitur B A G, æqualis erit quoque angulo B A C, pars toti. Quod eſt abſurdum.



SIT deinde arcus B A, maior arcu E D, & abſcindatur arcus B I, æqualis ipſi E D; 1.huius. ac per puncta G, I, arcus circuli maximi ducatur G I, conueniens 20.1.Theo. cum arcu C A, protracto in H. Quoniam igitur latera B I, B G, æqualia ſunt lateribus E D, E F, anguloſq́ue continent æquales B, E; erunt anguli B I G, 7.huius. B G I, angulis D, F, hoc eſt, angulis B A C, B C A, æquales; quod his duobus æquales ſint poſiti D, & F; ſunt autem anguli B I G, B A C, angulis H I A, 6.huius. H A K, ad verticem æquales. Aequales ergo ſunt & anguli H A K, H I A. Igitur cum & angulus B G H, externus æqualis ſit interno B C H, & externus H A K, interno H I K, vt oſtendimus: erunt tam arcus A H, H I, quam arcus 15.huius. C H, H G, ſemicirculo æquales; atque adeo arcus A H, H I, arcubus C H, H G, æquales erunt, pars toti. Quod eſt abſurdum.

SIT tandem arcus B A, minor arcu E D, producaturq́ue vltra A, & ex eo abſcindatur arcus B K, æqualis arcui E D; atque per puncta G, K, arcus cir- 1.huius. culi maximi ducatur G K, ſecans arcum A C, in L. Quoniam ergo latera B K, 20.1. Theo. B G, lateribus E D, E F, æqualia ſunt, anguloſque continent æquales B, E; erunt & anguli B K G, B G K, angulis D, F, hoc eſt, angulis B A C, B C A, 7.huius. (quòd his duobus æquales ſint poſiti anguli D, F.) æquales. Itaque cum & angulus B A L, externus æqualis ſit interno B K L, & externus B G L, interno B C L, vt oſtendimus, erunt tam arcus A L, L K, quàm arcus C L, L G, 15.huius. ſemicirculo æquales; ac proinde duo arcus A C, G K, integro circulo æquales erunt. Quod eſt abſurdum, cum vterque arcus A C, G K, ſemicirculo ſit 1.huius. minor. Non ergo inæqualia ſunt latera B C, E F, ſed æqualia. Eodemq́ue modo oſtendemus, latera A C, D F, nec non A B, D E, æqualia eſſe. Tria ergo latera trianguli A B C, tribus lateribus trianguli D E F, æqualia ſunt. Quare ſi duo triangula ſphærica, &c. Quod oſtendendum erat.

THEOR. 18. PROPOS. 20.

SI duo triangula ſphærica duos angulos duobus angulis æquales habuerint, vtrumque vtrique, vnumque latus vni lateri æquale, quod æqualibus adiacet angulis: Et reliqua latera reliquis lateribus æqualia, vtrumque vtrique, & reliquum angulum reliquo angulo æqualem habebunt.

DVO triangula ſphærica A B C, D E F, habeant duos angulos B, C, duobus angulis E, F, æquales vtrumque vtrique, & latus B C, lateri E F, æquale, quod æqualibus angulis adiacet. Dico & reliqua latera A B, A C, reliquis lateribus D E, D F, æqualia eſſe, vtrumq; vtrique, & reliquum angulum A, reliquo angulo D. Si enim latera A B, D E, (vt ab his exordiamur.) non ſunt æqualia, ſit A B, maius, & abſcindatur arcus B G, arcui D E, æqualis, & per puncta C, G, arcus circuli maximi ducatur C G. Quoniam igitur latera G B, B C, æqualia ſunt lateribus D E, E F, anguloſque comprehendunt æquales B, E, ex hypotheſi;



1.huius.

20.1.Theo.

7.huius. erunt & anguli B C G, & F, æquales: Sed F, æqualis ponitur ipſi B C A. Igitur & angulus B C G, eidem B C A, æqualis erit, pars toti. Quod eſt abſurdum. Non ergo inæqualia ſunt latera A B, D E, ſed æqualia. Quare cum latera A B, B C, lateribus D E, E F, æqualia ſint, anguloſque comprehendant æquales B, E; erunt & latera A C, D F, æqualia, &

7.huius. anguli A, D, æquales. Quapropter ſi duo triangula ſphærica duos angulos, &c. Quod oſtendendum erat.

THEOR. 19. PROPOS. 21.

SI fuerint duo triangula ſphærica rectangula, habuerintque duos alios angulos æquales, & non rectos, nec non duo latera æqualia, quæ ſub rectis angulis ſubtenduntur: Erunt & duo reliqua latera duobus lateribus æqualia, vtrumque vtrique, & reliquus angulus reliquo angulo æqualis erit.

SINT in duobus triangulis ſphæricis A B C, D E F, anguli B, E, recti, & duo anguli C, F, æquales, & non recti, nec non latera A C, D F, rectos angulos

gulos subtendentia, æqualia. Dico & reliqua latera A B, B C, reliquis lateribus D E, E F, æqualia esse, vtrumque vtrique; Item & reliquos angulos A, D, esse æquales. Productis enim arcubus A C, B C, abscindatur arcus C H, arcui F D, hoc est, arcui C A, & arcus C G, arcui F E, æqualis; & per puncta G, H, describatur arcus G H, maximi circuli. Et quoniã latera C H, C G, æqualia sunt lateribus F D, F E, angulosque continent æquales G C H, & F; (Est enim ex hypothesi angulus F, angulo A C B, æqualis, & A C B, ipsi G C H, ad verticem æqualis,) erunt & bases G H, E D, æquales, & anguli G, H, angulis E, D, æquales; ac propterea, existente angulo E, recto, erit & angulus G, rectus. Ducatur iam per C, & polum arcus B G, in vtramque partem arcus circuli maximi I C K, sitque I, polus arcus B G. Et quia circuli arcuum B A, H G, transeunt quoque per polos eiusdem arcus B G, ob angulos rectos B, G; conuenient arcus B A, G H, protracti cum arcu C I, in polo I. Conueniat quoque arcus G H, ex altera parte cum eodem arcu I C K, in K, puncto, quod alter polus erit arcus B G, cum vterque arcus I C K, I G K, per alterum polum arcus B G, transeat. Erunt igitur tres arcus I B, I C, I G, æquales; propterea quòd rectæ subtensæ illis inter se æquales sunt, ex definitione poli: Similiterque æquales erunt arcus K C, K G. Quoniam verò anguli I C G, I G C, æquales sunt angulis K C G, K G C, cum omnes sint recti; quòd I, polus sit arcus B G; illisque adiacet latus commune C G; erunt latera I C, I G, lateribus K C, K G, æqualia, vtrunque vtrique; ac propterea cum I G, arcus arcui I B, æqualis sit ostensus, erit & arcus K G, eidem arcui I B, æqualis. Et quoniam latera I C, C A, æqualia sunt lateribus K C, C H, (factus enim est arcus C H, arcui A C, æqualis.) angulosque ad verticẽ continent æquales; erunt bases I A, K H, & anguli I A C, K H C, æquales. Ablatis ergo arcubus æqualibus I A, K H, ex arcubus æqualibus I B, K G, & angulis æqualibus I A C, K H C, ex binis ad A, & H, quorum bini duobus rectis æquales sunt; remanebunt & arcus A B, H G, & anguli B A C, G H C, æquales: ostensus est autem arcus H G, arcui D E, & angulus GHC, angulo D, equalis. Igitur & arcus A B, arcui D E, & angulus B A C, angulo D, æqualis erit. Quare cum latera A B, A C, æqualia sint lateribus D E, D F, angulosque complectantur æquales; erunt & arcus B C, E F, æquales. Sunt ergo latera A B, B C, lateribus D E, E F, æqualia, & angulus B A C, angulo D. Quamobrem, si fuerint duo triangula sphærica rectangula, &c. Quod demonstrandum erat.



1. huius. 20.1. Theo. 6. huius. 7. huius. 20.1. Theo. 13.1. Theo. Coroll. 10. 1. Theod. 28. tertij. 15.1. Theo. 10. huius. 6. huius. 7. huius. 5. huius. 7. huius.

SCHOLIVM.

DEBENT *autem latera æqualia sub rectis angulis subtendi. Alioquin, si alios angulos subtenderent, nihil certi colligi posset. Sit enim triangulum sphæricum quodcunque* A B C, *habens duo latera* A B, A C, *inæqualia inter se, sed simul semicirculo æqualia: producto verò latere* C B, *ad partes* B, *ducatur per* A, *& polum arcus* C D, *arcus* A D, *circuli maximi secans* C D, *in* D; *eritq; angulus* D, *rectus. Quoniam igitur arcus* A B, A C, *semicirculo sunt æquales, erit angulus* A B D, *angulo* C, *æqua-* 20.1. Theo. 15.1. Theo. 14. huius.

C, æqualis. Itaq; duo triangula ADB, ADC, *angulum rectum* D, *habent communem, & duos angulos* ABD, *&* C, *æquales, & non rectos: (alias latera* AB, AC, *æqualia essent, propter angulos* B, C, *rectos, & æquales:) nec non latus* AD, *æquales angulos non rectos subtendens, commune: Et tamen nec reliqua latera* AB, BD, *reliquis lateribus* AC, CD, *æqualia sunt, vtrumque vtrique, nec reliquus angulus* BAD, *reliquo angulo* CAD, *vt perspicuum est. Hoc autem inde prouenit, quòd latera æqualia non subtendunt rectos angulos, sed latus commune* AD, *angulos æquales non rectos subtendit.*

9. huius.



Error Nicolai Copernici.

QVAMOBREM *decipitur* Nicolaus Copernicus *lib.* 1. *Reuolutionum propos.* 6. *triãgulorũ sphæricorum, vbi dicit.* [Si bina triangula rectum angulum, ac insuper alium equalem habuerint, alterum alteri, vnumq; latus vni lateri æquale, quod alterutri equaliũ angulorum (etiã non recto, vt in demonstratione dicit) opponitur; reliqua quoque latera reliquis lateribus, alterũ alteri, ac angulum angulo, reliquũ reliquo æqualem habebunt.] *Oppositum enim apparuit in triangulis rectangulis* ADB, ADC, *in quibus latus commune* AD, *opponitur angulis æqualibus* ABD, ACD, *non rectis.*

Alius error Nicolai copernici.

Vnde verum non semper est, quod idem Copernicus docet ibidem propos. 4. *vbi ait.* [In quocunq; triãgulo rectum angulum habente, alius insuper angulus fuerit datus, cum quolibet latere, reliquus etiam angulus cum reliquis lateribus dabitur.] *Quamuis enim angulus rectus* D, *& angulus* ABD, *noti sint, cum latere* AD, *quod angulo noto* ABD, *non recto opponitur, non tamen propterea in cognitionem reliqui anguli, & reliquorum laterum veniemus, cum reliqua latera possint esse vel* AB, BD, *vel* AC, CD, *& reliquus angulus vel* BAD, *vel* CAD, *vt perspicuum est. Oportebit ergo aliquid aliud præterea constare, antequam reliquus angulus cum reliquis lateribus colligatur, vt in scholio propos.* 45. *docebimus.*

THEOR. 20. PROPOS. 22.

SI fuerint duo triangula sphærica, quæ duos angulos habeant duobus angulis æquales, vtrumque vtrique, vnumq; latus vni lateri æquale, quod vni æqualium angulorum subtenditur, duo verò latera subtendẽtia reliquos angulos æquales equalia non sint semicirculo, sed vel maiora, vel minora: Erunt & duo reliqua latera duobus reliquis lateribus æqualia, vtrumque vtrique, & reliquus angulus reliquo angulo æqualis erit.

HABEANT duo triangula sphærica ABC, DEF, duos angulos B, C, duo-

C, duobus angulis E, F, æquales, vtrumque vtrique, & latera A C, D F, subtendentia angulos æquales B, E, inter se æqualia, reliqua verò latera A B, D E, subtendentia alios æquales angulos C, F, non æqualia sint semicirculo, sed vel maiora, vel minora. Dico reliqua latera C B, B A, reliquis lateribus F E, E D, esse æqualia, vtrumque vtrique, & reliquos quoque angulos A, D, esse æquales. Si enim C B, & F E, non sunt æqualia, sit C B, maius, & abscindatur C G, arcus arcui F E, æqualis, & per A, G, arcus circuli maximi ducatur AG. Quoniam igitur latera A C, C G, lateribus D F, F E, æqualia sunt, angulosque continent æquales C, F; erunt & arcus A G, D E, & anguli A G C, & E, æquales: Positus est autem angulus E, angulo B, æqualis. Aequalis igitur est etiam angulus A G C, angulo B; ac propterea arcus A B, A G, semicirculo æquales erunt. Cum ergo arcus A G, arcui D E, ostensus sit æqualis, erunt quoque arcus A B, D E, semicirculo æquales: Ponuntur autem & non æquales semicirculo. Quod est absurdum. Non ergo inæquales sunt arcus C B, F E, sed æquales. Quare cum latera A C, C B, sint æqualia lateribus D F, F E, angulosque æquales contineant C, F; erunt & arcus A B, D E, & anguli B A C, & D, æquales. Si igitur fuerint duo triangula sphærica, &c. Quod demonstrandum erat.



1.huius.
20.1. Theo.
7.huius.
15.huius.
7.huius.

SCHOLIVM.

DIXIMVS, *duo latera subtendentia reliquos angulos æquales, non debere esse æqualia semicirculo. Nam alias propositio vera non esset. Sit enim triangulum sphæricum* A B C, *quodcunq; habens duo latera* A B, A C, *inæqualia inter se, sed simul semicirculo æqualia: Producto autem latere* B C, *vsque ad* D, *ita tamen, vt* B D, *semicirculo sit minor, ducatur per* A, D, *arcus circuli maximi* A D. *Quoniam igitur arcus* A B, A C, *semicirculo æquales sunt, erit angulus* A C D, *angulo* B, *æqualis. Itaq; duo triangula* ABD, A C D; *duos angulos* B, D, *duobus angulis* C, D, *æquales habent, vtrumque vtrique, & latus* A D, *commune, quod æqualibus angulis* B, C, *subtenditur; & tamen neque reliqua latera* A B, B D, *reliquis lateribus* A C, CD, *æqualia sunt, vtrumque vtrique, neque reliquus angulus* B A D, *reliquo angulo* C A D, *vt perspicuum est. Hoc autem ideò contingit, quod latera* A B, A C, *semicirculo sunt æqualia.*



20.1. Theo.
14.huius.

NICOLAVS *ergo Copernicus lib.* 1. *Reuolutionum propos.* 12. *triangulorum sphæricorum hallucinatur, cum docet, omne triangulum sphæricum, cuius duo anguli vtcunque dati fuerint, cum aliquo latere, datorum effici angulorum, & laterum. Nam in triangulo* A C D, *licet duo anguli* D, *&* A C D, *noti sint cum latere* A D, *non tamen ex hoc perueniemus in notitiam reliquorum laterum, & reliqui anguli: cum reliqua latera esse possint vel* A C, C D, *vel* A B, B D, *&c. Oportebit ergo præterea aliquid aliud constare, antequam reliquus angulus, cum reliquis lateribus cognoscatur, vt in scholio propos.* 45. *dicemus.*

Error Nicolai Copernici.

THEOR.

THEOR. 21. PROPOS. 23.

Si fuerint duo triangula sphærica, quæ duos angulos duobus angulis habeant ęquales, vtrumque vtrique, duoque latera duobus lateribus circa reliquum angulum æqualia, vtrumque vtrique, & in reliquo angulo dicto non sit polus reliqui lateris: Erit & reliquum latus reliquo lateri, & reliquus angulus reliquo angulo æqualis.

IN duobus triangulis sphæricis A B C , D E F , sint anguli B , C , angulis E, F, æquales, vterque vtrique, & latera A B , A C , circa reliquum angulum A, æqualia lateribus D E, D F, vtrumque vtrique, non sint autem A, D, poli arcuum B C, E F. Dico & reliqua latera BC, E F, æqualia esse, & reliquos angulos A, D. Si enim arcus B C, EF, non sunt æquales, sit BC, maior, abscindaturque arcus C G, æqualis ipsi F E, & per puncta A, G, arcus maximi circuli describatur A G. Quoniã igitur latera AC, C G, æqualia sũt lateribus D F, F E, angulosq; æquales continent C , F ; erunt & arcus A G, D E, & anguli A G C, & E, æquales : Ponitur autem arcus D E, arcui A B, & angulus E, angulo B, æqualis. Igitur & arcus A G, arcui A B, & angulus A G C, angulo B, æqualis erit; atque adeò, cum A G C, A G B, sint æquales duobus rectis, erũt & B, A G B, duobus rectis æquales: Sunt autem B, & A G B, inter se æquales, ob æqualitatem arcuum A B , A G . Vterque igitur rectus erit ; ac propterea vterque arcus A B, A G, per polum arcus B C, transibit. Est ergo A, polus arcus B C . Quod est absurdum . Ponitur enim non esse . Non igitur inæquales sunt arcus B C, E F, sed æquales ; atque idcirco & anguli B A C, & D, æquales erunt.

1.huius.
20.1.Theo.
7. huius.
5.huius.
8.huius.
13.1.Theo.
18.huius.



SCHOLIVM.

EST *autem necessaria conditio illa, quòd in reliquo angulo polus non sit reliqui lateris. Falsa enim esset propositio , si in illo angulo polus foret reliqui lateris . Sit enim triangulum sphæricum* A B C, *sitq; in* A , *polus arcus* B C ; & *ex* A , *arcus circuli maximi descendat quicunque* A D , *secans* B C, *in* D . *Erunt igitur anguli ad* B , C , D , *omnes recti , atque omnes tres arcus* A B, A C, A D, *quadrantes . Itaque duo triangula* A B C, A D C, *duos angulos* B, C, *duobus angulis* A D C, & C, *æquales habent, vtrumque vtrique ,* & *duo latera* A B, A C, *duobus lateribus* A D, A C , *circa angulos*

15.1.Theo.
Coroll. 16.
1.Theod.



los B A C, D A C, æqualia, vtrumque vtrique, & tamen neque reliqua latera B C, D C, æqualia inter se sunt, neque reliqui anguli B A C, D A C, vt manifestum est. Hoc autem ideo accidit, quòd A, polus sit arcuum B C, D C.

HINC *perspicuum quoque est, copernicũ hallucinari lib.* 1. *Reuolutionum propos.* 12. *cum asserit, omne triangulum sphæricum, cuius duo anguli vtcunque dati fuerint, cum aliquo latere, datorum effici angulorum, & laterum.* Nam *in triangulo A B C, etiamsi dentur duo anguli B, C, cum duobus lateribus A B, A C, (& non cum vno tantum, vt ipse vult) non tamen statim reliquum latus, & reliquus angulus cognoscetur; cum reliquum latus esse posit vel B C, vel D C, & reliquus angulus vel B A C, vel D A C, &c. Aliquid ergo aliud præterea cõstet, necesse est, vt reliquus angulus, cum reliquis lateribus cognoscatur, vt in scholio propos.* 45. *ostẽdemus.* Error Nicolai Copernici.

THEOR. 22. PROPOS. 24.

SI fuerint duo triangula sphærica, quæ vnum angulum vni angulo æqualem habeant, & duo latera duobus lateribus circa alium angulum æqualia vtrumque vtrique, atq; vtrumque reliquorum angulorum vel maiorem recto, vel minorem: Erit & reliquum latus reliquo lateri æquale, & reliqui anguli reliquis angulis æquales, vterque vtrique.

IN duobus triangulis sphæricis A B C, D E F, sint anguli B, E, æquales, & duo latera B C, C A, equalia duobus lateribus E F, F D, vtrumque vtrique, circa angulos C, F, & vterq; angulorũ reliquorum A, D, vel minor sit, vel maior recto. Dico reliqua latera A B, D E, æqualia quoque esse, & reliquos duos angulos A, C, reliquis duobus angulis D, F, vtrũq; vtrique. Si enim latera A B, D E, æqualia non sunt, sit A B, maius, & abscindatur arcus B G, æqualis arcui D E, & per puncta C, G, arcus circuli maximi ducatur C H. Quia igitur latera B G, B C, æqualia sunt lateribus E D, E F, angulosque comprehendunt æquales B, E; erunt & arcus G C, D F, & anguli G, D, æquales: Ponitur autem arcus D F, arcui A C, æqualis. Aequalis igitur erit quoque arcus G C, eidem arcui A C; atque adeò anguli A, & C G A, æquales. Et quoniam anguli duo ad G, sunt æquales duobus rectis, erunt quoque duo anguli B G C, & A, duobus rectis æquales; ac proinde, cum angulus B G C, ostensus sit æqualis angulo D, erunt & duo anguli D, & A, duobus rectis æquales. Quod fieri non potest. Cum enim vterque minor recto ponatur, vel maior, erunt ambo simul vel duobus rectis minores, vel maiores. Non ergo inæqualia sunt latera A B, D E, sed æqualia. Quare



1. huius.
20. 1 Theod.
7. huius.
8. huius.
5. huius.

18.huius. & duo Anguli A, C, duobus angulis D, F, æquales erunt, vterque vtrique. Si fuerint igitur duo triangula, &c. Quod ostendendum erat.

SCHOLIVM.

DIXIMVS, *vtrumque reliquorum angulorum debere esse vel maiorem, vel minorem recto. Nam alias falsa esset propositio. Sit enim triangulum sphæricum*
20.1Theod. *quodcunque* A B C, *habens duo latera* A B, A C, *æqualia: Producto autem latere* C B, *ad* D, *ita vt* C D, *sit arcus semicirculo minor, ducatur per puncta* A, D, *arcus circuli maximi* A D. *Itaque triangula* A D B, A D C, *angulum angulo æqualem habẽt, nempe* D, *communem, & duo latera* A D, A B, *æqualia duobus lateribus* A D, A C, *vtrumque vtrique; & tamen reliqua latera* D B, D C, *æqualia non sunt, nec reliqui anguli* D A B, D A C, *immo neque anguli* A B D, A C D, *nisi vterqꝫ rectus sit, vt demonstrabimus.* Hoc autem ideò *euenit, quòd non vterque angulus* A B D, A C D, *maior est vel minor recto, sed vel vterq; rectus, vel vnus maior recto, & alter minor: quod ita ostendemus. Sit primum angulus* A B D, *rectus. Dico &* C, *rectum esse. Recto enim existente angulo* A B D, *erit &* A B C, *rectus;*



5.huius. *quòd ambo anguli ad* B, *æquales sint duobus rectis: sed hic æqualis est angulo* C, *ob*
8.huius. *æqualitatem laterum* A B, A C. *Igitur &* C, *rectus erit.*

SIT *deinde angulus* A B D, *maior recto. Dico* C, *minorem esse recto. Cum enim*
5.huius. A B D, *sit recto maior, erit* A B C, *minor recto, cum ambo duobus rectis sint æquales.*
8.huius. *Igitur & angulus* C, *qui æqualis est angulo* A B C, *recto minor erit.*

SIT *tandem angulus* A B D, *minor recto. Dico* C, *esse recto maiorem. Cum enim* A B D, *sit minor recto, erit* A B C, *hoc est, sibi æqualis* C, *maior recto.*

Error Nicolai Copernici. HINC *manifestum est, propositionem* 8. *Nicolai Copernici de sphæricis triangulis, lib.* 1. *Reuolutionum falsam esse, quo ad eam partem, in qua dicit.* Si bina triangula duo latera duobus lateribus æqualia habuerint, alterum alteri, & angulum angulo æqualem, qui ad basim fuerit; basim quoque basi, ac reliquos angulos reliquis angulis habebunt æquales. *Hoc enim verum non est, nisi ponatur vterque reliquorum angulorum ad basim vel maior recto, vel minor. In triangulis enim propositis* A D B, A D C, *sunt duo latera* A D, A B, *duobus lateribus* A D, A C, *æqualia, angulusq; D, communis est super bases* D B, D C; *& tamen bases non sunt æquales, ob causam dictam.*

Alius error Nicolai Copernici. VNDE *errat idem Nicolaus in eodem libro propos.* 11. *vbi ait.* Omne triangulum, cuius duo latera fuerint data cum aliquo angulo, datorum efficitur angulorum, & laterum. *Nam etiamsi latera* A D, A B, *nota sint cum angulo* D, *non tamen inde in notitiam alterius lateris, & aliorum angulorum perueniemus, cum reliquum latus possit esse vel* D B, *vel* D C, *&c. Necesse est ergo aliud quippiam præterea constare, antequam reliquum latus, cum reliquis angulis notum efficiatur, vt in Scholio propos.* 45. *perspicuum faciemus.*

THEOR. 23. PROPOS. 25.

IN omni triangulo sphærico Isoscele, si duo latera

latera æqualia ſint quadrantes, erunt duo anguli æquales ſuper baſim recti: ſi verò vtrumque quadrante minus ſit, acuti: ſi denique maius quadrante, obtuſi. Et ſi duo anguli æquales ad baſim ſint recti, erunt duo latera æqualia, quadrantes: ſi verò acuti, vtrumque quadrante minus erit: ſi denique obtuſi, vtrumque quadrante maius.

IN triangulo ſphærico Iſoſcele A B C, ſint primum duo arcus æquales A B, A C, quadrantes. Dico æquales angulos B, C, ad baſim eſſe rectos. Cum enim vterque arcus A B, A C, quadrans ſit, erunt ambo ſimul ſemicirculo æquales. Quare producto arcu B C, ad D, angulus A C D, æqualis erit angulo B: ſed angulus B, angulo A C B, æqualis eſt. Igitur & angulus, A C D, angulo A C B, æqualis erit; atque adeò, cum duo anguli ad C, duobus rectis ęquales ſint, erit vterque angulus ad C, rectus. Quare & angulus B, qui recto A C B, æqualis eſt, rectus erit. Quod eſt propoſitum. 14. huius. 8. huius. 5. huius. 8. huius.



SIT deinde vterque arcuum A B, A C, æqualium quadrante minor. Dico angulos B, C, æquales eſſe acutos. Cum enim vterque arcus A B, AC, quadrante minor ſit, erunt ambo ſimul ſemicirculo minores. Quare angulus A C D, maior erit angulo B, hoc eſt, angulo A C B; cum anguli B, & A C B, æquales ſint. Cum ergo duo anguli ad C, æquales ſint duobus rectis, erit angulus A C B, recto minor; atque adeo angulus B, qui ei æqualis eſt, recto quoq; minor erit. Sunt ergo duo anguli B, & A C B, acuti. Quod eſt propoſitum. 14. huius. 8. huius. 5. huius. 8. huius.

SIT poſtremo vterque arcuum A B, A C, quadrante maior. Dico angulos æquales, B, C, eſſe obtuſos. Cum enim vterque arcus A B, A C, maior ſit quadrante, erunt ambo maiores ſemicirculo. Quare angulus A C D, minor erit angulo B, hoc eſt, angulo A C B, qui angulo B, æqualis eſt. Cum ergo duo anguli ad C, duobus rectis ſint æquales, erit angulus A C B, recto maior, hoc eſt, obtuſus; atque idcirco & angulus B, qui ei æqualis eſt, obtuſus erit. Quod eſt propoſitum. 14. huius. 8. huius. 5. huius. 8. huius.

SED iam vterque angulorum æqualium B, C, ſit rectus. Dico vtrumque arcum A B, A C, quadrantem eſſe. Cum enim A C B, rectus ſit, & duo anguli ad C, æquales duobus rectis, erit quoque A C D, rectus, ac proinde recto B, æqualis. Sunt ergo duo arcus A B, A C, ſimul ſemicirculo æquales, ac propterea cum ipſi æquales ponantur, vterq; quadrans erit. Quod eſt propoſitũ. 5. huius. 15. huius.

DEINDE vterque angulorum B, C, ſit acutus. Dico vtrumque arcum A B, A C, quadrante minorem eſſe. Cum enim duo anguli ad C, æquales duo- 5. huius.

bus rectis ſint, & A C B, ponatur recto minor; erit A C D, recto maior; ac propterea maior, quam B, qui recto etiam minor ponitur. Sunt ergo arcus A B, A C, ſimul ſemicirculo minores; atque idcirco, cum ipſi ſint æquales, vterque quadrante minor erit. Quod eſt propoſitum.



15. huius.

5. huius.

15. huius.

POSTREMO ſit vterque angulorum B, C, obtuſus. Dico utrumque arcum A B, A C, maiorem eſſe quadrante. Cum enim duo anguli ad C, ſint æquales duobus rectis, & A C B, ponatur maior recto, erit A C D, recto minor, atque idcirco minor angulo B, qui recto quoque maior ponitur. Arcus ergo A B, A C, ſimul maiores ſunt ſemicirculo; atque adeò, cum ipſi æquales ſint, erit uterq; quadrante maior. Quod eſt propoſitum. In omni ergo triangulo ſphærico Iſoſcele, &c. Quod demonſtrandum erat.

COROLLARIVM.

EX his ſequitur, omne triangulum ſphæricum æquilaterum, ſeu æquiangulum, ſi ſingula latera ſint quadrantes, habere ſingulos angulos rectos: ſi verò quadrante minora, acutos. Si denique quadrante maiora, obtuſos. Et omne triangulum ſphæricum æquiangulum, ſeu æquilaterum, ſi ſinguli anguli ſint recti, habere ſingula latera quadrantes: Si verò acuti, quadrante minora: ſi denique obtuſi, quadrante maiora.

SCHOLIVM.

CAETERVM, *quando duo latera trianguli ſphærici ſunt quadrãtes, vtrumque angulum ad baſim eſſe rectum: Et ſi vterque angulus ad baſim rectus eſt, vtrumque latus eſſe quadrantem, demonſtrari etiam poterit hac ratione.*



11.1.Theod.

Schol. 9.
2.Theod.

15.1 Theod.

SINT *in triangulo* A B C, *quadrantes* A B, A C. *Dico angulos* B, C, *eſſe rectos. Productis enim arcubus* A B, A C, *donec coëant in* D, *vt ſint* A B D, A C D, *ſemicirculi; erunt quoque arcus* D B, D C, *quadrantes; atque adeo vterque arcus* A B D, A C D, *bifariam diuidetur ab arcu* B C, *in punctis* B, *&* C. *Igitur arcus* B C, *per polos arcuum* A B, A C, *tranſibit; atque idcirco rectos angulos ad* B, *&* C, *efficiet.*

13.1.Theod.

11.1.Theod.

9 1.Theod.

VERVM *iam anguli* B, C, *recti ſint. Dico latera* A B, A C, *quadrantes eſſe. cum enim anguli* B, C, *ſint recti, tranſibit arcus* B C, *per polos arcuum* A B D, A C D, *qui quidem ſemicirculi ſunt; atque adeò vtrumque bifariam ſecabit in* B, C. *Sunt ergo arcus* A B, A C, D B, D C, *quadrantes. Quod demonſtrandum erat.*

THEOR. 24. PROPOS. 26.

IN omni triangulo Iſoſcele ſphærico, cuius duo

duo latera æqualia sint quadrantes, si angulus sub ipsis comprehensus fuerit rectus, erit basis quadrans: Si verò acutus, quadrante minor: Si denique obtusus, quadrante maior. Et si basis fuerit quadrans, erit angulus sub lateribus comprehensus, rectus: Si verò minor quadrante, acutus: Si denique maior quadrãte, obtusus. Semper autem polus basis erit in angulo sub lateribus cõprehenso.

IN triangulo sphærico Isoscele A B C, sint latera A B, A C, quadrantes, & primum angulus A, sit rectus, vt in prima figura. Dico basim B C, quadrantem esse. Cum enim A B, A C, sint quadrãtes, erunt anguli B, C, recti. Quare omnes arcus erunt quadrantes. Quadrans ergo est B C. Quod est propositum. 25.huius. Corollar. 25.huius.



SIT deinde angulus A, acutus, vt in secunda figura. Dico basim B C, minorem esse quadrante. Ducto enim per A, & polum arcus A B, arcu circuli maximi A D, erit angulus B A D, rectus, atque adeo maior acuto angulo B A C. Occurret ergo A D, arcus arcui B C, producto, nempe in puncto D. Quoniam igitur in triangulo A B C, vterque angulus B, C, rectus est, erunt in triangulo A B D, duo anguli recti B, & D A B, ideoque æquales; ac propterea & arcus D A, D B, æquales erunt. Quare Isosceles est D A B, habens ad basim A B, duos angulos rectos; ac proinde vterque arcus A D, B D, quadrans est. Igitur B C, quadrante erit minor. Quod est propositum. 20.1 Theod. 15.1 Theod. 25. huius. 9. huius. 25 huius.

TERTIO sit angulus A, obtusus, vt in tertia figura. Dico basim B C, esse quadrante maiorem. Ducto enim per A, & polum arcus A B, arcu circuli maximi A D, erit angulus D A B, rectus; atque adeo minor obtuso angulo B A C. Occurret ergo arcus A D, arcui B C, intra triangulum, nempe in puncto D. Quoniam ergo in triangulo A B C, rectus est vterque angulus B, C, erunt in triangulo D A B, duo anguli ad basim A B, recti, & propterea æquales; atque idcirco & arcus A D, B D, æquales. Quare Isosceles est D A B, habens ad basim A B, duos angulos rectos. Vterque igitur arcus A D, B D, quadrans est, ideoque B C, quadrante maior. Quod est propositum. 20.1 Theod. 15.1 Theod. 25.huius. 9 huius. 25,huius.

SED iam basis B C, quadrans sit, vt in eadem prima figura. Dico angulum A, rectum esse. Quoniam enim duo arcus C A, C B, quadrantes sunt, 25.huius.

erit

erit vterque angulus A, B, rectus. Rectus igitur est angulus. A.

SIT deinde basis B C, quadrante minor. Dico angulum B A C, esse acutum. Producto enim arcu B C, ad D, vt sit B D, quadrans, ducatur per puncta A, D, arcus A D, circuli maximi. Quoniã igitur duo arcus B A, B D, quadrãtes sunt, erit vterque angulus D, & D A B, rectus. Acutus igitur est angulus B A C.

20.1 Theod.

25.huius.



SIT tãdem basis B C, maior quadrante. Dico angulum B A C, obtusum esse. Abscindatur B D, arcus æqualis quadrãti A B; & per puncta A, D, arcus circuli maximi describatur A D. Et quia duo arcus B A, B D, quadrantes sunt, erit vterque angulus B D A, D A B, rectus. Obtusus igitur est B A C, angulus.

1. huius.

20.1 Theod.

25.huius.

DICO præterea, in omnibus his punctum A, polum esse basis B C. Cum enim latera A B, A C, ponantur quadrantes, erit vterque angulus ad basim B C, rectus; ac propterea vterque arcus A B, A C, per polum arcus B C, transibit. Siue igitur B C, quadrans sit, siue minor, siue maior quadrante; Et siue angulus A, sit rectus, siue acutus, siue obtusus, semper punctum A, vbi coëunt arcus A B, A C, polus erit basis B C. In omni igitur triangulo Isoscele sphærico, cuius duo latera, &c. Quod erat ostendendum.

25.huius.

13.1 Theod.

SCHOLIVM.

IMMO *in omni triangulo sphærico habente duos angulos rectos, demonstrabimus eodem modo, in concursu duorum laterum, quæ rectos subtendunt angulos, reliqui lateris, quod rectis angulis adiacet, polum esse, etiamsi nondum sciatur, duo illa latera esse quadrantes. Sint enim in triangulo sphærico* A B C, *duo anguli recti* B, C. *Dico* A, *polum esse arcus* B C; *Nam vterque arcus* A B, A C, *per polum arcus* B C, *transibit; ac propterea* A, *polus erit arcus* B C.

13.1.Theod.

VERVM *est tamen, duos arcus* A B, A C, *esse semper quadrantes, propter angulos rectos* B, C.

25.huius.

THEOR. 25. PROPOS. 27.

IN omni triangulo sphærico, cuius omnes arcus sint quadrante maiores, vel vnus quadrans, & reliqui duo quadrante maiores, omnes tres anguli sunt obtusi.

IN

IN triangulo sphærico A B C, sint primum singula latera quadrante maiora. Dico tres angulos A, B, C, esse obtusos. Aut enim triangulum æquilaterum est, aut Isosceles, aut Scalenum.

SI æquilaterum, perspicuum est, tres angulos esse obtusos.

SI vero est Isosceles, habens duo latera A B, Corollar.
A C, æqualia, erunt duo anguli B, C, ad basim ob- 25.huius.
tusi. Sint quadrantes B D, B E, & per puncta 25.huius.
D, E, arcus circuli maximi ducatur E D, conue- 20.1 Theod.
niens cum arcu C A, protracto in F. Quoniam igi-
tur B D, B E, quadrantes sunt, & angulus B, osten-
sus est obtusus, erit D E, arcus quadrante maior, 26.huius.
& anguli B D E, B E D, recti: Ponitur autem & 25.huius.
arcus A C, quadrante maior. Igitur arcus D E,
A C, simul semicirculo maiores sunt; ac propte-
rea arcus F D, F A, simul minores semicirculo, cum
arcus F E, F C, integro circulo simul sint mino-
res; cum vterque arcus minor sit semicirculo. An- 2.huius.
gulus igitur F D B, maior est angulo F A D: Est autem angulus F D B, rectus; 14.huius.
quòd anguli F D B, B D E, duobus rectis æquales sint, & B D E, rectus osten- 5.huius.
sus. Ergo F A D, acutus est; ac proinde, cum F A D, D A C, æquales sint duo- 5.huius.
bus rectis, angulus B A C, obtusus erit: ostensi sunt autem & anguli B, C,
obtusi. Omnes ergo tres anguli A, B, C, obtusi sunt.



SI denique triangulum A B C, est Scalenum, sit latus A C, latere A B,
maius, & abscindatur arcus A D, arcui A B, æqualis; eritque adhuc arcus A D,
quadrante maior, quòd & arcus A B, cui æqualis est, maior ponatur quadran- 1.huius.
te. Si igitur per puncta B, D, ducatur arcus B D, circuli maximi, erit vterq; 20.1 Theod.
angulus A D B, A B D, obtusus. Multo ergo ma-
gis obtusus erit angulus A B C. Sint quadrantes 25.huius.
B E, B F, & per puncta E, F, ducatur arcus E F,
circuli maximi, coiens cum arcu C A, producto in 20.1 Theod.
G. Quoniã igitur B E, B F, quadrantes sunt, erunt
anguli ad E, & F, recti; & cum angulus E B F, osten- 25.huius.
sus sit obtusus, erit arcus E F, quadrante maior: 26.huius.
Ponitur autem & arcus A C, quadrante maior.
Igitur arcus E F, A C, simul semicirculo sunt ma-
iores; & idcirco multo magis F G, C G, maiores
erũt semicirculo. Angulus ergo B F G, quem osten-
dimus esse rectum, minor est angulo B C G; ac pro- 14.huius.
pterea angulus C, obtusus erit. Et quoniam arcus
F G, C G, simul integro sunt circulo minores;
quòd vterque semicirculo minor sit; & E F, A C,
simul semicirculo maiores; erunt arcus G E, G A, simul semicirculo mino- 2.huius.
res; ac proinde angulus G E B, maior erit angulo G A B. Cum ergo angu- 14.huius.
lus G E B, rectus sit, quòd duo anguli ad E, duobus sint rectis æquales, & an- 5.huius.
gulus B E F, ostensus sit rectus; erit angulus G A B, acutus. Quapropter cum
G A B, B A C, æquales sint duobus rectis, erit B A C, obtusus. Sunt autem duo 5.huius.
etiam anguli A B C, & C, ostensi obtusi. Tres ergo anguli A, B, C, trianguli
A B C, obtusi sunt. Quod est propositum.



SINT

SINT iam in eodem triangulo A B C, duo arcus A B, A C, quadrante quidem maiores, at B C, quadrans. Aut igitur arcus A B, A C, æquales ſunt,
25.huius. aut inæquales. Si æquales, erunt duo anguli B, C, obtuſi. Sit quadrans B D,
20.1Theod. & per puncta C, D, arcus C D, maximi circuli ducatur conueniens cum arcu C A, protracto in E.



Quia igitur arcus B C, B D, quadrantes ſunt, erũt
25.huius. anguli D, & B C D, recti; & arcus C D, propter angulum B, quem obtuſum eſſe oſtendimus, qua-
26.huius. drante maior: Ponitur autem & arcus A C, quadrante maior. Igitur arcus C D, C A, ſimul maiores ſunt ſemicirculo; ac propterea, cum arcus C D E, C A E, circulum conficiant, (quòd vterque
11.1.Theod. que ſemicirculus ſit.) erunt arcus E D, E A, ſemicirculo minores. Quare angulus E D B, qui rectus
5.huius. eſt, (quòd duo anguli ad D, æquales ſint duobus rectis, & angulus B D C, oſtenſus ſit rectus.) maior
14.huius. erit angulo E A D; atque adeo E A D, acutus erit.
5.huius. Cum ergo anguli E A D, D A C, duobus rectis ſint æquales, erit B A C, obtuſus. Sunt etiam anguli B, C, demonſtrati obtuſi. Tres igitur anguli A, B, C, trianguli A B C, obtuſi ſunt.

SI verò A B, A C, latera, quæ quadrante maiora ſunt, non ſunt æqualia,
1.huius. ſit maius A C; & abſcindatur arcus A D, æqualis arcui A B; & per puncta B,
20.1Theod. D, tranſeat arcus B D, circuli maximi: eritque adhuc arcus A D, maior quadrante, cum ei æqualis A B, maior etiam ponatur.
25. huius. Anguli igitur A D B, A B D, obtuſi ſunt. Multo
20.1Theod. ergo magis obtuſus erit angulus A B C. Sit quadrans B E, & per puncta C, E, tranſeat arcus C E, circuli maximi occurrens arcui C A, producto in F. Quoniam igitur quadrantes ſunt B E, B C, &



26. huius. angulus E B C, oſtẽſus eſt obtuſus, erit arcus E C,
25.huius. maior quadrãte, ſed anguli E, & B C E, recti erunt. Angulus ergo A C B, obtuſus erit. Et quoniam arcus C E, oſtenſus eſt quadrante maior, & arcus A C, maior etiam ponitur, quam quadrans; erunt arcus C E, C A, ſimul ſemicirculo maiores. Cũ ergo arcus C E F, C A F, integro circulo æquales ſint,
11.1.Theod. quòd vterque ſit ſemicirculus, erũt arcus F E, F A, ſimul ſemicirculo minores. Quamobrem angulus
5.huius. F E B, qui rectus eſt, (ſunt enim duo anguli ad E, duobus rectis æquales, &
14.huius. angulus B E C, oſtenſus eſt rectus.) maior erit angulo F A E. Acutus ergo eſt
5.huius. angulus F A E; ac propterea, cum duo anguli ad A, ſint æquales duobus rectis, angulus B A C, obtuſus erit. Sunt autem etiam oſtenſi obtuſi anguli A B C, A C B. Tres igitur anguli in triangulo A B C, obtuſi ſunt. In omni ergo triangulo ſphærico, cuius omnes arcus, &c. Quod erat demonſtrandum.

SCHOLIVM.

HAEC *propoſitio non conuertitur: Non enim omne triangulum ſphæricum, cuius omnes anguli ſunt obtuſi, neceſſario habet omnes arcus quadrante maiores, vel*

duos

duos quidem maiores quadrante, & vnum quadranti æqualem: Sed possunt esse duo quidem quadrante maiores, reliquus verò quadrante minor. Sint enim duo semicirculi in superficie sphæræ continentes angulos A, C, obtusos. Si igitur accipiantur duo arcus æquales A B, A D, quorum vterque maior sit sesquialtero quadrante, ita vt ambo simul tres quadrantes superent; describatur autem per puncta B, D, arcus circuli maximi B D; erit hic arcus B D, quadrante minor. Cum enim tres arcus A B, A D, B D, integro circulo minores sint, ponãtur autem duo arcus A B, A D, tribus quadrantibus maiores; erit necessario tertius arcus B D, minor quadrãte: Alias, si quadrans esset, aut maior quadrante, superarent tres arcus trianguli A B C, integrum circulum. Quoniam igitur duo anguli B, & D, in triangulo A B D, obtusi sunt, necnon & tertius angulus A, obtusus quoque, ex hypothesi; erunt omnes tres anguli A, B, D, obtusi: & tamen neque omnes arcus sunt quadrante maiores; neque duo tantum, & tertius quadrans: sed duo quidem A B, A D, quadrante maiores sunt, at tertius arcus B D, quadrante minor, vt ostendimus.

20.1 Theod.
4. huius.
25. huius.

THEOR. 26. PROPOS. 28.

IN omni triangulo sphærico rectangulo, cuius omnes arcus sint quadrante minores, reliqui duo anguli acuti sunt. Et si reliqui duo anguli sint acuti, erunt singuli arcus quadrante minores.

IN triangulo sphærico A B C, sit angulus B, rectus, & singuli arcus quadrante minores. Dico reliquos angulos A, C, esse acutos. Producantur enim arcus B A, B C, vt sint quadrantes B D, B E; & per puncta C, D, arcus maximi circuli ducatur C D, necnon per puncta A, E, arcus circuli maximi A E. Et quoniam quadrans B D, ob angulum rectum B, per polos arcus B C, transit, abestq; polus circuli maximi quadrãte circuli maximi ab eo, erit D, polus arcus B C. Igitur erit angulus B C D, rectus; ac propterea angulus A C B, acutus. Eodem modo, quia quadrans B E, ob angulum rectum B, per polos arcus A B, transit, abestq; polus circuli maximi quadrante maximi circuli ab eo, erit E, polus arcus A B. Igitar angulus E A B, rectus erit; ac proinde B A C, acutus. 20.1 Theod. 13.1 Theod. Coroll. 16. 1. Theod. 15.1 Theod. 13.1 Theod. Coroll. 16. 1. Theod. 15.1 Theod.



SED iam in eodem triangulo A B C, angulus B, rectus sit, & reliqui A, C, acuti. Dico singulos arcus esse quadrante minores. Fiant enim recti anguli B C D, B A E. Quia igitur vterque angulus B, B C D, rectus est, erit vterque arcus B D, C D, quadrans. Arcus igitur B A, quadrante minor est. Eodem modo arcus BC, minor erit quadrante; propterea quòd & arcus B E, A E, 25. huius. 25. huius.

Bbb qua-

quadrantes sunt, ob angulos rectos B, B A E. Sed & arcum A C, minorem esse quadrante, ita ostendemus. Quoniam arcus B E, ducitur per E, polum arcus B D; (ostendemus enim E, esse polum arcus A B, vt supra, cum B E, quadrans sit, rectusque ad arcum A B.) erit punctum C, intra peripheriam circuli arcus B D, in superficie sphæræ, & præter eiusdem polum. Quare arcus C A, minor erit arcu C D: At C D, ostensus est esse quadrans. Igitur A C, quadrante minor erit. Omnes ergo arcus trianguli A B C, quadrante sunt minores. Quocirca in omni triangulo sphærico rectangulo, &c. Quod ostendendum erat.



Schol. 21. 2. Theod.

SCHOLIVM.

PRIMA *pars huius propositionis vera quoque est, si solum vterque arcus circa angulum rectum ponatur quadrante minor, etiamsi ignoretur, reliquum arcum, qui rectum angulum subtendit, minorem esse quadrante.* Id *quod liquido constat ex demonstratione prioris partis. Ostensum est enim, angulos* B A C, B C A, *esse acutos, ex eo solum, quòd vterque arcus* B A, B C, *quadrante minor ponatur, nulla facta mentione arcus* A C. *Erit tamen semper arcus rectum angulum subtendens quadrante minor, si duo arcus rectum angulum continentes quadrante minores sint, vt ex demonstratione manifestum est. Nam cum ex eo, quòd arcus* B A, B C, *minores sint quadrante, anguli* A, C, *acuti sint, vt in priore parte demonstratum est, fit, vt & arcus* A C, *minor sit quadrante, vt in parte posteriori est ostensum. Itaque proponi poterit etiam huiusmodi* Theorema.

IN omni triangulo sphærico rectangulo, cuius duo arcus rectum angulum comprehendentes quadrante sint minores, erit & arcus angulum rectum subtendens quadrante minor.

THEOR. 27. PROPOS. 29.

IN omni triangulo sphærico, cuius omnes anguli sint acuti, arcus singuli quadrante sunt minores.



IN triangulo sphærico A B C, sint omnes anguli acuti. Dico singulos arcus quadrante minores esse. Sint enim primum omnes anguli acuti æquales. Quo posito, erunt singuli arcus quadrante minores, vt supra demonstratum est.

Corollar. 25. huius.

DEINDE sint duo tantum anguli acuti æquales B, C; & A, minor vtroque illorum. Erit igitur vterque arcus A B, A C, minor quadrante.

25. huius.

Et

Et quia angulus B, maior ponitur angulo A, erit arcus A C, maior arcu B C. Cum igitur arcus A C, ostensus sit quadrante minor, erit multo magis arcus B C, minor quadrante. 11.huius.



TERTIO sint duo tantum anguli acuti iterum æquales B, C; & A, acutus vtroque illorum maior. Erit igitur rursus vterque arcus A B, A C, quadrante minor. Dico & 25.huius.
B C, quadrante esse minorem. Fiat enim angulus rectus B A D, sitque arcus A D, vtrique arcuum A B, A C, æqualis; & per puncta B, D, describatur arcus circuli maximi B D. 20.1 Theod. Quoniam igitur vterque arcus A B, A C, ostensus est quadrante minor erit & A D, minor quadrante. Vterque ergo angulus A B D, & D, acutus est. 25.huius. Quare cum in triangulo A B D, angulus B A D, rectus sit, & reliqui acuti erunt omnes arcus quadrante minores. 28.huius. Arcus igitur B D, quadrante minor est: At quia latera A B, A C, lateribus A B, A D, æqualia sunt, estque angulus B A D, angulo B A C, maior; erit & basis B D, base B C, maior: 12.huius. Ostensus est autem arcus B D, quadrante minor. Multo ergo minor quadrante erit arcus B C. Omnes ergo tres arcus trianguli A B C, quadrante sunt minores.



POSTREMO sint omnes anguli acuti A, B, C, inæquales; & sit A, omniũ maximus. Erit igitur propterea arcus B C, maior vtrouis arcuũ A B, A C. 11. huius. Sit quoque angulus C, maior angulo B; eritque propterea arcus A B, maior arcu A C. 11. huius. Quoniam igitur arcus B C, maior est arcu A B, & A B, maior, quam A C; abscindatur arcus B D, æqualis arcui A B, & per puncta A, D, ducatur arcus A D, circuli maximi: eruntque anguli B A D, B D A, æquales: 8. huius. Est autem angulus B A D, acutus, cum pars sit anguli acuti B A C. Igitur & angulus B D A, acutus erit. Vterque igitur arcus A B, B D, quadrante est minor. 25.huius. Multo igitur magis arcus A C, qui minor est arcu A B, minor erit quadrante. Dico & arcum B C, quadrante minorem esse. Fiat enim angulus B A E, rectus, & arcus A E, arcui A C, æqualis, ac per puncta B, E, describatur arcus B E, maximi circuli. 20.1 Theod. Et quia arcus A C, ostensus est minor quadrante, erit & A E, minor quadrante. In triangulo ergo A B E, angulus B A E, rectus est, & vterque arcuum ipsum comprehendentium quadrante minor. Igitur reliqui anguli A B E, A E B, acuti sunt. Schol. 28. huius. Quoniam igitur in eodem triangulo A B E, angulus B A E, rectus est, & reliqui duo acuti, erunt omnes arcus quadrante minores. 28. huius. Arcus ergo B E, minor est quadrante. Quoniam vero duo latera A B, A E, duobus lateribus A B, A C, æqualia sunt, estque angulus B A E, maior angulo B A C; erit & basis B E, base C E, maior: 12.huius. Ostensus est autem arcus B E, minor quadrante. Multo igitur minor quadrante erit arcus B C. Tres ergo arcus trianguli A B C, quadrante sunt minores. Quamobrẽ, In omni triangulo sphærico, cuius, &c. Quod demonstrandũ erat.



SCHOLIVM.

PORRO neque hæc propoſitio conuerti poteſt. Non enim omne triangulum ſphæricum, cuius ſinguli arcus quadrante ſunt minores, neceſſario habet omnes angulos acutos. Nam vnus angulus poteſt eſſe rectus, & reliqui duo acuti, vt ex propoſ. præcedenti conſtat. Immo & vnus poteſt eſſe obtuſus, & reliqui acuti. Sint enim duo ſemicirculi ABC, ADC, continentes angulos A, C, obtuſos, accipianturq; duo arcus æquales AB, AD, quorum vterque ſeſquialterum quadrantem ſuperet, &

20.1 Theod. *per puncta B, D, arcus circuli maximi deſcribatur BD, qui minor erit quadrante, vt in ſcholio propoſ. 27. oſtendimus. Erunt igitur in triangulo BCD, tres arcus BC, CD, BD, ſinguli quadrante minores, & tamen non omnes anguli in triangulo BCD, acuti ſunt, ſed C, quidem obtuſus, ex hypotheſi, at verò B, D, acuti, propterea quòd duo latera CB,*

25. huius. *CD, æqualia ſunt, & quadrante minora.*



THEOR. 28. PROPOS. 30.

IN quolibet triangulo ſphærico, cuius vnus quidem arcus quadrante maior ſit, reliquorum verò vterque quadrante minor, nullus angulorum rectus erit.

IN triangulo ſphærico ABC, ſit quidem arcus AC, quadrante maior, at tam AB, quam BC, minor quadrante. Dico nullum angulorum eſſe rectum. Sit enim ſi fieri poteſt, angulus B, qui arcui AC, quadrante maiori opponitur, rectus. Abſciſſo igitur AD, quadrante, & producto arcu AB, ad E, vt AE, ſit etiam quadrans, & per puncta D, E, arcu DE,

20.1 Theod. circuli maximi deſcripto, qui arcum BC, ſecet in

25. huius. F; erit vterque angulus D, E, rectus: Ponitur autem & angulus ABC, rectus, hoc eſt, EBC; ſunt enim

5. huius. duo anguli ad B, duobus rectis æquales. Vterque igi-

25. huius. tur arcus EF, BF, quadrans erit, atque adeo arcus BC, maior quadrante. quod eſt abſurdum, cum ponatur quadrante minor. Non ergo angulus B, rectus eſſe poteſt.

QVOD ſi angulus C, rectus eſſe dicatur, erit, ſi eadem fiat conſtructio, eodem modo vterque arcus

25. huius. DF, CF, quadrans: (Nam & angulus CDF, rectus eſt, cum vterque D, E,

25. huius. rectus ſit, ob quadrantes AD, AE.) atque adeo arcus BC, quadrante maior. quod eſt contra hypotheſim.

SI denique angulus A, rectus concedatur, ſi ex arcu CA, abſcindatur qua-

quadrans C G, & arcus C B, producatur vſque ad H, vt & C H, quadrans ſit, deſcribaturque per puncta G, H, arcus circuli maximi G H, ſecans arcum A B, in I; erit vterque angulus G, H, rectus. Cum ergo & angulus A, ponatur rectus, erunt in triangulo A G I, duo anguli A, G, recti. Quare vterque arcus A I, G I, quadrans eſt; atque adeo arcus A B, quadrante maior. quod eſt contra hypotheſim. 20.1 Theod. 25. huius. 25. huius.

POSSVMVS tamen aliter demonſtrare, angulum A, non poſſe eſſe rectum, licet non abſcindatur quadrans C G, &c. Si enim angulus A, rectus concedatur, erit arcus D E, quadrans. Cum ergo & E A, quadrans ſit, erit vterque angulus A, D, rectus; & E, polus arcus A C, propterea quòd vterque arcus D E, A E, per polum arcus A D, tranſit, ob angulos rectos A, D. Eodem modo D, polus erit arcus A B. Quoniam igitur punctum F, eſt intra peripheriam circuli A B, & præter eius polum, duciturque arcus F E, per polum circuli A B, nempe per D, erit arcus F B, maior arcu F E. Eadem ratione arcus F C, maior erit arcu F D, cum F D, ducatur per E, polum circuli A C. Totus igitur arcus B C, quadrante D E, maior erit. quod eſt abſurdum, cum minor quadrante ponatur. Nullus ergo angulorum A, B, C, rectus eſt. Quamobrem, In quolibet triangulo ſphærico, &c. Quod demonſtrandum erat. 26. huius. 25. huius. 13.1. Theod. Schol. 21. 2. Theod.

THEOR. 29. PROPOS. 31.

CVIVSCVNQVE trianguli ſphærici tres anguli duobus quidem rectis ſunt maiores, ſex verò rectis minores.

SIT triangulum ſphæricum A B C. Dico tres angulos A, B, C, maiores quidem eſſe duobus rectis, minores verò ſex rectis. Si enim omnes tres anguli recti ſint, vel obtuſi; vel duo tantũ recti, vel obtuſi; vel vnus tantum rectus, & reliquorum alter obtuſus, perſpicuum eſt, omnes tres duobus eſſe rectis maiores. In quolibet autem triangulo hæc erit demonſtratio. Producto latere B C, ad D, erit angulus A C D, vel æqualis, vel minor, vel maior angulo B. Sit primum æqualis. Erunt igitur arcus A B, A C, ſimul ſemicirculo æquales; atq; adeò duo anguli A B C, A C B, duobus rectis æquales. Tres ergo anguli A, B, C, duobus rectis maiores erũt. Sit deinde angulus A C D, minor angulo B. Erunt igitur arcus A B, A C, ſimul maiores ſemicirculo; ac propterea duo anguli A B C, A C B, duobus rectis maiores. Multo ergo magis tres anguli A, B, C, duobus rectis maiores erũt. Sit denique angulus A C D, maior angulo B, & fiat angulus D C E, angulo B, æqualis, occurratque arcus C E, arcui B A, producto in E: & tandem arcus C A, protrahatur ad F. Erunt igitur arcus E B, E C, ſimul æquales ſemicirculo; ac propterea arcus E A, E C, ſimul ſemicirculo minores. Angulus igitur E A F, hoc eſt, angulus B A C, 15. huius. 16. huius. 15. huius. 10. huius. 15. huius.

qui

24.huius. qui illi ad verticem æqualis est, maior erit angulo A C E: Sed angulus A C E,
16.huius. & anguli A C B, & B, duobus rectis sunt æquales. Igitur anguli B A C, A C B, & B, maiores erunt duobus rectis. Semper ergo tres anguli simul duobus rectis sunt maiores.

QVIA verò omnis angulus sphæricus, etiam obtusus, minor est duobus rectis; perspicuum est, tres angulos cuiusuis trianguli sphærici simul minores esse sex rectis. Cuiuscunque ergo trianguli sphærici tres anguli, &c. Quod erat demonstrandum.

THEOR. 30. PROPOS. 32.

IN omni triangulo sphærico, cuius vnus angulus rectus sit, & alter reliquorum acutus, si quidem arcus illis angulis adiacēs fuerit quadrans, erit & arcus rectum subtendens angulum quadrans; si verò minor fuerit quadrante, quadrante quoque minor erit: si deniq; quadrante fuerit maior, quadrante quoq; maior erit: Semper autem arcus acutum angulum subtendens minor erit quadrante.

IN triangulo A B C, angulus C, rectus sit, & B, acutus, sitque primum arcus B C, quadrans. Dico & A B, quadrantem esse. Fiat enim angulus C B D, rectus, coëatque arcus B D, cum arcu C A,



25.huius. producto in D. Erit igitur vterque arcus B D, C D, quadrans: Ponitur autem & B C, qua-
26.huius. drans. Ergo B, polus est arcus C D; atque
15.1Theod. adeo rectus erit angulus ad A. Quare vterque
25.huius. arcus B C, B A, quadrans erit. Quadrans igitur est arcus A B, angulo recto C, oppositus.

SIT deinde arcus B C, quadrante minor. Dico & arcum A B, quadrante esse minorem. Fiat enim rursus angulus C B D, rectus, occurratque arcus B D, arcui C A, producto in
25.huius. D; eritque vt prius, vterque arcus B D, C D, quadrans. Producto autem B C, ad E, vt sit
30.1Theod. B E, quadrans, ducatur per puncta D, E, arcus circuli maximi D E, quem B A, productus secet in F. Quoniam igitur arcus B E, B D, quadrantes sunt, erit
25. & 26. vterque angulus B D E, B E D, rectus, & B, polus arcus D E. Rectus ergo
huius. erit angulus ad F; atque adeò vterque arcus B E, B F, quadrans erit. Igitur
15.1.Theod. 25.huius. arcus B A, quadrante erit minor.

SIT denique arcus B C, quadrante maior. Dico & arcum A B, maiorem qua-

quadrante esse. Fiat enim rursus angulus C B D, rectus, conueniatque arcus B D, cum C A, protracto in D; eritque, vt prius, vterque arcus B D, C D, quadrans. Abscisso autem quadrante B G, ducatur per puncta D, G, arcus circuli maximi D G, secans arcum A B, in H. Quoniam igitur arcus B D, B G, quadrantes sunt, erit vterque angulus B D G, B G D, rectus, & B, polus arcus D G. Rectus ergo erit angulus ad H; ac proinde vterque arcus B G, B H, erit quadrans. Quare A B, quadrante maior erit.

25. huius.
20.1 Theod.
25. & 26. huius.
25.1 Theod.
25. huius.

ET quoniam arcus C D, semper ostensus est esse quadrans, erit arcus A C, quadrante minor. Quapropter in omni triangulo sphærico, &c. Quod ostendendum erat.

THEOR. 31. PROPOS. 33.

IN omni triangulo sphærico, cuius vnus angulus rectus, & alter reliquorum acutus, si quidem arcus illis angulis adiacens fuerit quadrans, erit reliquus angulus rectus: si verò minor quadrante, acutus: si denique quadrante maior, obtusus.

SIT in triangulo A B C, sphærico angulus C, rectus, & B, acutus, sitque primum arcus B C, quadrans. Dico reliquum angulum A, rectum esse. Erit enim, & A B, quadrans. Igitur vterque angulus C, A, rectus. 32. huius. 25. huius.



SIT deinde arcus B C, quadrante minor. Dico angulum A, esse acutum. Erit enim & arcus A B, quadrante minor; atque adeo arcus A B, B C, simul semicirculo erunt minores. Quare anguli A, C, duobus rectis sunt minores; ac proinde, cum C, sit rectus, erit A, acutus. 32. huius. 26. huius.

SIT tandem arcus B C, maior quadrante. Dico angulum A, obtusum esse. Erit enim & A B, quadrante maior; ac propterea arcus A B, B C, simul semicirculo maiores erunt. Igitur anguli A, C, duobus rectis sunt maiores; atque adeo, cum C, sit rectus, erit A, obtusus. Quocirca in omni triangulo sphærico, cuius vnus angulus, &c. Quod erat ostendendum. 32. huius. 16. huius.

THEOR. 32. PROPOS. 34.

IN omni triangulo sphærico, cuius vnus angulus rectus, si vteruis reliquorum angulorum sit rectus, erit arcus eum subtendens, quadrans: si verò

acutus,

acutus, quadrante minor: ſi denique obtuſus, maior quadrante. Et ſi vteruis arcuum rectum angulum continentium fuerit quadrans, erit angulus, quem ſubtendit, rectus: ſi verò minor quadrante, acutus: ſi denique quadrante maior, obtuſus.

SIT in triangulo ſphærico A B C, angulus C, rectus, ſitque primum alter reliquorum, nempe B, etiam rectus. Dico arcum A C, qui eum ſubtendit, quadrantem eſſe. Cum enim vterque angulus B, C, rectus ſit, erit & vterque
25.huius. arcus A B, A C, quadrans.

SIT deinde B, angulus acutus. Dico arcum A C, eſſe quadrante minorem. Fiat enim angulus C B D, rectus, coëatque arcus B D, cum arcu C A, producto in D. Quoniam igitur vterq; angulus C, C B D,
25.huius. rectus eſt, erit & vterque arcus B D, C D, quadrans; atque adeo arcus A C, minor erit quadrante.



SIT postremo angulus B, obtuſus. Dico arcum A C, quadrante maiorem eſſe. Fiat enim angulus C B E, rectus, ſecetque arcus B E, arcum A C, in E. Quoniam igitur vterque angulus C, C B E, rectus eſt, erit & vterque arcus B E, C E, quadrans; atque adeo
25. huius. arcus A C, quadrante maior erit.

RVRSVM ſit angulus C, rectus, & ſit primum arcus A C, quadrans.
Coroll. 16. 1. Theod. Dico angulum ei ſubtenſum B, eſſe rectum. Erit enim A, polus arcus B C,
13.1.Theod. (cum arcus C A, per polum arcus B C, tranſeat, ob angulum rectum C;) atque
15.1.Theod. adeo angulus A B C, rectus.

DEINDE ſit arcus A C, quadrante minor. Dico angulum ei ſubten-
Coroll. 16. ſum B, eſſe acutum. Producto enim arcu C A, ad D, vt ſit C D, quadrans,
1. Theod. erit eodem modo D, polus arcus C B; cum arcus C A, per polum arcus B C,
13.1 Theod. 20.1 Theod. tranſeat. Ducto ergo per puncta D, B, arcu D B, circuli maximi, erit angu-
15.1.Theod. lus D B C, rectus; ac proinde A B C, acutus.

Coroll. 16. POSTREMO ſit arcus A C, maior quadrante. Dico angulum B, ei
1. Theod. ſubtenſum obtuſum eſſe. Abſciſſo enim quadrante C E, erit rurſum E, polus
13.1.Theod. arcus B C; propterea quod arcus C A, per polum arcus B C, tranſit. Ducto
20.1 Theod. ergo per puncta E, B, arcu E B, circuli maximi, erit angulus E B C, rectus;
15.1.Theod. atque adeò A B C, obtuſus. Quapropter, in omni triangulo ſphærico, &c. Quod erat demonſtrandum.

THEOR. 33. PROPOS. 35.

IN omni triangulo ſphærico rectangulo, ſi vterque arcuum comprehendentium angulum rectum,

ctum, vel vnus tantum, fuerit quadrans, erit & arcus rectum angulum ſubtendens, quadrans: Si vero vterque dictorum arcuum minor fuerit quadrante, aut maior, erit arcus rectum angulum ſubtendens quadrante minor: ſi denique alter illorum maior fuerit quadrante, & alter minor, erit arcus rectũ angulũ ſubtendens maior quadrante.

IN triangulo ſphærico rectangulo A B C, ſit angulus B, rectus, & primum vterque arcus A B, B C, vel alter illorum tantum quadrans. Dico & arcum A C, qui rectum angulum ſubtendit, quadrantem eſſe. Si enim vterque arcus A B, B C, quadrans eſt, cum angulus B, ponatur rectus, erit quoq; arcus A C, quadrans. 26.huius. Si verò alter tantum arcuum A B, B C, eſt quadrans, ſit A B, quadrans. Quoniã igitur arcus A B, quadrans eſt, tranſitq; per polos arcus B C, propter angulum rectum B, erit A, polus arcus B C; ac propterea angulus C, rectus erit. 13.1.Theod. Coroll. 16. 1. Theod. 15.1 Theod. Cum ergo vterque angulus B, C, rectus ſit, erit vterque arcus A B, A C, quadrans. 25.huius. Eodem modo ſi B C, ponatur quadrans, oſtendemus A C, eſſe quadrantem. Erit enim ſimiliter C, polus arcus A B; ac proinde angulus A, rectus. Cum ergo vterque angulus B, A, rectus ſit, erit vterque arcus B C, A C, quadrans. 25.huius.



SIT deinde vterque arcus A B, B C, quadrante minor, vel maior. Dico arcum A C, eſſe quadrante minorem. Si enim vterque eſt quadrante minor, producto arcu C B, ad partes B, & B A, ad partes A, vt ſint C D, B E, quadrantes, ducatur per puncta D, E, arcus circuli maximi D E, ſecans arcum C A, productum in F. 20.1Theod. Quoniam igitur in triãgulo B E D, angulus B, rectus eſt, & arcus B E, quadrans, erit angulus D, quem ſubtendit, rectus. 34.huius. Rurſus quia in triangulo C D F, angulus D, rectus eſt, & arcus D C, quadrans, erit ſimiliter angulus F, rectus; atque idcirco vterque arcus D C, F C, quadrans erit. 34.huius. 25. huius. Quare arcus A C, quadrante minor erit. Si verò vterque arcus A B, B C, quadrante maior eſt, abſciſsis quadrantibus B D, C E, ducatur per puncta D, E, arcus circuli maximi E D, ſecans arcum C A, productum in F. 20.1Theod. Quoniã igitur in triangulo D B E, angulus B, rectus eſt, & arcus B D, quadrans erit angulus E, quem B D, ſubtendit, rectus. 34.huius. Rurſus quia in triangulo C E F, angulus E, eſt rectus, & arcus E C, quadrans, erit eodem modo an- 34.huius.





25.huius. do angulus F, rectus. Vterque ergo arcus C E, C F, quadrans erit; ac proptere a arcus A C, quadrante minor.

SIT postremo arcus A B, quadrante quidem maior, arcus vero B C, minor quadrante. Dico arcum A C, maiorem esse quadrante. Auferatur enim quadrans B D; & arcus C B, producatur ad E, vt C E, sit quadrans; ac per puncta D, E, arcus circuli maximi ducatur E D, secans arcum A C, in F. Quia igitur in triangulo B E D, angulus B, rectus est, & arcus B D, quadrans, erit angulus E, rectus. Rursus, quia in triangulo C E F, angulus E, rectus est, & arcus E C, quadrans, erit eadem ratione angulus F, rectus. Vterque igitur arcus C E, C F, quadrans erit; ac proinde arcus A C, quadrante maior. In omni ergo triangulo sphærico rectangulo, &c. Quod erat demonstrandum.

20.1 Theod. 34.huius. 34. huius. 25.huius.



THEOR. 34. PROPOS. 36.

IN omni triangulo sphærico rectangulo, si arcus rectum angulum subtendens fuerit quadrans, erit vel vterq; arcuum angulum rectum comprehendentium quadrans, vel alter illorum saltem: si verò fuerit minor quadrante, vterque reliquorum vel minor, vel maior quadrante erit: si deniq; quadrante maior fuerit, erit reliquorum alter maior quadrante, & alter minor.

SIT in triangulo sphærico A B C, angulus B, rectus, & eum subtendens arcus A C, sit primum quadrans. Dico vel vtrumque arcuum A B, B C, esse quoque quadrantem, vel saltem alterum illorum. Si enim neuter illorum est quadrans, erit vel vterque illorum maior, vel minor quadrante, atque adeo arcus A C, quadrante minor; vel alter illorum quadrante quidem maior, alter verò minor, ac proinde arcus A C, quadrante maior; quorum vtrumq; absurdum est, cum arcus A C, ponatur quadrans. Erit ergo vel vterque arcus A B, B C, quadrans, vel saltem alter illorum.

35. huius. 35. huius.



DEINDE sit arcus A C, quadrante minor. Dico vtrumque arcum A B, B C, esse vel quadrante minorem, vel maiorem. Si enim vterque non est minor,

35. huius. vel maior quadrante, erit vel vterque quadrans, ideoque & arcus A C, qua-
35. huius. drans; vel vnus illorum quadrans, & alter non; atque idcirco & arcus A C, quadrans; vel vnus quidem quadrante minor, alter verò maior, atque adeò & arcus

arcus A C, quadrante maior: quæ omnia abſurda ſunt, cum arcus A C, ponatur quadrante minor. Eritergo vel vterque arcus A B, B C, minor quadrante, vel maior. 35. huius.

TERTIO ſit arcus A C, maior quadrante. Dico alterum reliquorum A B, B C, quadrante quidem eſſe maiorem, alterum verò minorem. Si enim non eſt alter maior, & alter minor quadrante, erit vel vterque quadrans, vel alter ſaltem quadrans, & alter non, ac proinde & arcus A C, quadrans; 35. huius. vel vterque minor quadrante, aut maior, atque adeo arcus A C, quadrante 35. huius. minor: quæ omnia ſunt abſurda, cum arcus A C, maior ponatur, quam quadrans. Erit ergo alter arcuum A B, B C, quadrante quidem maior, alter verò minor. Quocirca in omni triangulo ſphærico rectangulo, &c. Quod demonſtrandum erat.

THEOR. 35. PROPOS. 37.

IN omni triangulo ſphærico, ſi vterque reliquorum angulorum, vel alter ſaltem fuerit rectus, erit arcus rectum angulum ſubtendens, quadrans: ſi verò vterque reliquorum angulorum minor fuerit recto, vel maior, erit arcus ſubtendens angulum rectum quadrante minor: ſi deniq; alter reliquorum fuerit maior recto, & alter minor, erit arcus angulum rectum ſubtendens, quadrante maior.

IN triangulo ſphærico A B C, cuius angulus B, rectus, ſit primum vterque angulorum A, C, vel alter ſaltem, nempe C, rectus. Dico arcum A C, qui rectum angulum B, ſubtendit, eſſe quadrantem. Si enim vterque angulus A, C, rectus eſt, vel C, tantum, erit triangulum A B C, rectangulũ habens angulum C, rectum: Eſt autem & angulus B, rectus. Igitur arcus A C, quadrans erit. 34. huius.



DEINDE ſit vterque angulus A, C, vel minor recto, vel maior. Dico arcum A C, quadrante eſſe minorem. Si namque vterque angulus A, C, eſt minor recto, erit tam arcus B C, quam A B, minor quadrante; 34. huius. ſi verò vterque angulus A, C, maior eſt recto, erit tam arcus B C, quam A B, quadrante maior. 34. huius. Quare cum in triangulo A B C, angulus B, rectus ſit, & vterque arcus A B, B C, vel minor, vel maior quadrante, erit ſemper arcus A C, quadrante minor. 35. huius.

TERTIO ſit angulus A, maior recto, & C, minor. Dico arcum A C, eſſe quadrante maiorem. Cum enim angulus A, obtuſus ſit, erit arcus B C, 34. huius. maior quadrante: Et cum angulus C, acutus ſit, erit arcus A B, quadrante mi- 34. huius.

nor. Igitur cum arcus B C, quadrante quidem maior ſit, & A B, minor, erit
35. huius. arcus A C, quadrante maior. Quamobrem in omni triangulo ſphærico re-
ctangulo, &c. Quod erat oſtendendum.

THEOR. 36. PROPOS. 38.

IN omni triangulo ſphærico rectangulo, ſi arcus rectum angulum ſubtendens fuerit quadrans, erit ſaltem alter reliquorum angulorũ rectus quoque: ſi verò minor quadrante, erit vterq; reliquorum angulorum vel maior recto, vel minor: ſi denique quadrante maior, erit alter reliquorum angulorum maior recto, & alter minor.

IN triangulo ſphærico A B C, cuius angulus B, rectus, ſit primum arcus A C, ſubtendens angulum rectum B, quadrans. Dico ſaltem alterum angulorum A, C, rectum quoque eſſe. Cum enim angulus B, ſit rectus, & arcus
36. huius. A C, quadrans, erit ſaltem alter arcuum A B, B C, quadrans; atque adeò &
34. huius. angulus A, vel C, quem ille arcus ſubtendit, rectus erit.



SIT deinde arcus A C, quadrante minor. Dico vtrumque angulorum A, C, eſſe maiorem, vel minorem
36. huius. recto. Erit enim vterque arcus A B, B C, vel maior quadrante, vel minor. Quare vterque angulus
34. huius. A, C, maior erit recto, vel minor.

POSTREMO ſit arcus A C, maior quadrante. Dico alterum angulorum A, C, eſſe recto maiorem, & alterum minorem. Erit enim alter arcuum
36. huius. A B, B C, quadrante maior, & alter minor. Igitur
34. huius. alter angulorum A, C, recto erit maior, & alter minor. Quapropter In omni triangulo ſphærico rectangulo, &c. Quod oſtendendum erat.

COROLLARIVM.

EX his omnibus colligitur, In omni triangulo ſphærico, cuius vnus arcuum eſt quadrans, vnuſque angulorum rectus, reliquorum quoque arcuum vnum ſaltem eſſe quadrantem, & reliquorum angulorum vnum ſaltem rectum. Nam ſi vnus angulorum rectus eſt,
35. huius. & alter arcuum ipſum comprehendentium quadrans, erit & arcus rectum angulum ſubten-
34. huius. dens quadrans; & angulus quem prior quadrans ſubtendit rectus: Si verò arcus angulum
36. huius. rectum ſubtendens quadrans eſt, erit & vel vterque arcuum rectum angulum comprehen-
38. huius. dentium, vel alter ſaltem quadrans; & vel vterque reliquorum angulorum, vel alter ſaltem
Nota. rectus. Itaque fieri non poteſt, vt detur triangulum ſphæricum rectangulum, cuius vnus duntaxat arcus ſit quadrans, ſed vel nullus erit quadrans, vel omnes tres, vel duo quadrantes erunt.

THEOR.

THEOR. 37. PROPOS. 39.

ANGVLI sphærici eandem habẽt rationem, quam eorum arcus.

SINT duo anguli sphærici B A C, E D F, quorum arcus B C, E F. Dico ita esse angulum A, ad angulum D, vt est arcus B C, ad arcum E F. Erunt enim A, D, poli arcuum B C, E F; & arcus A B, A C, D E, D F, quadrantes. Defin. 6. huius. Productis igitur arcubus B C, E F, sumantur quotcunque arcus B G, G H, arcui B C, & quotcũq; arcus F I, I K, K L, arcui E F, æquales; ac per puncta G, H, I, K, L, & polos A, D, arcus circulorum maximorũ ducantur A G, A H, D I, D K, D L, qui omnes quadrãtes erunt, nempe quadrantibus A B, A C, D E, D F, æquales, propterea quòd & rectæ subtensæ A G, A H, D I, D K, D L, rectis subtensis A B, A C, D E, D F, æquales sunt, ex defin. poli. 20. 1 Theod. 28. tertij.



Erunt ergo omnes anguli ad A, inter se æquales; atque adeò quam multiplex est arcus C H, arcus B C, tam multiplex erit aggregatum omnium angulorũ ad A, anguli B A C: Eademque ratione tam multiplex erit aggregatum omnium angulorum ad D, anguli E D F, quam multiplex est arcus E L, arcus E F. Quoniam verò si arcus C H, arcui E L, æqualis fuerit, etiam angulus H A C, angulo E D L, æqualis est; si autem arcus C H, maior fuerit arcu E L, etiam angulus H A C, angulo E D L, maior est; & si minor, minor; deficient propterea vnà arcus C H, & angulus H A C, æquè multiplicia primæ magnitudinis B C, & tertiæ B A C, ab arcu E L, & angulo E D L, æque multiplicibus secundę magnitudinis E F, & quartæ E D F; vel vnà æqualia erunt, vel vnà excedent. Quare quę proportio est arcus B C, primæ magnitudinis ad arcum E F, secundam magnitudinem, ea erit anguli B A C, tertiæ magnitudinis ad angulum E D F, quartam magnitudinem. Itaque anguli sphærici eandem habent rationem, quam eorum arcus. Quod erat demonstrandum. 18. huius. 18. huius. 12. huius. Defin. 6. quinti.

COROLLARIVM.

EX hoc sequitur, ita esse angulum sphæricum quemcumque ad quatuor angulos rectos sphæricos, vt est arcus illius anguli ad totam circunferentiam circuli maximi; & contra. Cum enim sit angulus sphæricus quicunque ad angulum rectum sphæricum, vt arcus illius anguli ad quadrantem, nimirum ad arcum anguli recti, erit quoque idem angulus ad quadruplum anguli recti nempe ad quatuor rectos, vt idem arcus illius anguli ad quadruplum quadrantis, hoc est, ad totam circunferentiam; & contra. 39. huius. Schol. 4. quinti.

THEOR.

THEOR. 38. PROPOS. 40.

SI duo circuli maximi in ſphæra ſe mutuò ſecent, & in eorum peripherijs duo puncta ſignentur, quorum vtrumque vel in eodem ſemicirculo ſumatur; vel in vno ſemicirculo vnum, & alterum in altero eiuſdem circuli; vel vnum in ſemicirculo vno vnius circuli, & alterum in ſemicirculo vtrolibet alterius circuli; atque per vtrumque horum punctorum arcus maximi circuli ducatur faciẽs cum peripheria alterius circuli, ad quamcumque partem, angulum rectum: habebit ſinus arcus intercepti inter vnum illorum punctorum, & alterutram ſectionem circulorum, ad ſinum arcus, qui per illud punctũ ductus rectum cum peripheria alterius circuli angulum facit, eandem proportionem, quam habet ſinus arcus inter punctum alterum, & alterutram circulorum ſectionem interiecti, ad ſinum arcus, qui per illud punctum deſcriptus cum alterius circuli peripheria rectũ conſtituit angulum.

IN ſphęra duo circuli maximi A B C D, A E C F, ſe mutuo ſecent in A, & C, & primum ad angulos non rectos; ſignenturque primum in eodem ſemicirculo A B C, duo puncta vtcũque B, G; per quę, & polum circuli A E C F, qui ſit
20.1 Theod. H, circuli maximi ducantur I B H K, L G H M; eruntque anguli ad I, L, K, M,
15.1. Theod. recti. Dico eãdem habere proportionẽ ſinum arcus A B, vel C B, ad ſinũ arcus B I, vel B K, quam habet ſinus arcus A G, vel C G, ad ſinũ arcus G L, vel G M.
3. vndec. Sit enim cõmunis ſectio circulorum recta AC, ad quam ex B, G, perpẽdiculares
12. primi. agãtur B N, G O, in plano circuli A B C D; eritq; B N, ſinus rectus tam arcus A B, quam arcus C B, ex definitione ſinus recti; & eodem modo G O, ſinus
11. vndec. vtriuſque arcus A G, C G. Demittantur ab eiſdem punctis B, G, ad planum circuli

circuli A E C F, perpendiculares B P, G Q. Et quoniam rectæ B P, G Q, cadunt in communes ſectiones circulorum I B K, L G M, cum circulo A E C F, quem bifariam ſecãt in punctis I, K; L, M, hoc eſt, cadũt in diametros circulorũ maximorum I B K, L G M; (quòd horum circulorum plana recta ſint ad planum circuli A E C F,) ac proinde rectos angulos faciunt cum diametris circulorum I B K, L G M, ex defin. 3. lib. 11. Eucl. erit quoque tam B P, ſinus rectus arcuũ B I, B K, quam G Q, ſinus rectus arcuum G L, G M, ex definitione ſinus recti. Ducantur in plano circuli A E C F, rectæ N P, O Q; eruntq; per defin. 3. lib. 11. Eucl. anguli P, Q, recti, in triangulis N B P, O G Q. Quia verò tam rectæ B N, G O, parallelę ſunt, propter angulos rectos A N B, A O G, quam rectæ B P, G Q, cum hæ perpendiculares ſint ad planũ circuli A E C F; erunt quoque anguli B, G, æquales in eiſdem triangulis N B P, O G Q. AEquiangula igitur ſunt triangula N B P, O G Q; atque adeò erit, vt N B, ſinus arcus A B, vel C B, ad B P, ſinum arcus B I, vel B K, ita O G, ſinus arcus A G, vel C G, ad G Q, ſinum arcus G L, vel G M, quomodocunque arcus ſumantur, cum cuilibet ſinui duo arcus ſemicirculũ conficientes reſpondeant. Hoc eſt, erit, vt ſinus arcus A B, ad ſinum arcus B I, ita ſinus arcus A G, ad ſinum arcus G L. Item vt ſinus arcus A B, ad ſinum arcus B K, ita ſinus arcus A G, ad ſinum arcus G M. Item vt ſinus arcus C B, ad ſinum arcus B I, ita ſinus arcus C G, ad ſinum arcus G L. Item vt ſinus arcus C B, ad ſinum arcus B K, ita ſinus arcus C G, ad ſinum arcus G M. Item vt ſinus arcus A B, ad ſinum arcus B I, ita ſinus arcus C G, ad ſinum arcus G M, &c.

38.vndec.
11.1.Theod.
5.1.Theod.



28. primi.
6.vndec.
10.vndec.
32.primi.
4.ſexti.

DEINDE ſumatur vnum punctum, puta B, in ſemicirculo A B C, & alterum, nempe D, in altero ſemicirculo C D A, eiuſdem circuli, ducanturque per puncta B, D, & polum circuli A E C F, qui ſit H, duo arcus circulorum maximorum I B K, D F S; eruntque anguli recti F, I, S, K. Dico rurſus, vt eſt ſinus arcus A B, vel C B, ad ſinum arcus B I, vel B K, ita eſſe ſinum arcus A D, vel C D, ad ſinum arcus D F, vel arcus, qui cum arcu F D, ſemicirculum perficit á puncto D, vſque ad punctum S, ſemicirculi A E C. Nam arcus ab F, per D, vſque ad S, ſemicirculus eſt, cum circuli A E C F, D F S, ſe mutuo bifariam ſecent in F, S. Sumatur enim arcui A D, arcus A G, æqualis, & per G, & polum circuli A E C F, nempe per H, arcus maximi circuli ducatur L G M; eruntque anguli L, M, recti. Quoniam igitur duo anguli A, L, trianguli A G L, duobus angulis A, F, trianguli A D F, æquales ſunt, (ſunt enim duo anguli A, ad verticem æquales, & anguli L, F, recti.) ſuntque latera A G, A D, rectos ſubten-

20.1.Theod.
15.1.Theod.
11.1.Theod.
1.huius.
20.1.Theod.
15.1.Theod.
6. huius.

21.huius. ſubtendentia angulos, per conſtructionem, æqualia; erunt quoque arcus G L, D F, æquales, ac propterea & eorum ſinus æquales erunt, necnon & ſinus arcuum æqualium A G, A D, erunt æquales. Eadem ergo eſt proportio ſinus arcus A G, ad ſinum arcus G L, quæ ſinus arcus A D, ad ſinum arcus D F: Vt autem ſinus arcus A G, ad ſinum arcus G L, ita demonſtratum eſt, eſſe ſinum arcus A B, vel C B, ad ſinum arcus B I, vel B K, propterea quòd puncta B, G, in eodem ſemicirculo ſumpta ſunt. Igitur erit quoque, vt ſinus arcus A B, vel C B, ad ſinum arcus B I, vel B K, ita ſinus arcus A D, ad ſinum arcus D F, &c.

POSTREMO ſumatur in ſemicirculo A B C, punctum B, & in alterius circuli ſemicirculo vtrouis nempe in A E C, aliud punctum L: Et per B, & polum circuli A E C, arcus maximi circuli ducatur I B K: Item per L, & per polum circuli A B C, arcus L G M, maximi circuli; eruntque anguli I, G, recti. Dico rurſus, vt eſt ſinus arcus A B, ad ſinum arcus B I, ita eſſe ſinum arcus A L, ad ſinum arcus L G, &c. Per polos enim vtriusque circuli A B C D, A E C F, arcus circuli maximi ducatur R E; eruntque anguli R, E, recti, diuidenturque ſemicirculi A B C, A E C, bifariam in punctis R, E; atque adeo ſinus quadrantum A R, A E, æquales erunt; Eademque proportio erit ſinus arcus A R, ad ſinum arcus R E, quæ ſinus arcus A E, ad ſinum arcus E R. Quoniam vero eſt, vt ſinus arcus A R, ad ſinũ arcus R E, ita ſinus arcus A B, ad ſinum arcus B I, vt demonſtratum eſt; (ſumpta ſunt enim duo puncta R, B, in eodem ſemicirculo) erit quoque, vt ſinus arcus A E, ad ſinum arcus E R, ita ſinus arcus A B, ad ſinum arcus B I: Sed eadem ratione eſt, vt ſinus arcus A E, ad ſinum arcus E R, ita ſinus arcus A L, ad ſinum arcus L G. Igitur erit quoque, vt ſinus arcus A B, ad ſinum arcus B I, ita ſinus arcus A L, ad ſinum arcus L G, &c. Quòd ſi loco puncti L, ſumatur in altero ſemicirculo A F C, eiuſdem circuli A E C F, aliud punctum, nempe F, & arcus F D, faciat angulum D, rectum, erit adhuc, vt ſinus arcus A B, ad ſinum arcus B I, ita ſinus arcus A F, ad ſinum arcus F D, &c. Vt enim proxime oſtendimus, vt ſinus arcus A B, ad ſinum arcus B I, ita eſt arcus ſinus A L, ad ſinum arcus L G: Vt autem ſinus arcus A L, ad ſinum arcus L G ita demonſtratum eſt, eſſe ſinum arcus A F, ad ſinum arcus F D, quòd puncta L, F, ſumantur in duobus ſemicirculis eiuſdem circuli. Igitur erit quoque, vt ſinus arcus A B, ad ſinum arcus B I, ita ſinus arcus A F, ad ſinum arcus F D: Atque ita in vniuerſum vera eſt propoſitio, quomodocunq; duo puncta ſumãtur, quando circuli A B C D, A E C F, ſe mutuo ſecant ad angulos non rectos.

20.1 Theod.
25.1 Theod.
20.1 Theod.
25.1 Theod.
9.1. Theod.



7. quinti.

SED

SED iam circuli A B C D, A E C F, secent se mutuo ad angulos rectos in punctis A, C; sitque eorum communis sectio recta A C. Diuiso autem v. g. semicirculo A B C, bifariam in H, vt sint quadrantes A H, C H, sumantur duo puncta vtcunque B, G. Dico ita esse rursus sinum arcus A B, ad sinum arcus, qui per B, ductus rectos angulos facit cum circulo A E C F, vt est sinus arcus A G, ad sinum arcus, qui per G, ductus cum circulo A E C F, rectos facit angulos. Quoniam enim circulus A B C, cum rectus ad circulum A E C, ponatur, transit per polos circuli A E C, erit H, polus circuli A E C. Quare arcus perpendiculares ad circulum A E C, per puncta B, G, ducti necessario per H, transibunt; atque adeò arcus illi erunt B A, G A: Perspicuum autem est, vt est sinus arcus A B, ad sinum arcus B A, ita esse sinum arcus A G, ad sinum arcus G A, cum vtrobique sit proportio æqualitatis, seu identitatis: Est enim idem sinus arcus A B, & arcus B A, necnon idem sinus arcus A G, & arcus G A. 13.1.Theod. Coroll. 16. 1. Theod. 13.1 Theod.



QVOD si alterum punctorum sit H, polus circuli A E C, erit quicunque arcus ex H, ductus, qualis est H E, perpendicularis, ad A E C, atque adeò quadrans. Rursus igitur manifestum est, ita esse sinum arcus A B, ad sinum arcus B A, vt est sinus arcus A H, ad sinum arcus H E, vel H A; cum vtrobique quoque sit æqualitatis proportio, &c. Si duo ergo circuli maximi in sphæra se mutuo secent, &c. Quod erat ostendendum. 15.1 Theod. Coroll. 16. 1. Theod.

SCHOLIVM.

PERSPICVVM *est ex demonstratis: Si duo circuli se mutuo secent, & in vno eorum ex duobus punctis vtcunq; assumptis ducantur ad alterius circuli planum duæ lineæ rectæ perpendiculares; ita esse sinum rectum arcus intercepti inter vnum illorum punctorum, & alterutram circulorum sectionem, ad perpendicularem ex illo puncto in planum alterius circuli demissam, vt est sinus rectus arcus inter alterum punctum, & alterutram sectionem circulorum interiecti, ad perpendicularem ab hoc altero puncto in planum alterius circuli demissam.* Nam *in priori figura huius propos. ostensum est, ita esse sinum arcus* A B, *vel* C B, *ad* B P, *sinum rectum arcus* B I, *vt est sinus arcus* A G, *vel* C G, *ad* G Q, *sinum rectum arcus* G L. *Cum ergo sinus* B P, G Q, *sint perpendiculares ex punctis* B, G, *in planum circuli* A E C F, *demissæ, patet propositum. Quòd si vnum punctorum acceptum sit* B, *ex vna parte sectionis* A, *& alterum punctum acceptum sit* D, *ex altera parte sectionis* A, *in eodem circulo; erit nihilominus ita sinus arcus* A B, *ad perpendicularem* B P, *ex* B, *demissam in planum alterius circuli* A E C F, *vt sinus arcus* A D, *ad perpendicularem, quæ ex* D, *in planum alterius circuli* A E C F, *demitteretur: propterea quod ostensum est, ita esse sinum arcus* A B, *ad sinum arcus* B I, *vt est sinus arcus* A D, *ad sinum arcus* D F; *qui quidem sinus arcuum* B I, D F, *sunt perpendiculares ex punctis* B, D, *in planum circuli* A E C F, *cadentes, vt ex demonstratis in hac propos. liquido constat.* Idem *perspicitur in figura posterioris: cum ibi etiam sit, vt sinus arcus* A B, *ad perpendicu-*

larem ex B, in planum circuli A E C F, demissam, ita sinus arcus A G, ad perpendicularem ex G, in planum circuli A E C F, demissam: propterea quòd sinus arcuum A B, A G, sunt ipsæmet perpendiculares ex B. G, in planum circuli A E C F, demissæ
38.vndec. *cadentes in rectam A C, communem circulorum sectionem, vt patet.*

HINC *facile demonstrari poterunt sequentia theoremata, quorum nonnulla plurimum ad sphæricorum triangulorum calculum conducunt. Primum autem ac secundum sunt duo Theoremata Ptolemæi Cyclica in primo lib. Almagesti, sed multo brevius, ac facilius demonstrata ex ijs, quæ in hoc scholio ostensa sunt. Vnde omittenda non videbantur, licet eorum vsus in hisce triangulis non appareat.*

I.

SI in sphæræ superficie ab vno puncto duo arcus maximorum circulorum educantur, quorum vterque semicirculo sit minor, & ab eorum terminis in ipsos reflectantur alij duo arcus maximorum circulorum se inter duos illos priores arcus intersecantes: proportio, quam sinus segmēti vnius eductorum arcuum inter terminum eius, & arcum reflexum habet ad sinum alterius segmenti eiusdem arcus educti, componitur ex proportione, quam sinus segmenti arcus reflexi inter eundem terminum, & alterum arcum reflexum habet ad sinum alterius segmenti eiusdem arcus reflexi, & ex proportione, quam sinus segmenti alterius eductorum arcuum inter eius terminum, & arcum reflexum habet ad sinū totius eiusdem arcus educti.

EX *puncto* A, *in superficie sphæræ educantur duo arcus* A B, A C, *semicirculis minores, & à terminis* B, C, *reflectantur ad ipsos duo arcus* B D, C E, *se intersecantes in* F. *Dico proportionem sinus arcus* B E, *ad sinum arcus* E A, *componi ex proportione sinus arcus* B F, *ad sinum arcus* F D, *& ex proportione sinus arcus* C D, *ad sinum arcus* C A. *Ductis enim ex punctis* B, A, D, *ad planum circuli* C E, *tribus perpendicularibus* B G, A H, D I; *quoniam duo circuli* A B, C E, *se mutuo secant in* E, *& ex punctis* B, A, *in planum circuli* C E, *demissæ sunt perpendiculares* B G, A H; *erit vt sinus arcus* E B, *ad sinum arcus* E A, *ita recta* B G, *ad rectam* A H: *Item quoniam duo circuli* B D, C E, *se mutuo secant in* F, *& ex punctis* B, D, *in planum circuli* C E, *deductæ sunt perpendiculares* B G, D I; *erit eadem ratione, vt sinus arcus* F B, *ad sinum arcus* F D, *ita recta* B G, *ad rectam* D I: *Denique quia duo circuli* A C, C E, *se intersecant in* C, *& ex punctis* D, A, *in planum circuli* C E, *demissæ sunt perpendiculares rectæ lineæ* D I, A H; *erit similiter, vt sinus arcus* C D, *ad sinum arcus* C A, *ita recta* D I, *ad rectam* A H. *Proportio autem rectæ* B G, *ad rectam* A H, *(posita media linea* D I.*) componitur ex proportione rectæ* B G, *ad rectam* D I, *& ex proportione rectæ* D I, *ad rectam* A H. *Igitur & proportio sinus arcus* B E, *ad sinum arcus* E A, *(quæ eadem est, quæ proportio* B G, *ad* A H.*) componetur ex proportione sinus arcus* B F, *ad sinum arcus* F D, *(quæ eadem est, quæ proportio* B G, *ad* D I.*) & ex proportione sinus arcus* C D, *ad sinum arcus* A C, *(quæ eadem est, quæ* D I, *ad* A H.*) quod est propositum.*

Schol. 40. huius. & permutando.



IISDEM

II.

IISDEM positis, proportio sinus vnius arcuum eductorum ad sinum segmenti eiusdem arcus inter punctum eductionis, & arcum reflexum, componitur ex proportione sinus arcus reflexi à termino dicti arcus ad sinum segmenti eiusdem arcus reflexi inter alterum arcum eductum, & alterum arcum reflexum, & ex proportione sinus segmenti alterius arcus reflexi inter terminum alterius arcus educti, & priorem arcum reflexum ad sinum totius posterioris arcus reflexi.

HOC est, proportio sinus arcus A B, *ad sinum arcus* A E, *componitur ex proportione sinus arcus* B D, *ad sinum arcus* D F, *& ex proportione sinus arcus* C F, *ad sinum arcus* C E. *Ductis enim ex punctis* B, E, F, *ad planum circuli* A C, *tribus perpendicularibus* B G, E H, F I; *quoniam duo circuli* A B, A C, *se mutuo secant in* A, *& ex punctis* B, E, *in planum circuli* A C, *demissæ sunt perpendiculares* B G, E H; *erit, vt sinus arcus* A B, *ad sinum arcus* A E, *ita recta* B G, *ad rectam* E H: *Item quia duo circuli* B D, A C, *se intersecant in* D, *& ex punctis* B, F, *in planũ circuli* A C, *deductæ sunt perpendiculares* B G, F I; *erit pari ratione, vt sinus arcus* D B, *ad sinum arcus* D F, *ita recta* B G, *ad rectam* F I: *Denique quoniam duo circuli* A C, C E, *se in* C, *intersecant, & ex punctis* F, E, *in planum circuli* A C, *demissæ sunt perpendiculares* F I, E H; *erit eadem argumentatione, vt sinus arcus* C F, *ad sinum arcus* C E, *ita recta* F I, *ad rectam* E H. *Componitur autem proportio rectæ* B G, *ad rectam* E H, *(posita media linea* F I.) *ex proportione rectæ* B G, *ad rectam* F I, *& ex proportione rectæ* F I, *ad rectam* E H. *Igitur & proportio sinus arcus* A B, *ad sinum arcus* A E, *(quæ eadem est, quæ* B G, *ad* E H.) *componetur ex proportione sinus arcus* B D, *ad sinum arcus* D F, *(quæ eadem est, quæ* B G, *ad* F I,) *& ex proportione sinus arcus* C F, *ad sinum arcus* C E, *(quæ eadem est, quæ* F I, *ad* E H.) *quod est propositum.*



Schol. 40. huius. & permutando.

III.

IISDEM positis, proportio sinus vnius arcuum eductorum ad sinum segmenti eiusdem arcus inter eius terminum, & arcum reflexum, componitur ex proportione sinus segmenti alterius arcus educti inter punctum eductionis, & arcum reflexum ad sinum reliqui segmenti, & ex proportione sinus segmenti arcus reflexi à termino posterioris arcus educti inter terminum, & alterum arcum reflexum ad sinum reliqui segmenti eiusdem arcus reflexi.

HOC est, (repetita figura primi theorematis) proportio sinus arcus A C, *ad sinum arcus* C D, *componitur ex proportione sinus arcus* A E, *ad sinum arcus* E B, *& ex pro-*

ex proportione sinus arcus B F, *ad sinum arcus* F D. *Quoniam enim duo circuli* A C, C E, *se intersecant in* C, *& ex punctis* A, D, *demissæ sunt perpendiculares* A H, D I, *ad planum circuli* C E; *erit, vt sinus arcus* C A, *ad sinum arcus* C D, *ita recta* A H, *ad rectam* D I: *Item quoniam duo circuli* A B, C E, *se mutuo secant in* E, *& ex punctis* A, B, *in planum circuli* C E, *deductæ sunt perpendiculares* A H, B G; *erit simili modo, vt sinus arcus* E A, *ad sinum arcus* E B, *ita recta* A H, *ad rectam* B G: *Denique quia duo circuli* B D, C E, *se mutuo secant in* F, *& ex punctis* B, D, *ad planum circuli* C E, *ductæ sunt perpendiculares* B G, D I; *erit eadem ratione, vt sinus arcus* F B, *ad sinum arcus* F D, *ita recta* B G, *ad rectam* D I. *Componitur autem proportio rectæ* A H, *ad rectam* D I, (*posita media linea* B G.) *ex proportione rectæ* A H, *ad rectam* B G, *& ex proportione rectæ* B G, *ad rectam* D I. *Igitur & proportio sinus arcus* A C, *ad sinum arcus* C D, (*quæ eadem est, quæ* A H, *ad* D I.) *componetur ex proportione sinus arcus* A E, *ad sinum arcus* E B, (*quæ eadem est, quæ* A H, *ad* B G.) *& ex proportione sinus arcus* B F, *ad sinum arcus* F D, (*quæ eadem est, quæ* B G, *ad* D I.) *quod est propositum.*

Schol. 40. huius. & permutando.



IIII.

IISDEM positis, proportio sinus segmenti vnius arcuum reflexorum inter terminum arcus educti, & alterum arcum reflexum ad sinum reliqui segmenti, componitur ex proportione sinus segmenti vnius arcuum eductorum inter eundem terminum, & alterum arcum reflexum ad sinum reliqui segmenti, & ex proportione sinus alterius arcus educti ad sinum segmenti illius inter terminum, & arcum reflexum.

HOC *est,* (*repetita eadem figura primi theorematis*) *proportio sinus arcus* B F, *ad sinum arcus* F D, *componitur ex proportione sinus arcus* B E, *ad sinum arcus* E A, *& ex proportione sinus arcus* A C, *ad sinum arcus* C D. *Cum enim duo circuli* B D, C E, *se mutuo secent in* F, *& ex* B D, *ad planum circuli* C E, *perpendiculares* B G, D I, *sint demissæ; erit, vt sinus arcus* F B, *ad sinum arcus* F D, *ita recta* B G, *ad rectam* D I: *Quia item duo circuli* B A, C E, *se mutuo secant in* E, *& ex punctis* B, A, *ad circulum* C E, *perpendiculares ductæ sunt* B G, A H; *erit quoque, vt sinus arcus* E B, *ad sinum arcus* E A, *ita recta* B G, *ad rectam* A H: *Denique quia duo circuli* A C, C E, *sese in* C, *secant, & ex punctis* A, D, *ad planum circuli* C E, *demissæ sunt perpendiculares* A H, D I; *erit similiter, vt sinus arcus* C A, *ad sinum arcus* C D, *ita recta* A H, *ad rectam* D I. *Proportio autem rectæ* B G, *ad rectam* D I, (*posita media linea* A H) *componitur ex proportione rectæ* B G, *ad rectam* A H, *& ex proportione rectæ* A H, *ad rectam* D I. *Igitur & proportio sinus arcus* B F, *ad sinum arcus* F D, (*quæ eadem est, quæ* B G, *ad* D I.) *componetur ex proportione sinus arcus* B E, *ad sinum arcus* E A, (*quæ eadem est, quæ* B G, *ad* A H.) *& ex proportione sinus arcus* A C, *ad sinum arcus* C D, (*quæ eadem est, quæ* A H, *ad* D I.) *quod est propositum.*

Schol. 40. huius. & permutando.

IISDEM

V.

IISDEM positis, proportio ſinus vnius arcuum reflexorum ad ſinum ſegmenti eiuſdem inter terminum arcus educti, & alterum arcum reflexum, componitur ex proportione ſinus ſegmenti alterius arcus educti inter punctum eductionis, & arcum reflexum ad ſinum totius arcus educti; & ex proportione ſinus alterius arcus reflexi ad ſinum ſegmenti eiuſdem inter priorem arcum eductum & priorem arcum reflexum.

HOC eſt, (repetita figura ſecundi theorematis) proportio ſinus arcus C E, *ad ſinum arcus* C F, *componitur ex proportione ſinus arcus* A E, *ad ſinum arcus* A B, *& ex proportione ſinus arcus* B D, *ad ſinum arcus* D F. *Nam cum duo circuli* A C, C E, *ſe in* C, *mutuò ſecent, & ex punctis* E, F, *ad planum circuli* AC, *ductæ ſint perpendiculares* EH, FI, *erit vt ſinus arcus* C E, *ad ſinum arcus* C F, *ita recta* E H, *ad rectam* F I: *Item cum duo circuli* A B, A C, *ſe interſecent in* A, *& ex punctis* E, B, *ad planum circuli* A C, *cadant perpendiculares* EH, BG; *erit etiam, vt ſinus arcus* A E, *ad ſinum arcus* A B, *ita recta* E H, *ad rectam* B G: *Quia denique duo circuli* A C, B D, *ſe mutuo ſecant in* D, *& ex punctis* B, F, *ad planum circuli* A C, *demiſſæ ſunt perpendiculares* B G, F I; *erit pari ratione, vt ſinus arcus* D B, *ad ſinum arcus* D F, *ita recta* B G, *ad rectam* F I. *Componitur autem proportio rectæ* E H, *ad rectam* F I, *(poſita media linea* B G,) *ex proportione rectæ* E H, *ad rectam* B G, *& ex proportione rectæ* B G, *ad rectam* F I. *Igitur proportio quoque ſinus arcus* C E, *ad ſinum arcus* C F, *(quæ eadem eſt, quæ* E H, *ad* F I.) *componetur ex proportione ſinus arcus* A E, *ad ſinum arcus* A B, *(quæ eadem eſt, quæ* E H, *ad* B G.) *& ex proportione ſinus arcus* B D, *ad ſinum arcus* D F, *(quæ eadem eſt, quæ* B G, *ad* F I.) *quod eſt propoſitum.*



Schol. 40. huius. & permutando.

VI.

SI in ſphæræ ſuperficie duo maximi circuli ſe mutuò non ad angulos rectos ſecent, & à duobus punctis in vno aſſumptis ad alterum circulum ducantur duo arcus perpendiculares: Erit, vt ſinus arcus inter punctum interſectionis, & alterutrum angulorum rectorum intercepti ad tangentem illius arcus perpendicularis, ita ſinus arcus inter punctum interſectionis, & alterum angulum rectum interiecti ad tangentem alterius huius arcus perpendicularis.

DVO circuli maximi A B, A C, *ſe mutuo ſecent in* A, *non ad angulos rectos, & ex punctis* C, E, *in circulo* A C, *aſſumptis ad circulum* A B, *ducantur arcus perpendiculares* C B, E D. *Dico ita eſſe ſinum arcus* A B, *ad tangentem arcus* C B, *vt eſt ſinus arcus* A D, *ad tangentem arcus* E D. *Productis enim arcubus* B C, D E, *donec coëant in* F, *erunt* B F, D F, *quadrantes. Quoniam vero à puncto* B, *duo arcus ma-* 25. huius.

ximorum

ximorum circulorum B A, B F, *educuntur, ab eorumq́; terminis* A, F, *ad ipsos duo arcus* A C, F D, *reflectuntur se intersecantes in* E; *componetur proportio sinus arcus*
Theorema 3. huius scholij. A B, *ad sinum arcus* A D, *ex proportione sinus arcus* B C, *ad sinum arcus* C F, *& ex proportione sinus arcus* E F, *ad sinum arcus* D E.
48. Sinuũ. *Est autem, (cum* C F, *sit complementũ arcus* B C.) *vt sinus arcus* C F, *ad sinum arcus* B C, *ita sinus totus ad tangentem arcus* B C; *conuertendoq́; vt sinus arcus* B C, *ad sinum arcus* C F, *ita tangens arcus* B C, *ad sinum totum: Item (cum* E F, *sit complementum arcus* D E.) *vt sinus arcus* E F, *ad sinum arcus* D E, *ita sinus totus ad tangentem arcus* D E. *Igitur proportio sinus arcus* A B, *ad sinum arcus* A D, *componetur quoque ex proportione tangentis arcus* B C, *ad sinum totum, & ex proportione sinus totius ad tangentem arcus* D E. *Cum ergo & proportio tangentis arcus* B C, *ad tangentem arcus* D E, *componatur ex proportione tangentis arcus* B C, *ad sinum totum, & ex proportione sinus totius ad tangentem arcus* D E; *quòd sinus totus inter dictas tangentes sit positus: erit, vt sinus arcus* A B, *ad sinum arcus* A D, *ita tangens arcus* B C, *ad tangentem arcus* D E; *& permutando, vt sinus arcus* A B, *ad tangentem arcus* C B, *ita sinus arcus* A D, *ad tangentem arcus* E D. *Quod est propositum.*



VII.

SI in sphæræ superficie duo quadrantes maximorum circulorum se intersecent ad angulos non rectos, & per extrema puncta arcus maximi circuli ducatur, necnon ab aliquo puncto vnius quadrantis ad alterum arcus perpendicularis demittatur: Erit, vt sinus totus ad tangentem huius arcus perpendicularis, ita tangens complementi arcus per extremitates quadrantum ducti ad sinum arcus quadrantis, ad quem perpendicularis arcus demissus est, inter punctum sectionis, & arcum perpendicularem interiecti.

DVO *quadrantes maximorum circulorum* A D, A E, *secent sese in* A, *ad angulos non rectos, & per* D, E, *arcus circuli maximi describatur*
35. huius. D E: *eruntq́; anguli* D, E, *recti. Item ex* C, *puncto quocunque demittatur ad* A D, *arcus perpendicularis* C B: *Productis autem arcubus* D E, B C,
35. huius. *donec in* F, *coëant, erunt* D F, B F, *quadrantes. Dico ita esse sinum totum ad tangẽtem arcus* B C, *vt est tangens arcus* E F, *qui complementum est arcus* D E, *ad sinum arcus* A B. *Quoniam enim à puncto* D, *duo arcus circulorũ maximorum educti sunt* D A, D F, *& ab eorum terminis* A, F, *duo alij*
Theorema 4. huius scholij. *reflectuntur* A E, F B, *secantes sese in* C; *erit proportio sinus arcus* C F, *ad sinum arcus*



arcus B C, *composita ex proportione sinus arcus* E F, *ad sinum arcus* D E, *& ex proportione sinus totius quadrantis* A D, *ad sinum arcus* A B. *Est autem, (cum* C F, *sit complementum arcus* B C.) *vt sinus arcus* C F, *ad sinum arcus* C B, *ita sinus totus ad tangentem arcus* B C: *Item, (cum* D E, *sit complementum arcus* E F.) *vt sinus arcus* D E, *ad sinum arcus* E F, *ita sinus totus ad tangentem arcus* E F; *& conuertendo, vt sinus arcus* E F, *ad sinum arcus* D E, *ita tangens arcus* E F, *ad sinum totum. Igitur & proportio sinus totius ad tangentem arcus* B C, *composita erit ex proportione tangentis arcus* E F, *ad sinũ totum, & ex proportione sinus totius quadrantis* A D, *ad sinum arcus* A B. *Cum ergo proportio tangentis arcus* E F, *ad sinum arcus* A B, *componatur quoque ex proportione tangentis arcus* E F, *ad sinum totum, & ex proportione sinus totius ad sinum arcus* A B; *quòd sinus totus sit medius inter illam tangentem, & hunc sinum: erit, vt sinus totus ad tangentem arcus* B C, *ita tangens arcus* E F, *ad sinum arcus* A B. *Quod est propositum.* 18. Sinuũ.

VIII.

SI in sphæræ superficie duo maximi circuli ad angulos non rectos se mutuo secent, & à duobus punctis in vno assumptis ad alterum circulum duo arcus perpendiculares ducantur: Erit, vt sinus arcus inter punctum sectionis, & alterutrum punctorum sumptorum ad secantem complementi arcus per reliquum punctum assumptum ducti, ita sinus arcus inter punctum sectionis, & reliquum hoc punctum sumptum ad secantem complementi arcus per alterum illud punctum assumptum ducti.

IN *proxima figura secent sese duo maximi circuli* A D, A E, *in* A, *ad angulos non rectos, & ex punctis* C, E, *ad* A D, *arcus perpendiculares ducantur* C B, E D, *producanturq́; donec coeant in* F. *Erunt* B F, D F, *quadrantes, ac propterea* C F, E F, 15. huius. *complementa arcuum* B C, D E. *Dico ita esse sinũ arcus* A E, *ad secantem arcus* C F, *vt est sinus arcus* A C, *ad secantem arcus* E F. *Quoniam enim à puncto* D, *duo arcus educuntur* D A, D F, *à quorum terminis* A, F, *duo alij ad ipsos reflectuntur* A E, F B, *se intersecantes in* C; *erit proportio sinus arcus* A E, *ad sinum arcus* A C, *composita ex proportione sinus arcus* D E, *ad sinum totum quadrantis* D F, *& ex proportione sinus totius quadrantis* B F, *ad sinum arcus* B C. Theorema 5. huius scholij. *Est autem, vt sinus arcus* D E, *ad sinum totum quadrantis* D F, *ita sinus totus ad secantem arcus* E F; 18. Sinuũ. *propterea quòd sinus totus medio loco proportionalis est inter sinum rectum arcus* D E, *& secantem arcus* E F, *qui complementum est arcus* D E: 18. Sinuũ. *Eademq́; ratione ita est secans arcus* C F, *ad sinum totum, vt sinus totus quadrantis* B F, *ad sinum arcus* B C; *quòd sinus totus medio quoque loco sit proportionalis inter secantem arcus* C F, *qui complementum est arcus* B C, *& sinum rectum arcus* B C. *Igitur proportio sinus arcus* A E, *ad sinum arcus* A C, *componetur quoque ex proportione secantis arcus* C F, *ad sinum totum, & ex proportione sinus totius ad secantem*



tem arcus E F. *Cum ergo & proportio secantis arcus* C F, *ad secantem arcus* E F, *componatur ex proportione secantis arcus* C F, *ad sinum totum*, *& ex proportione sinus totius ad secantem arcus* E F; *quòd sinus totus sit medius inter has secãtes: erit, vt sinus arcus* A E, *ad sinum arcus* A C, *ita secans arcus* C F, *ad secantem arcus* E F; *& permutando, vt sinus arcus* A E, *ad secantem arcus* C F, *ita sinus arcus* A C, *ad secantem arcus* E F. *Quod est propositum.*

40. huius. ALITER. *Quoniam est, vt sinus arcus* A E, *ad sinum arcus* E D, *ita sinus arcus* A C, *ad sinum arcus* C B; *hoc est, permutando, vt sinus arcus* A E, *ad sinum arcus* A C, *ita sinus arcus* E D, *ad sinum arcus* C B: *Est autem ita secans arcus* C F, *ad secantem arcus* E F, *vt sinus* E D, *qui complementum est posterioris arcus* E F, *ad sinum arcus* C B, *qui complementum est arcus prioris* C F; *erit quoque, vt sinus arcus* A E, *ad sinum arcus* A C, *ita secans arcus* C F, *ad secantem arcus* E F. *Et permutando, vt sinus arcus* A E, *ad secantem arcus* C F, *ita sinus arcus* A C, *ad secantem arcus* E F. *Quod est propositum.*

21. Sinuũ.

EADEM *hæc demonstratio locum etiam habet, licet duo puncta assumpta sint ad diuersas partes puncti sectionis. Secent enim rursum sese duo circuli maximi* E F, B A, *in* D; *& à punctis* F, E, *arcus* E F, *ducantur ad* B A, *arcus perpendiculares* F A, E B.



40. huius. *Dico ita esse sinum arcus* E D, *ad secantem complementi arcus* F A, *vt est sinus arcus* D F, *ad secantem complementi arcus* E B. *Nam quoniam est, vt sinus arcus* E D, *ad sinum arcus* E B, *ita sinus arcus* D F, *ad sinum arcus* F A; *& permutando, vt sinus arcus* E D, *ad sinum arcus* D F, *ita sinus arcus* E B, *ad sinum arcus* F A: *Vt autem sinus arcus* E B, *ad sinum arcus* F A, *ita est secans complementi arcus* F A, *ad secantem complementi arcus* E B: *erit quoque, vt sinus arcus* E D, *ad sinum arcus* D F, *ita secans complementi arcus* F A, *ad secantem complementi arcus* E B: *& permutando, vt sinus arcus* E D, *ad secantem complementi arcus* F A, *ita sinus arcus* D F, *ad secantem complementi arcus* E B. *Quod est propositum.*

21. Sinuũ.

REPETIVIMVS *autem hic figuram quartam propos. 35. licet arcuum* B C, C F, *nulla fiat mentio, ne nouam figuram cogeremur extruere.*

THEOR. 39. PROPOS. 41.

IN omni triangulo sphærico, sinus cuiuslibet arcus ad sinum anguli, quem subtendit, eandem habet proportionem, quam sinus vtriusque reliquorum arcuum ad sinũ anguli, quem subtendit.

SIT triangulum sphæricum quodcunque A B C. Dico ita esse sinum arcus A B, ad sinum anguli C, quem subtendit, vt est sinus arcus A C, ad sinum anguli B, quem subtendit, & vt sinus arcus B C, ad sinum anguli A, quem subtendit. Sint enim primum omnes tres anguli recti; eruntque propterea omnes arcus quadrantes. Manifestum igitur est, vt est sinus totus quadrantis A B,

Coroll. 25. huius.

A B, ad ſinum totum anguli recti C, ita eſſe totum quadrantis A C, ad ſinum totum anguli recti B, & ſinum totum quadrantis B C, ad ſinum totum anguli recti A.



DEINDE ſint duo tantum anguli A, B, recti, eruntq; idcirco arcus A C, B C, quadrantes, & C, polus arcus A B. Itaque rurſus perſpicuum eſt, vt eſt ſinus arcus A B, ad ſinum anguli C, hoc eſt, ad ſinum arcus A B, (Eſt enim A B, arcus anguli C, cum C, ſit polus arcus A B, vt oſtenſum eſt) ita eſſe ſinum totum quadrantis A C, ad ſinum totum anguli recti B, & ſinum totum quadrantis B C, ad ſinum totum anguli recti A; cum ſemper ſit æqualitatis proportio. 25.huius. Schol. 26. huius.

TERTIO ſit angulus duntaxat C, rectus, & reliquorum angulorum A, B, vterque recto minor, vel maior; vel alter recto maior, & alter minor. Si igitur vterque recto minor eſt, erunt omnes arcus quadrante minores. Producantur omnes, & fiant quadrantes B D, A E, B F, A G, & per puncta D, F, arcus maximi circuli D F, & per puncta E, G, arcus maximi circuli E G, ducatur; eruntque anguli D, F, E, G, recti, & B, polus arcus D F, & A, polus arcus E G; ac proinde arcus D F, E G, arcus erunt angulorum B, A. Tam verò quadrans B D, quam A E, arcus eſt anguli recti C, vt ex defin. 6. perſpicuum eſt. Quoniam igitur duo circuli maximi B D, B F, ſe mutuo ſecant in ſphæra in puncto B, & in arcu B D, ſumpta ſunt duo puncta A, D, à quibus ad arcum B F, ducti ſunt arcus perpendiculares A C, D F; erit vt ſinus arcus A B, ad ſinum arcus A C, ita ſinus arcus B D, ad ſinum arcus D F: & permutando, vt ſinus arcus A B, trianguli A B C, ad ſinum quadrantis B D, hoc eſt, ad ſinum totum anguli recti C, in eodem triangulo A B C, ita ſinus arcus A C, trianguli eiuſdem A B C, ad ſinum arcus D F, hoc eſt, ad ſinum anguli B, eiuſdem trianguli A B C. Eodem modo erit, vt ſinus arcus A B, in triangulo A B C, ad ſinum quadrantis A E, hoc eſt, ad ſinum totum anguli recti C, eiuſdem trianguli A B C, ita ſinus arcus B C, eiuſdem trianguli A B C, ad ſinum arcus E G, hoc eſt, ad ſinum anguli A, in eodem triangulo A B C. Patet ergo propoſitum. 28.huius. 20.1.Theod. 25.huius. Schol. 26. huius. 40.huius.



SI verò vterque angulorum A, B, eſt recto maior, erit arcus A B, quadrante minor: & tam arcus A C, quam B C, quadrante maior. Producto igitur arcu A B, in vtramque partem, vt ſint quadrantes A E, B D, abſciſſiſque quadrantibus A G, B F, ducatur per puncta D, F, arcus maximi circuli D F, & per E, G, maximi circuli arcus E G; eritque rurſum B, polus arcus D F, & A, polus arcus E G. Igitur D F, E G, arcus erunt angulorum B, A; necnon tam quadrans B D, quam A E, arcus anguli recti C, ex defin. 6. Item propter quadrantes B D, B F, vterque angulus D, F; & propter quadrantes A E, A G, 37.huius. 34.huius. 20.1.Theod. 26.huius. 25.huius.



vterque angulus E, G, rectus erit. Quia igitur duo maximi circuli B D, B C, se mutuo in sphæra secant in B, sumptaque sunt in B D, duo puncta A, D, à quibus ad B C, ducti sunt duo arcus A C, D F, perpendiculares, erit vt sinus
40.huius. arcus A B, ad sinum arcus A C, ita sinus arcus B D, ad sinum arcus D F: & permutando, vt sinus arcus A B, trianguli A B C, ad sinum quadrantis B D, hoc est, ad sinum totum anguli recti C, in eodem triangulo A B C, ita sinus arcus A C, eiusdem trianguli A B C, ad sinum arcus D F, hoc est, ad sinum anguli B, in eodem triangulo A B C. Eademq; ratione erit, vt sinus arcus A B, trianguli A B C, ad sinum quadrantis A E, hoc est, ad sinum totum anguli recti C, in eodem triangulo A B C, ita sinus arcus B C, eiusdem trianguli A B C, ad sinum arcus E G, hoc est, ad sinum anguli A, in eodem triangulo A B C. Quod est propositum.

SI denique alter angulorum A, B, recto maior est, & alter minor; sit B, ma-
37.huius. ior, & A, minor. Erit igitur arcus A B, quadrante maior: Item arcus A C,
34.huius. quadrante etiam maior, at verò B C, minor quadrante. Abscindantur ergo quadrantes B D, A E, & A G, productoque arcu B C, fiat
20.1.Theod. quadrans B F; & per puncta D, F, ducatur arcus D F, circuli maximi, necnon per E, G, arcus circuli maximi E G; eritque rursus B,
16.huius. polus arcus D F, & A, polus arcus E G. Igitur D F, E G, arcus erunt angulorum B, A; necnon tam quadrans B D, quam A E, arcus anguli C, recti, ex defin. 6. Item propter qua-
25.huius. drantes A E, A G, vterque angulus E, G, rectus erit. Quoniam igitur duo circuli maximi B A, B F, in sphæra se mutuo secant in B, sumptaque sunt in B A, duo puncta A, D, à quibus ad B F, ducti sunt duo arcus perpendiculares A C, D F; erit, vt sinus
40. huius. arcus A B, ad sinum arcus A C, ita sinus arcus B D, ad sinum arcus D F: & permutando, vt sinus arcus A B, trianguli A B C, ad sinum quadrantis B D, hoc est, ad sinum totum anguli recti C, in eodem triangulo A B C, ita sinus arcus A C, trianguli eiusdem A B C, ad sinum arcus D F, hoc est, ad sinum anguli B, in triangulo eodem A B C. Eodemque modo erit, vt sinus arcus AB, trianguli A B C, ad sinum quadrantis A E, hoc est, ad sinum totum recti anguli C, in eodẽ triangulo A B C, ita sinus arcus B C, eiusdem trianguli A B C, ad sinum arcus E G, hoc est, ad sinum anguli A, eiusdem trianguli A B C. Quod est propositum.



QVARTO ac vltimo nullus angulorum A, B, C, rectus sit. Per pun-
20.1.Theod. ctum A, & polum circuli B C, ducatur arcus circuli maximi A D, cadatque primum in latus B C, in-
15.1.Theod. tra triangulum; eruntq; anguli ad D, recti. Quoniam igitur in triangulo A B D, angulus D, rectus est; erit, vt iam demonstratum est, vt sinus arcus A B, ad sinum anguli A D B, ita sinus arcus A D, ad sinum anguli B: & permutando, vt sinus arcus A B, ad sinum arcus A D, ita sinus anguli A D B, ad sinum anguli B. Sed eodem modo, cum in triangulo A D C, angulus



gulus D, rectus sit; est, vt sinus arcus A D, ad sinum anguli A C D, ita sinus arcus A C, ad sinum anguli A D C: & permutando, vt sinus arcus A D, ad sinum arcus A C, ita sinus anguli A C D, ad sinum anguli A D C, hoc est, ad sinum anguli A D B, cum anguli ad D, sint recti. Ex æqualitate ergo, & perturbata proportione, erit, vt sinus arcus A B, ad sinum arcus AC, ita sinus anguli A C D, ad sinum anguli B; vt in apposita formula apparet. Igitur & permutando erit, vt sinus arcus A B, in triangulo A B C, ad sinum anguli A C B, in eodem triangulo ABC, ita sinus arcus A C, eiusdem trianguli A B C, ad sinum anguli B, in eodem triangulo ABC.

arcus	anguli
AB.	ACD.
AD.	ADB.
AC.	B.

CADAT deinde arcus per A, & polum circuli BC, ductus in arcum BC, productum ad E, eritq; angulus E, rectus. Quoniam igitur in triangulo A B E, angulus E, rectus est; erit, vt demonstratum est, vt sinus arcus A B, ad sinum anguli E, ita sinus arcus A E, ad sinum anguli B: & permutando, vt sinus arcus A B, ad sinum arcus A E, ita sinus anguli E, ad sinum anguli B. Sed eadem ratione, cum in triangulo A C E, angulus E, rectus sit, est, vt sinus arcus A E, ad sinum anguli A C E, ita sinus arcus A C, ad sinum anguli E: & permutando, vt sinus arcus A E, ad sinum arcus A C, ita sinus anguli A C E, ad sinum anguli E. Igitur ex æqualitate, & perturbata proportione, erit vt sinus arcus A B, ad sinum arcus A C, ita sinus anguli A C E, hoc est, anguli A C B, (cum idem sit sinus vtriusq; anguli ad C, quòd eorum arcus semicirculum constituant, vt constat ex coroll. propos. 5. huius tractatus. Perspicuum autem est ex ijs, quæ in tractatione sinuum diximus, duos arcus semicirculum conficientes, eundem habere sinum.) ad sinum anguli B; vt in apposita formula apparet. Igitur & permutando erit, vt sinus arcus A B, in triangulo A B C, ad sinum anguli A C B, eiusdem trianguli A B C, ita sinus arcus A C, in eodem triangulo A B C, ad sinum anguli B, eiusdem trianguli A B C. Quod si ex B, ad arcum A C, ducatur alius arcus perpendicularis, qui vel intra triangulum cadet, vel in arcum productum, ostendemus eodem modo, ita esse sinũ arcus A B, ad sinum anguli A C B, vt est sinus arcus B C, ad sinum anguli B A C. Itaque in omni triangulo sphærico, sinus cuiuslibet arcus, &c. Quod erat ostendendum.

15.1.Theod.

arcus	anguli
AB.	ACE.
AE.	E.
AC.	B.

COROLLARIVM.

HINC perspicuum est, in omni triangulo sphærico rectangulo, vt est sinus arcus rectum angulum subtendentis ad sinum totum, nempe ad sinum anguli recti, quem subtendit, ita esse sinum cuiuslibet reliquorum arcuum ad sinum anguli, quem subtendit. Quod idcirco dixerim, quia plerique scriptores hoc corollarium, tanquàm propositionem ab hac nostra propositione 41. diuersam, demonstrant: sed placuit nobis propositionem hanc magis vniuersalem reddere, prout nimirum complectitur & triangulum sphæricum rectangulum, & non rectangulum.

SCHOLIVM.

IN hac, & sequentibus propositionibus adducemus problemata, quibus sphæricorum triangulorum rectangulorum calculus perficitur, quæq; ex ipsis propositionibus eliciuntur. Quanquam autem nonnunquam in problemate aliquo plura propo-

nantur inuestiganda, primum tamen semper potissimum est, quod quæritur, inferaturq; primò ac per se ex ipso problemate. Ex hac igitur propositione sequentia tria problemata colliguntur.

I.

IN triangulo sphærico rectangulo, dato arcu, qui recto angulo opponitur & alterutro arcuum angulum rectum ambientium; inuenire angulum huic arcui oppositum.



IN *triangulo* A B C, *cuius angulus* C, *rectus, dati sint arcus* A B, A C. *Dico dari quoque angulum* B, *arcui* A C, *oppositum. Quoniam enim est, vt sinus arcus* A B, *ad sinum totum anguli recti* C, *ita sinus arcus* A C, *ad sinum anguli* B:

41. huius.

Praxis. *S I fiat, vt sinus arcus dati recto angulo oppositi ad sinum totum, ita sinus arcus circa angulum rectum dati ad aliud, reperietur sinus anguli quæsiti.*

VERVM *hic diligenter attendendum est, num angulus quæsitus* B, *sit acutus, an obtusus. Si enim acutus est, dabit arcus sinui inuento respondens angulum* B: *Si vero est obtusus, relinquet idem arcus ex semicirculo sublatus angulum* B. *Pulchre autem arcus datus* A C, *circa angulum rectum* C, *docebit, an angulus* B, *acutus sit,*
34. huius. *vel obtusus. Nam si* A C, *est minor quadrante, erit angulus* B, *acutus: Si vero quadrante maior, obtusus. Sumimus autem hic triangulum sphæricum, in quo vnus tantum angulus rectus est, & proinde nullus arcus Quadrans, vt in propos. dictum est: quod etiam in sequentibus intelligatur.*

II.

IN triangulo sphærico rectangulo, dato arcu, qui recto angulo opponitur, & alterutro angulorum non rectorum; inuenire arcum huic angulo oppositum.

IN *eodem triangulo datus sit arcus* A B, *recto angulo* C, *oppositus, & insuper angulus* B. *Dico dari quoque arcum* A C, *angulo* B, *oppositum. Cum enim sit, vt sinus*
41. huius. *arcus* A B, *ad sinum totum anguli recti* C, *ita sinus arcus* A C, *ad sinum anguli* B; *erit conuertendo, vt sinus totus ad sinum arcus* A B, *ita sinus anguli* B, *ad sinum arcus* A C.

Praxis. *S I igitur fiat, vt sinus totus ad sinum arcus angulo recto oppositi, ita sinus anguli dati ad aliud, inuenietur sinus arcus quæsiti.*

34. huius. *Hic autem arcus erit quadrante minor, si datus angulus est acutus: quadrante autem maior, si obtusus.*

III.

IN triangulo sphærico rectangulo, dato alterutro arcuū circa angulum rectū, & angulo, qui ei opponitur; inuenire arcū recto angulo oppositum. Oportet autem constare, num tertius angulus sit acutus, an obtusus: vel an tertius arcus sit quadrante minor, aut maior.

IN eodem triangulo datus sit arcus A C, circa angulum C, rectum, & angulus praeterea B, illi oppositus. Dico dari quoque arcum A B, recto angulo oppositum. Cum enim sit, vt sinus arcus A C, ad sinum anguli B, ita sinus arcus A B, ad sinum totum anguli recti C; erit conuertendo, vt sinus anguli B, dati ad sinum arcus A C, dati, ita sinus totus ad sinum arcus A B, recto angulo oppositi, qui quaeritur. 41. huius

SI igitur fiat, vt sinus anguli dati ad sinum dati arcus, ita sinus totus ad aliud, reperietur sinus arcus quaesiti, qui recto angulo opponitur. Praxis.

OPORTET autem constare, num tertius angulus A, acutus sit, an obtusus: vel an tertius arcus C B, quadrante minor sit, aut maior. Hinc enim discemus, quando arcus quaesitus A B, est quadrante minor, & quando maior; si aliunde id non constiterit. Nam si angulus A, fuerit acutus, si quidem & B, datus sit acutus: Vel si A, fuerit obtusus, si quidem & B, datus sit obtusus; erit arcus A B, recto angulo oppositus quadrante minor. Si vero angulus A, fuerit acutus, at B, datus obtusus: Vel si A, fuerit obtusus, at B, datus acutus; erit arcus A B, maior quadrante. Ita etiã, si arcus C B, fuerit quadrante minor, si quidem & A C, datus sit quadrante minor: Vel si C B, fuerit quadrante maior, si quidem & A C, datus sit maior quadrante; erit arcus A B, recto angulo oppositus quadrante minor. Si vero arcus C B, fuerit minor quadrante, at A C, datus quadrante maior: Vel si C B, fuerit quadrante maior, at A C, datus quadrante minor; erit arcus A B, maior quadrante. Itaq; non satis est, dari vnum arcum circa rectum angulum, cum angulo opposito, vt vult Copernicus propos. 4. de triangulis sphaericis: Id quod in scholio propos. 21. supra admonuimus; sed dari etiam debet species tertij anguli, vel tertij arcus. Qua in re etiam lapsus est Ioan. Regiom. propos. 27. lib. 4. triangulorum. 37. huius. 35. huius.

THEOR. 40. PROPOS. 42.

IN omni triangulo sphaerico rectangulo, cuius nullus arcuum quadrans sit, sinus vtriuslibet reliquorum angulorum eandem habet proportionem ad sinum totum, quam sinus complementi reliqui anguli ad sinum complementi arcus ipsum subtendentis.



IN triangulo sphaerico A B C, angulus B, sit rectus, & nullus arcuum quadrans. Dico ita esse sinum anguli C, ad sinum totum, vt est sinus complementi reliqui anguli A, ad sinum complementi arcus B C, angulum A, subtendentis. Quoniam enim nullus arcuum ponitur quadrans, nullus reliquorum angulorum rectus erit: Alias triangulum A B C, duos habens angulos rectos haberet duos arcus quadrantes; quod non ponitur. Sit ergo primum angulus A, acutus, & arcus A B, ipsi, & recto angulo B, Schol. 25. huius.

adiacens

33. huius. adiacens, quadrante minor. Quo posito, erit & angulus C, acutus: atque adeo
28. huius. omnes arcus trianguli A B C, quadrante minores. Producantur arcus A B, A C, & fiant quadrantes A D, A E, ac per puncta D, E, arcus D E, circuli maximi



20.1 Theod. ducatur D E, conueniens cum arcu B C,
25. huius. producto in F; Erit ergo vterq; angulus D, E, rectus, ob quadrantes A D, A E; atque adeo, cum & angulus B, rectus sit, vterque
25. huius arcus B F, D F, quadrans erit, ob angulos rectos B, D. Erit quoque D E, arcus anguli
25. huius. A; propterea quòd A, polus est arcus D E, ob quadrantes A D, A E. Item arcus E F, complementum erit arcus D E, & arcus C F, complementum arcus B C, ob quadrantes D F, B F. Quoniam vero in triangu-
Coroll. 41. huius. lo C E F, angulus E, rectus est; erit vt sinus arcus C F, ad sinum totum, ita sinus arcus E F, ad sinum anguli E C F: & conuertendo, vt sinus anguli
6. huius. E C F, hoc est, anguli A C B, qui illi æqualis est ad verticem, ad sinum arcus E F, ita sinus totus ad sinum arcus C F: & permutando, vt sinus anguli A C B, ad sinum totum, ita sinus arcus E F, hoc est, sinus complementi anguli A, ad sinum arcus C F, id est, ad sinum complementi arcus C B. Quod est propositum.

SIT deinde angulus A, obtusus, & adhuc arcus A B, quadrante minor. Fiat angulus B A D, rectus, secetque arcus A D, arcum B C, in D. Producto quoque arcu A B, fiat quadrans A E, & per puncta E, D, ducatur arcus E D,
20.1 Theod. circuli maximi secans arcum A C, in F. Et quia duo anguli D A B, D B A, recti sunt, erunt arcus A D, B D, quadrantes; atque adeo cum



Schol. 25. huius. A E, quadrans quoque sit, & angulus D A E,
26. huius. rectus, erit & D E, quadrans, & A, polus arcus D E. Igitur & arcus A F, quadrans erit, cum ar-
Coroll. 16. 1. Theod. cus E F, quadrante semper absit à suo polo. Angulus item vterque ad F, cum arcus A F, tran-
15. 1. Theod. seat per A, polum arcus E F, rectus erit. Præterea E F, erit arcus anguli B A C, ob quadrantes A E, A F. Erit quoque arcus D F, complementum arcus E F, seu anguli B A C; & arcus C D, complementum arcus B C, ob quadrantes D E, B D. Quoniam igitur in triangulo C D F, an-
Corollar. 41. huius. gulus F, rectus est, erit vt sinus arcus C D, ad sinum totum, ita sinus arcus D F, ad sinum anguli C: & conuertendo, vt sinus anguli C, ad sinum arcus D F, ita sinus totus ad sinum arcus C D: & permutando, vt sinus anguli C, ad sinum totum, ita sinus arcus D F, hoc est, sinus complementi anguli B A C, ad sinum arcus C D, id est, ad sinum complementi arcus B C. Quod est propositum.

SIT tertio angulus A, acutus, & arcus A B, quadrante maior. Quo posi-
33. huius. to, erit reliquus angulus C, obtusus; ac proinde arcus A C, rectum angulum
37. huius. B, subtendens quadrante quoque maior. Abscindantur quadrantes A D, A E, & per

& per puncta D, E, ducatur arcus D E, circuli maximi coiens cum arcu B C, protracto in F; eritq; vterq; angulus D, E, rectus, ob quadrantes A D, A E; atque idcirco, cum & angulus B, sit rectus, quadrantes erunt B F, D F. Erit quoque D E, arcus anguli A, quòd A, polus sit arcus D E. Quare E F, complementum est anguli A; & C F, complementum arcus B C, ob quadrantes D F, B F. Quoniam igitur in triangulo C E F, angulus E, rectus est, erit vt sinus arcus C F, ad sinum totum, ita sinus arcus E F, ad sinum anguli E C F: & conuertendo vt sinus anguli E C F, hoc est, anguli A C B. (Habent enim duo anguli ad C, eundem sinum, cum eorum arcus semicirculum conficiant, ex coroll. propos. 5.) ad sinum complementi anguli A, ita sinus totus ad sinum arcus C F, hoc est, ad sinum complementi arcus B C: & permutãdo, vt sinus anguli A C B, ad sinum totum, ita sinus arcus E F, siue complementi anguli A, ad sinum arcus C F, seu complementi arcus B C. Quod est propositum. 20.1 Theod. 25.huius. 25.huius. 26.huius. Coroll. 41. huius.



QVARTO ac vltimo sit angulus A, obtusus, & adhuc arcus A B, quadrante maior. Fiat angulus rectus B A D, secetq; arcus A D, arcum B C, in D. Abscindatur quoque ex A B, quadrans A E, & per puncta E, D, ducatur arcus E D, circuli maximi secans arcum A C, productum in F. Et quia angulus B, rectus ponitur, & angulus B A D, rectus quoque ex constructione est, erunt arcus A D, B D, quadrantes. Rursus quia arcus A D, A E, quadrantes sunt, continentque angulum D A E, rectum, erit arcus D E, quadrans, & A, polus arcus D E; ac proinde cum arcus A F, transeat per A, polum arcus E F, erit angulus F, rectus. Item E F, erit arcus anguli B A C. Præterea arcus D F, complementum erit arcus E F, seu anguli B A C; & arcus C D, complementum arcus B C, ob quadrantes D E, B D. Quoniam igitur in triangulo C D F, angulus F, rectus est, erit vt sinus arcus C D, ad sinum totũ ita sinus arcus D F, ad sinum anguli D C F: Et conuertendo, vt sinus anguli D C F, hoc est, anguli A C B, (Habent enim arcus angulorum D C F, A C B, eundem sinum, cum semicirculum cõstituant.) ad sinum arcus D F, hoc est, ad sinum complementi anguli B A C, ita sinus totus ad sinum arcus C D, hoc est, ad sinum complementi arcus B C: Et permutando, vt sinus anguli A C B, ad sinum totum, ita sinus arcus D F, siue complementi anguli B A C, ad sinum arcus C D, seu complementi arcus B C. Quod est propositum. Igitur in omni triangulo sphærico rectangulo, &c. Quod demonstrandum erat. 20.1 Theod. 25.huius. 26. huius. 15.1.Theod. Coroll. 41. huius. Coroll. 5. huius.



SCHOLIVM.

COLLIGEMVS *ex hac propositione duo hæc problemata.*

I.

IN triangulo ſphęrico rectangulo, datis duobus angulis non rectis; inuenire arcum vtrilibet eorum oppoſitum, vna cum arcu, qui recto angulo opponitur.

IN triangulo A B C, *cuius angulus* C, *rectus, dati ſint anguli* A, B. *Dico vtrumuis arcuum* A C, B C, *quoque dari, cum arcu* A B. *Quoniam enim eſt, vt ſinus anguli* A, *ad ſinum totum, ita ſinus complementi anguli* B, *ad ſinum complementi arcus* A C. *Item, vt ſinus anguli* B, *ad ſinum totum, ita ſinus complementi anguli* A, *ad ſinum complementi arcus* B C;

42. huius.



Praxis.

SI fiat, vt ſinus anguli dati, qui quæſito lateri adiacet, ad ſinum totum, ita ſinus complementi reliqui anguli dati ad aliud, producetur ſinus complementi arcus huic poſteriori angulo oppoſiti, qui quæritur. Inuento autem vtroque arcu circa angulum rectum, reperietur quoque ex vtrolibet illorum, & ex angulo, qui ei opponuntur dato, arcus recto angulo oppoſitus, vt in problemate 3. propoſitionis 41. oſtendimus.

34. huius. VTRVM *autem arcus* A C, B C, *ſint minores quadrante, aut maiores, ita diſcemus. Si angulus* B, *eſt acutus, erit arcus* A C, *ei oppoſitus quadrante minor: Si vero obtuſus, quadrante maior. Eadem ratione ſi angulus* A, *fuerit acutus, erit arcus ei oppoſitus* B C, *quadrante minor: ſi vero obtuſus, quadrante maior.*

II.

IN triangulo ſphærico rectangulo, dato alterutro angulorum non rectorum, cum alterutro arcuum circa angulum rectum; inuenire alium angulum non rectum, & reliquos duos arcus.

IN eodem triangulo datus ſit primum arcus A C, *cum angulo* A, *ſibi adiacente. Dico dari quoque angulum* B, *cum arcubus* B C, A B. *Cum enim ſit, vt ſinus anguli* A, *ad ſinum totum, ita ſinus complementi anguli* B, *ad ſinum complementi arcus* A C; *erit conuertendo, vt ſinus totus ad ſinum anguli* A, *dati, ita ſinus complementi dati arcus* A C, *ad ſinum complementi anguli* B, *qui quæritur.*

42. huius.

Praxis, quã do datur arcus cum angulo adiacente.

QVANDO ergo datur arcus cum angulo ſibi adiacẽte, ſi fiat, vt ſinus totus ad ſinum anguli dati, ita ſinus complementi arcus dati ad aliud, reperietur ſinus complementi alterius anguli, qui quæritur. Hinc ex duobus angulis non rectis iam cognitis, cognoſcentur reliqui duo arcus, vt in proximè antecedenti problemate demonſtratum eſt: Tertius autem datus eſt ex hypotheſi.

34. huius. NVM *vero angulus* B, *quæſitus ſit acutus, obtuſusue, docebit datus arcus* A C. *Si enim fuerit quadrante minor, erit angulus* B, *acutus: ſi vero maior quadrante, obtuſus.*

DATVS

DATVS deinde sit arcus A C, cum angulo B, sibi opposito, constetq; de reliquo angulo A, num acutus sit, an obtusus: vel de altero arcu B C, circa rectum angulum, qualis sit. Dico rursum dari & reliquum angulũ A, & reliquos arcus B C, A B. Nam cum sit, vt sinus anguli A, ad sinum totum, ita sinus complementi anguli B, ad sinum complementi arcus A C; erit conuertendo, vt sinus complementi arcus A C, dati ad sinum complementi anguli B, dati, ita sinus totus ad sinum anguli A, quaesiti. 42. huius.

IGITVR cum datur arcus cum angulo sibi opposito, si fiat, vt sinus complementi arcus dati ad sinum complementi anguli dati, ita sinus totus ad aliud, procreabitur sinus reliqui anguli, qui quaeritur. Ex duobus ergo angulis non rectis iam cognitis, cognoscentur reliqui duo arcus, vt in praecedenti problemate monstrauimus. Tertius autem per hypothesim datus est. Praxis, quãdo datur arcus cum angulo opposito.

OPORTET autem constare, num reliquus angulus A, sit acutus, an obtusus, vt sciatur, qualis angulus sinui inuento respondens sit accipiendus, acutusne, an obtusus. Quòd si constaret de arcu B C, qualis sit, illico cognosceretur quoque species anguli A. Nam si arcus B C, fuerit quadrante minor, erit angulus A, acutus: si autem quadrante maior, obtusus. Pari ratione, si sciretur, qualis sit arcus A B, angulo recto oppositus, continuò speciem anguli A, cognosceremus. Nam si arcus A B, fuerit minor quadrante, & datus quidem angulus B, acutus, erit quoque angulus A, acutus; Si vero datus angulus B, sit obtusus, erit quoque obtusus angulus A. At si arcus A B, fuerit maior quadrante, & datus quidem angulus B, acutus, erit angulus A, obtusus: Si vero datus angulus B, sit obtusus, erit angulus A, acutus. Itaque non est satis, dari angulum non rectum, cum arcu opposito, vt vult Copernicus propos. 4. de triangulis sphaericis: Id quod supra quoque monuimus in scholio propos. 21. sed debet etiam dari species tertij anguli, vel species arcus alterius circa rectum angulum; vel certe species arcus recto angulo oppositi. Qua in re lapsus est Nicolaus Copernicus, qui voluit in propos. 4. de triangulis sphaericis, satis esse, vt detur arcus circa rectum angulum, cum alterutro angulorum non rectorum. Falsum enim hoc est de angulo dato arcui opposito, nisi aliud praeterea constet, vt hic diximus, & in scholio propos. 21. monuimus. 34. huius. 38. huius. Error Copernici.

THEOR. 41. PROPOS. 43.

IN omni triangulo sphaerico rectangulo, cuius nullus arcuum quadrans sit, sinus complementi arcus rectum angulum subtendẽtis ad sinum complementi vtriusve reliquorum arcuum eandem habet proportionem, quam sinus complementi reliqui arcus ad sinum totum.

IN triangulo sphaerico rectangulo A B C, angulus B, sit rectus, & nullus arcuum quadrans. Dico ita esse sinum complementi arcus A C, ad sinum complementi arcus v. g. A B, vt est, sinus complementi reliqui arcus B C, ad sinum totum. Quoniam enim nullus arcuum ponitur quadrans, nullus reliquorum angulorum erit rectus. Alias triangulum A B C, Schol. 25. huius. duos angulos habens rectos haberet duos arcus quadrantes. quod non ponitur. Sit ergo primum angulus A, acutus, & arcus A B, ipsi & recto angulo B, adiacens quadrante minor. 33. huius. Quo posito, erit & angulus C, acutus; atque 28. huius. adeo omnes arcus trianguli A B C, quadrante minores. Producantur arcus A B, A C, & fiant quadrantes A D, A E; ac per puncta D, 20. 1 Theod. E, arcus D E, circuli maximi ducatur D E, conueniens cum arcu B C, producto in F. Erit 25. huius. ergo vterque angulus D, E, rectus, ob quadrantes A D, A E; atque adeo, cum & angulus B, ponatur rectus, erit vterq; arcus B F, D F, quadrans, ob rectos 26. huius. angulos B, D. Præterea B D, erit arcus anguli F; propterea quòd F, polus est arcus B D, ob quadrantes B F, D F. Item C F, complementum erit arcus B C; & B D, C E, complementa arcuum A B, A C, ob quadrantes B F, A D, A E. 41. huius. Manifestum autem est in triangulo C E F, ita esse sinum arcus C E, hoc est, sinum complementi arcus A C, ad sinum anguli F, hoc est, ad sinum arcus B D, seu complementi arcus A B, vt est sinus arcus C F, hoc est, sinus complementi arcus B C, ad sinum anguli recti E, id est, ad sinum totum. Quod est propositum.



SIT deinde angulus A, obtusus, & adhuc arcus A B, quadrante minor. Fiat angulus B A D, rectus, secetq; arcus A D, arcum B C, in D. Producto 20. 1 Theod. quoque arcu A B, fiat quadrans A E, & per puncta E, D, ducatur arcus E D, circuli maximi secans arcum A C, in F. Et quia duo anguli D A B, D B A, Schol. 25. huius. recti sunt, erunt arcus A D, B D, quadrantes; atque adeo cum A E, quoque sit quadrans, & angulus D A E, rectus, erit & 26. huius. arcus D E, quadrans; ac proinde B E, ob quadrantes B D, E D, erit arcus anguli B D E, 6. huius. hoc est, anguli C D F, qui illi ad verticem est 26. huius. æqualis. Quoniam vero A, polus est arcus Coroll. 16. 1. Theod. E D, erit & arcus A F, quadrans, cum arcus E F, quadrante semper absit à suo polo; nec- 15. 1. Theod. non & angulus A F E, & angulus C F D, rectus. Præterea erit arcus C F, complementum arcus A C; & arcus B E, complementum arcus A B; & arcus C D, complementum arcus B C, ob quadrantes A F, A E, B D. Perspicuum autem est in triãgulo C D F, ita esse 41. huius. sinum arcus C F, hoc est, sinum complementi arcus A C, ad sinum anguli C D F, hoc est, ad sinum arcus B E, siue complementi arcus A B, vt est sinus arcus C D, nempe sinus complementi arcus B C, ad sinum anguli recti F, hoc est, ad sinum totum. Quod est propositum.



TERTIO sit angulus A, acutus, & arcus A B, quadrante maior. Quo posito,

posito, erit reliquus angulus C, obtusus; ac proinde arcus A C, rectum angu- 33.huius.
lum B, subtendens quadrante quoque maior. 37.huius.
Abscindantur quadrantes A D, A E, & per puncta D, E, ducatur arcus D E, circuli maximi conueniens cum arcu B C, producto in 20.1 Theod.
F; Eritq; vterque angulus D, E, rectus, ob quadrantes A D, A E; atque adeo, cum & an- 25.huius.
gulus B, rectus sit, quadrantes erunt arcus B F, D F; proptereaq; B D, arcus erit anguli 25. huius.
F. Item arcus C F, complementum erit arcus B C, & arcus D B, E C, complementa arcuum 41. huius.
A B, A C, ob quadrantes B F, A D, A E. Perspicuum est autem in triangulo C E F, ita esse sinum arcus E C, id est, sinum complementi arcus A C, ad sinum anguli F, hoc est, ad sinum arcus D B, hoc est, ad sinum complementi arcus A B, vt est sinus arcus C F, nempe sinus complementi arcus B C, ad sinum anguli recti E, hoc est, ad sinum totum. Quod est propositum.



POSTREMO sit angulus A, obtusus, & adhuc arcus A B, quadrante maior. Fiat angulus rectus B A D, secetq; arcus A D, arcum B C, in D. Abscindatur quoque ex A B, quadrans A E, & per puncta E, D, describatur ar- 20.1 Theod.
cus E D, circuli maximi secans arcum A C, productum in F. Et quia angulus B, ponitur rectus, & angulus B A D, rectus factus est, erunt arcus A D, B D, quadrantes. 25 huius.
Rursus quia arcus A D, A E, quadrantes sunt, continentq; angulum rectum D A E, erit & arcus D E, quadrans, & A, polus arcus E D; 26.huius.
atque adeo angulus F, rectus erit Præterea quia 15.1.Theo.
D B, D E, quadrantes sunt ostensi, erit E B, arcus anguli B D E, hoc est, anguli C D F, qui illi ad verticem est æqualis. Item cum A, po- 6.huius.
lus sit arcus E F, erit arcus A F, quadrans, quòd arcus E F, quadrãte semper absit à suo Coroll. 16.
polo. Arcus item C F, complementum erit 1. Theod.
arcus A C; & arcus E B, complementum arcus A B; & arcus C D, complementum arcus B C, ob quadrantes A F, A E, B D. Manifestum est autem in triangulo C D F, ita esse sinum arcus C F, id est, sinum complementi arcus A C, ad 41. huius
sinum anguli C D F, hoc est, ad sinum arcus B E, siue complementi arcus A B, vt est sinus arcus C D, nempe sinus complementi arcus B C, ad sinum anguli recti F, hoc est, ad sinum totum. Quod est propositum. In omni ergo triangulo sphærico rectangulo, &c. Quod erat ostendendum.



SCHOLIVM. I.

SEQVENS *problema ex hac propos. colligemus hunc in modum.*

IN triangulo sphærico rectangulo, datis duobus arcubus quibuslibet, inuenire tertium arcũ, & reliquos duos angulos non rectos.



IN *triangulo* ABC, *cuius angulus* C, *rectus*, *dati sint primum duo arcus* AC, CB, *circa angulum rectum* C. *Dico dari quoque tertium arcum* AB, *cum duobus angulis* A, B. *Quoniam enim est, vt sinus complementi arcus* AB, *ad sinum complementi arcus* AC, *ita sinus complementi arcus* CB, *ad sinum totum; erit conuertendo, vt sinus totus ad sinum complementi arcus* CB, *ita sinus complementi arcus* AC, *ad sinum complementi arcus* AB.

43. huius.

Praxis, quãdo dantur duo arcus circa angulũ rectum.

QVAMOBREM, datis duobus arcubus rectum angulum ambientibus, si fiat, vt sinus totus ad sinum complementi vtriuslibet arcuum datorum, ita sinus complementi alterius arcus dati ad aliud, producetur sinus complementi arcus recto angulo oppositi, qui quæritur. Ex dato autem arcu, qui recto angulo opponitur, cum vtrouis arcu circa rectum angulum, inuenietur angulus ei oppositus, vt in problemate 1. *propos.* 41. *tradidimus.*

35. huius.

VTRVM *vero quæsitus arcus* AB, *quadrante minor sit, aut maior, docebunt duo arcus dati. Si enim vterque fuerit minor, aut maior quadrante, erit arcus* AB, *quadrante minor: Si vero vnus sit quadrante minor, & alter maior, erit arcus* AB, *quadrante maior.*

43. huius.

DATVS *deinde sit arcus* AB, *recto angulo oppositus, cum alterutro arcuum circa angulum rectum, vt cum* AC. *Dico rursum dari reliquum arcum* CB, *cum duobus angulis* A, B. *Nam cum sit, vt sinus complementi arcus* AB, *ad sinum complementi arcus* AC, *ita sinus complementi arcus* CB, *ad sinum totum; erit conuertendo, vt sinus complementi arcus* AC, *ad sinum complementi arcus* AB, *ita sinus totus ad sinum complementi arcus* CB.

Praxis, quãdo datur arcus recto angulo oppositus, cũ alterutro circa angulũ rectum.

QVAPROPTER, dato arcu, qui recto angulo opponitur, cum alterutro arcuum circa angulum rectum, si fiat, vt sinus complementi arcus dati circa angulum rectum ad sinum complementi arcus angulo recto oppositi, ita sinus totus ad aliud, inuenietur sinus complementi alterius arcus circa angulum rectum, qui quæritur. Ex quouis autem arcu dato circa rectum angulum, cum arcu, qui recto angulo opponitur, reperietur angulus illi arcui oppositus, vt in problemate 1. *propos.* 41. *demonstratum est.*

36. huius.

AN *vero tertius arcus* CB, *quæsitus sit quadrante minor, aut maior, intelligemus ex duobus arcubus datis. Si namque arcus* AB, *angulo recto oppositus fuerit quadrante minor, si quidem & alter datus* AC, *sit quadrante minor, erit & arcus* CB, *quadrante minor; si vero* AC, *sit quadrante maior, erit &* CB, *maior quadrante. Si autem* AB, *fuerit quadrante maior, si quidem &* AC, *sit quadrante maior, erit* CB, *quadrante minor; si vero* AC, *sit minor quadrante, erit* CB, *quadrante maior.*

Quicquid demonstratur de triãgulo sphæ-

SCHOLIVM. II.

QVAMVIS *& hanc propos.* 43. *& antecedentem* 42. *quadrimembrem fecerimus,* vimus, vt vtraque in omnibus casibus demonstraretur: satis tamen fuisset, si vtraq; in primo casu, existentibus nimirum omnibus arcubus quadrante minoribus, demonstratione fuisset confirmata. Eo enim casu demonstrato, facile demonstrationem omnibus alijs casibus accommodabimus. Sit namque triangulum sphæricum quodcunq; rectangulum A C D, habens angulum C, rectum. Aut igitur duo arcus A C, C D, circa angulum rectum quadrāte sunt minores, ac proinde & tertius arcus A D, quadrante quoque minor; aut vnus quadrante maior, & alter minor; aut denique ambo quadrante maiores: Nam de eo solo sphærico triangulo rectangulo agimus, in quo nullus arcus est quadrās. Sint primum duo arcus A C, C D, circa angulum rectum quadrante minores: quo posito, erit vterque angulus D, A, acutus, proptereaque triangulo A C D, demonstratio vtriusque propositionis conueniet, quo ad primum casum.

rico rectangulo, cuius omnes arcus sint quadrante minores, locū etiā habet i omni triangulo sphærico rectangulo.

35. huius.



34. huius.

SIT deinde arcus DC, quadrante maior, & C A, minor. Productis arcubus D C, D A, donec coeant in B; erunt D A B, D C B, semicirculi; atque adeo C B, quadrante minor. Sunt ergo in triangulo A C B, duo arcus A C, C B, circa angulum rectum C, quadrante minores. Quare, vt proxime ostendimus, ei vtriusque propositionis demonstratio, quo ad primum casum, conueniet. cum ergo ijdem sinus tam recti, quam complementorum, sint arcuum, & angulorum trianguli A C B, qui arcuum, & angulorum trianguli A C D; (Nam, vt in sinubus diximus, arcus C D, C B, eundem sinum habent tam rectum, quam complementi, necnon & arcus A D, A B. Item tam recti anguli ad C, eundem sinum habent, nempe totum, quam anguli obliqui ad A, cum duobus rectis sint æquales. Denique & anguli D, B, eundem sinum habent, cum sint inter se æquales: Arcus autem A C, vtrique triangulo communis est.) liquido constat, quicquid de sinubus arcuum, angulorumq; trianguli A C B, fuerit ostensum, idem in sinubus arcuum, & angulorum trianguli A C D, locum habere.

11.1 Theod.

5. huius.

13. primi.

POSTREMO sint duo arcus D C, C A, quadrante maiores: quo posito, erit arcus C B, minor quadrante. Habet igitur triangulum A C B, arcum A C, circa angulum rectum C, quadrante maiorem, & C B, minorem. Quare et, vt proxime est demonstratum, vtraque propositio conueniet. Cum ergo ijdem sinus tam recti, quam complementorum, sint arcuum, & angulorum trianguli A C B, qui arcuum, & angulorum trianguli A C D, vt paulo ante diximus, liquet easdem propositiones triangulo quoque A C D, conuenire. Perspicuum ergo est, quicquid de sinubus arcuum, angulorumq; trianguli sphærici rectanguli, cuius duo arcus circa angulum rectum quadrante sint minores, demonstratum fuerit, locum etiam habere in quocunq; alio triangulo sphærico rectangulo.

IDEM prorsus dicendum est de tertio casu propos. 41. Satis enim fuisset illum demonstrasse in triangulo rectangulo, cuius omnes arcus sunt quadrante minores, quale est triangulum secundæ figuræ propos. 41. dictæ; cum eius trianguli demonstratio omnibus alijs conueniat, vt ex demonstratis in hoc scholio est manifestum.

EX his, quæ proximis tribus propositionibus demonstrauimus, absolutus iam per sinus est calculus triangulorum sphæricorum rectangulorum: quare iam non rectangulorum calculus sequi deberet. Sed quia per lineas tangentes, ac secantes breuius plerunque triangulorum rectangulorum calculus, quam per sinus, expeditur, adiungemus

gemus sequentes propositiones ad triangula quoque sphærica rectangula spectantes, antequam triangulorum sphæricorum non rectangulorum calculum exponamus. Vt autem clariores fiant demonstrationes, & minus confusæ, proponemus semper triangulum sphæricum rectangulum, cuius duo arcus circa angulum rectum, ac proinde omnes tres, minores sint quadrante. Nam eædem demonstrationes alijs omnibus conuenient, vt in hoc scholio demonstrauimus: quippe cum & tam duo arcus semicirculum conficientes, quàm duo anguli duobus rectis æquales, eandem habeant tangentem, ac secantem, quemadmodum & eundem sinum, vt in tractatione tangentium, & secantium monuimus.

THEOR. 42. PROPOS. 44.

IN omni triangulo sphærico rectangulo, cuius omnes arcus quadrante sint minores: sinus totus ad sinum vtriusuis arcuum circa rectum angulum eandem habet proportionem, quam tangens anguli non recti dicto arcui adiacentis ad tangentem reliqui arcus circa angulum rectum huic angulo oppositi.

IN triangulo sphærico A B C, cuius omnes arcus quadrante minores, sit angulus C, rectus. Dico ita esse sinum totum ad sinum arcus B C, vt est tangens anguli B, ad tangentem arcus A C. Productis enim arcubus B C, B A, donec fiant quadrantes B F, B D, ac per puncta F, D, arcu F D, circuli maximi



25.huius. descripto; erit vterque angulus F, D, rectus, ob quadrantes B F, B D: & D F, arcus erit anguli B; cum

26. huius. B, polus sit arcus D F. Quia igitur duo circuli maximi in sphæra B F, B D, secant sese in B, ductique sunt ex A, D, ad B F, arcus perpendiculares A C,

Theor. 6. scholij. 40. huius. D F; erit, vt sinus quadrantis B F, hoc est, sinus totus, ad tangentem arcus F D, hoc est, ad tangentem anguli B, ita sinus arcus B C, ad tangentem arcus A C: Et permutando, vt sinus totus ad sinum arcus B C, ita tangens anguli B, ad tangentem arcus AC. Non aliter demonstrabimus, ita esse sinum totum ad sinum arcus A C, vt est tangens anguli A, ad tangentem arcus B C: vt patet, si arcus A C, A B, producantur, donec fiant quadrantes A G, A E, perque G, E, arcus maximi circuli describatur G E. Erit enim rursus, vt sinus quadrantis A G, id est, sinus

Theor. 6. scholij 40. huius. totus, ad tangentem arcus E G, seu anguli A, ita sinus arcus A C, ad tangentem arcus B C: Et permutãdo, vt sinus totus ad sinum arcus A C, ita tangens anguli A, ad tangentem arcus B C. In omni ergo triangulo sphærico rectangulo, &c. Quod erat demonstrandum.

SCHO-

SCHOLIVM.

HINC *colligemus duo sequentia problemata.*

I.

IN triangulo sphærico rectangulo, dato alterutro arcuum circa angulum rectum, cum alterutro angulorum non rectorum, reperire alium arcum circa rectum angulum, & reliquum angulum non rectum, cum arcu, qui recto angulo opponitur: dum modo, quando angulus datus opponitur arcui dato, constet, an reliquus arcus circa rectum angulum sit quadrante minor, maiorve; vel an reliquus angulus non rectus sit acutus, obtususve.



IN *triangulo* A B C, *cuius angulus* C, *rectus, datus sit primum arcus* A C, *cum angulo* A, *sibi adiacente. Dico dari quoque arcum* B C, *vnà cum angulo* B, *& arcu* A B. *Quoniam enim est, vt sinus totus ad sinum arcus* A C, *ita tangens anguli* A, *ad tangentem arcus* B C: 44. huius.

SI (quando datur arcus cum angulo adiacente) fiat, vt sinus totus ad sinum dati arcus, ita tangens anguli dati ad aliud, producetur tangens arcus quæsiti. Ex eodem vero arcu dato, & angulo dato, inuenietur alter angulus non rectus, et arcus recto angulo oppositus, vt in problemate 2. propos. 42. demonstrauimus. Praxis, cũ datur arcus cum angulo adiacẽte.

AN *vero arcus quæsitus* B C, *sit quadrante minor, maiorue, indicabit angulus datus* A. *Nam si fuerit acutus, erit arcus* B C, *quadrante minor; si vero obtusus, quadrante maior.* 34. huius.

SIT *deinde datus arcus* A C, *cum angulo* B, *sibi opposito, constetq́; præterea de altero arcu* B C, *num quadrante minor sit, an maior; vel an alter angulus* A, *acutus sit, an obtusus. Dico rursum dari arcum* B C, *vnà cum angulo* B, *& arcu* A B. *Cum enim sit, vt tangens anguli* B, *ad tangentem arcus* A C, *ita sinus totus ad sinum arcus* B C: 44. huius.

SI (quando datur arcus cum angulo opposito) fiat, vt tangens anguli dati ad tangentem dati arcus, ita sinus totus ad aliud, reperietur sinus arcus quæsiti. Ex dato vero arcu, & angulo dato dabitur & alter angulus non rectus, & arcus recto angulo oppositus, vt in problemate 2. propos. 42. diximus. Praxis, cũ datur arcus cũ angulo opposito.

OPORTET *autem constare, an arcus* B C, *sit quadrante minor, an maior, vt sciamus, qualis arcus inuento sinui respondens accipiẽdus sit, an videlicet minor quadrante, an vero maior. Quòd si constaret de angulo* A, *qualis sit, statim cognosceremus, qualis sit arcus* B C. *Existente enim angulo* A, *acuto, erit arcus* B C, *quadrante minor: existente vero obtuso, quadrante maior. Sic etiam, si sciretur, qualis* 34. huius.

sit arcus

sit arcus A B, recto angulo oppositus, speciem quoque arcus B C, cognosceremus. Nam si A B, sit quadrante minor, erit vterque A C, B C, vel minor quadrante, vel maior: qualis ergo est datus arcus A C, talis quoque erit arcus B C. Si vero A B, fuerit maior quadrante, & datus arcus A C, minor quidem quadrante, erit B C, quadrante maior; si vero datus arcus A C, sit quadrante maior, erit B C, quadrante minor. Itaque non satis est, dari arcum, cum angulo opposito, vt vult Copernicus propos. 4. de triangulis sphæricis. Id quod supra in scholio propos. 21. monuimus.

36. huius.



II.

IN triangulo sphærico rectangulo, datis duobus arcubus circa rectum angulum, vtrumlibet angulorum non rectorum, vnà cum arcu reliquo, qui angulo recto opponitur, explorare.

44. huius. IN *eodem triangulo dati sint duo arcus* A C, B C. *Dico dari quoque vtrumvis angulorum* A, B, *& arcum* A B. *Cum enim sit, vt sinus totus ad sinum arcus* A C, *ita tangens anguli* A, *ad tangentem arcus* B C: *Et conuertendo, vt sinus arcus* AC, *ad sinum totum, ita tangens arcus* B C, *ad tangentem anguli* A; *Eademq; ratione, vt sinus arcus* B C, *ad sinum totum, ita tangens arcus* A C, *ad tangentem anguli* B.

Praxis. *SI fiat, vt sinus vtriusuis arcuum circa angulum rectum ad sinum totum, ita tangens alterius arcus ad aliud, inuenietur tangens anguli huic posteriori arcui oppositi. Ex datis quoque duobus arcubus circa angulum rectum cognoscetur & tertius arcus recto angulo oppositus, vt in problemate propos. 43. traditum est. Vel certe ex dato vno arcu, & alterutro angulorum inuento, vt in problemate 2. propos. 42. ostensum est.*

NVM *autem angulus quæsitus sit acutus, obtususve, docebit arcus ei oppositus.*
34. huius. *Hic enim si minor quadrante fuerit, erit angulus ei oppositus, acutus, si vero maior, obtusus.*

QVONIAM *verò in scholio 2. propos. præcedentis diximus, per lineas tangentes, ac secantes breuius nonnulla expediri, quam per sinus, intelligendum id est de ijs, quæ primo loco in problematibus quæruntur, non autem, quæ secundo loco inuestigantur. Quod vt planius fiat, exponemus, quo pacto vtrumque problema hic propositum absoluendum sit per sinus. Itaque, vt ex arcu circa angulum rectum dato, cum alterutro angulorum acutorum, inueniatur alter arcus circa angulum rectum, qui primo loco in primo problemate inuestigandus proponitur: ita progrediendum erit. Si arcus circa rectum angulum detur cum angulo opposito, inquirendus primum erit arcus recto angulo oppositus, ex problemate 3. propos. 41. Deinde ex hoc arcu inuento, & dato arcu, eliciendus erit, per problema propos. 43. alter arcus circa angulum rectum, qui quæritur. Si vero detur arcus circa angulum rectum cum angulo adiacente, quærendus est primum per problema 2. propos. 42. alter angulus acutus. Deinde per problema 1. eiusdem propos. 42. ex hoc angulo inuento, & angulo dato, arcus dato angulo oppositus eliciendus. At, vt ex duobus arcubus circa angulum rectum datis, vterius angulorum acutorum eruatur; qui primo loco in secundo problemate inquiritur: reperiendus erit primum arcus recto angulo oppositus per proble-*

problema propos. 43. ex datis duobus arcubus. Deinde per problema 1. propos. 41. ex hoc arcu inuento, & alterutro circa angulum rectum dato, inueniendus angulus huic dato arcui oppositus. Vides igitur, id, quod primo loco in vtroque problemate quæritur, duplici opere inuestigari per sinus, quod simplici per tangentes inuenimus. Eadem ratio est in sequentibus problematibus, quod semel hic monuisse satis sit.

THEOR. 43. PROPOS. 45.

IN omni triangulo sphærico rectangulo, cuius omnes arcus quadrante sint minores: sinus totus ad sinum complementi vtriusuis angulorum acutorum eandem proportionem habet, quam tangens arcus recto angulo oppositi ad tangentem arcus dicto acuto angulo adiacentis.

IN triangulo sphærico A B C, cuius omnes arcus quadrante minores, sit angulus B, rectus. Dico ita esse sinum totum ad sinum complementi anguli A, vt est tangens arcus A C, ad tangentem arcus A B. Productis enim arcubus A B, A C, dictum angulum comprehendentibus, donec quadrantes fiant A D, A E; descriptoq; per D, E, arcu circuli maximi D E, productoque, donec cum arcu B C, producto coëat in F: erit vterque angulus D, E, rectus, ob quadrantes A D, A E; & D E, arcus erit anguli A, cum A, sit polus arcus D E. 25. huius. 26. huius. Item arcus D F, B F, quadrantes erunt, ob rectos angulos B, D; ac proinde arcus E F, complementum anguli A. Quoniam igitur duo circuli maximi in sphæra B F, D F, se intersecant in F; ductiq; sunt ex punctis B, C, arcus B F, ad arcum D F, arcus perpédiculares B D, C E; erit vt sinus totus quadrantis D F, ad tangentem arcus B D, ita sinus arcus E F, hoc est, sinus complementi anguli A, ad tangentem arcus C E: Et Theor. 6. scholij 40. huius. permutando, vt sinus totus ad sinum complementi anguli A, ita tangens arcus B D, ad tangentem arcus C E. Est autem (cum A C, A B, sint complementa arcuum C E, B D.) vt tangens arcus B D, ad tangentem arcus C E, ita tangens arcus A C, ad tangentem arcus A B. 21. Sinuũ. Igitur erit quoque, vt sinus totus ad sinum complementi anguli A, ita tangens arcus A C, recto angulo oppositi ad tangentem arcus A B, acuto angulo A, adiacentis. Eodem modo ostendemus, ita esse sinum totum ad sinum complementi anguli C, vt est tangens arcus A C, recto angulo oppositi ad tangentem arcus B C, angulo acuto C, adiacentis, si nimirum arcus C A, C B, angulum C, continentes producantur, &c. In omni ergo triangulo sphærico rectangulo, &c. Quod ostendendũ erat.



SCHOLIVM.

EX *hoc theoremate absoluemus sequentia tria problemata.*

I.

IN triangulo sphærico rectangulo, dato alterutro arcuum circa angulum rectum, cum angulo non recto adiacente, inuenire arcum recto angulo oppositum, & reliquum arcum circa angulum rectum, cum reliquo angulo non recto.

IN *triangulo* A B C, *cuius angulus* C, *rectus*, *datus sit arcus* A C, *&* *angulus* A. *Dico dari quoq; arcum* A B, *cum arcu* B C, *&* *angulo* B. *Cum enim sit, vt sinus*
45. huius. *totus ad sinũ complementi anguli* A, *ita tangens arcus* A B, *ad tangentem arcus* A C; *Et conuertendo, vt sinus complementi anguli* A, *ad sinum totum, ita tangens arcus* A C, *ad tangentem arcus* A B:

Praxis.



SI fiat, vt sinus complementi anguli dati ad sinum totum, ita tangens arcus dati ad aliud, reperietur tangens arcus recto angulo oppositi, qui quæritur. Ex arcu vero A B, & angulo A, inuenietur arcus B C, per problema 2. propos. 41. Et ex arcubus A B, A C, angulus B, arcui A C, oppositus, per problema 1. eiusdem propos. 41.

ITA *autem sciemus, an arcus quæsitus* AB, *sit quadrante maior, an minor. Si datus*
34. huius. *angulus* A, *fuerit acutus, erit arcus* B C, *quadrante minor. Si ergo datus arcus* A C,
35. huius. *sit quoq; minor, erit & arcus* A B, *minor quadrante, Si vero* A C, *sit quadrante ma-*
34. huius. *ior, erit &* A B, *maior. At si datus angulus* A, *fuerit, obtusus, erit arcus* B C, *qua-*
35. huius. *drante maior: Si ergo datus arcus* A C, *sit quoque maior, erit arcus* A B, *minor quadrante; Si vero* A C, *sit minor quadrante, erit* A B, *maior.*

II.

IN triangulo sphęrico rectangulo, dato alterutro arcuum circa angulum rectum, cum arcu, qui recto angulo opponitur, inuestigare angulum à dictis arcubus comprehensum, hoc est, arcui, qui circa angulum rectum datus est, adiacentem, cum reliquo arcu, & angulo.

45. huius. IN *eodem triangulo dati sint arcus* A C, A B. *Dico dari etiam angulum* A, *cum arcu* B C, *& angulo* B *Quoniam enim est, vt sinus totus ad sinum complementi anguli* A, *ita tangens arcus* A B, *ad tangentem arcus* A C: Hoc *est, vt tangens arcus* A B, *ad tangentem arcus* A C, *ita sinus totus ad sinum complementi anguli* A:

Praxis. *SI fiat, vt tangens arcus recto angulo oppositi ad tangentem dati arcus circa rectum angulum, ita sinus totus ad aliud, procreabitur sinus complementi anguli quæsiti. Hinc reliqua inuenientur, vt in præcedenti problemate.*

VTRVM

VTRVM vero angulus A, quæsitus sit acutus, obtususue, ita discemus. Si arcus A B, recto angulo oppositus fuerit quadrante minor, erit vterq; arcus A C, B C, vel minor quadrante, vel maior. Si ergo datus arcus A C, sit minor, erit quoque B C, minor, ac proinde angulus A, acutus; si vero A C, sit quadrante maior, erit & B C, maior, ac propterea angulus A, obtusus. At si arcus A B, fuerit quadrante maior, erit alter reliquorum arcuum maior, & alter minor: Si igitur datus arcus A C, sit maior, erit B C, minor, proptereaq; angulus A, acutus; Si vero A C, sit quadrante minor, erit B C, maior, & angulus A, obtusus; 36. huius. 34. huius. 36. huius. 34. huius.

III.

IN triangulo sphærico rectangulo, dato arcu, qui recto angulo opponitur, cum alterutro angulorum non rectorum, inuenire arcum huic angulo adiacentem, cum reliquo arcu, & angulo.

IN eodem triangulo datus sit arcus A B, cum angulo A. Dico dari quoq; arcum A C, &c. Nam cum sit, vt sinus totus ad sinum complementi anguli A, ita tangens arcus A B, ad tangentem arcus A C: 45. huius.

SI fiat, vt sinus totus ad sinum complementi anguli dati, ita tangens arcus recto angulo oppositi ad aliud, producetur tangens arcus quæsiti. Reliqua inuenientur, vt in primo problemate huius propos. Praxis.

NVM autem quæsitus arcus A C, sit minor quadrante, maiorue, hinc cognoscemus. Si arcus A B, angulo recto oppositus fuerit minor quadrante, erit vterq; angulus A, B, vel acutus, vel obtusus. Quare si datus angulus A, sit acutus, erit quoque B, acutus, atque adeo arcus A C, quadrante minor; Si vero A, sit obtusus, erit & B, obtusus, ideoq; arcus A C, quadrante maior. At si arcus A B, fuuerit maior quadrante, erit alter reliquorum angulorum acutus, & alter obtusus. Si ergo A, datus sit acutus, erit B, obtusus, & idcirco arcus A C, quadrante maior; Si vero A, sit obtusus, erit B, acutus, & arcus A C, quadrante minor. 38. huius. 34. huius. 38. huius. 34. huius.

THEOR. 44. PROPOS. 46.

IN omni triangulo sphærico rectangulo, cuius omnes arcus quadrante sint minores: sinus totus ad sinum complementi vtriusuis angulorum acutorum eandem proportionem habet, quam tangens complementi arcus circa angulum rectũ dicto angulo adiacentis ad tangentem complementi arcus recto angulo oppositi.

IN triangulo A B C, cuius omnes arcus quadrante minores, sit angulus B, rectus. Dico ita esse sinum totum ad sinũ complemẽti anguli A, vt est tangens complementi arcus A B, ad tangentem complementi arcus A C. Facta namque conſtructione, vt in pręcedēti propoſ. quoniam duo circuli maximi in ſphæra B F, D F, ſe mutuo ſecāt in F, productiq; ſunt ex pũctis B, C, arcus B F, ad arcum D F, arcus perpendiculares B D, C E; erit, vt ſinus totus quadrantis D F, ad tangentem arcus B D, ita ſinus arcus E F, ad tangentem arcus C E: Et



Theor. 6. ſcholij 40. huius. permutando, vt ſinus totus ad ſinũ arcus E F, hoc eſt, ad ſinum complementi anguli A, ita tangens arcus B D, hoc eſt, ita tangens complementi arcus A B, ad tangentem arcus C E, hoc eſt, ad tangentē complementi arcus A C. Non aliter demonſtrabimus, ita eſſe ſinum totum ad ſinum complementi anguli C, vt eſt tangens complementi arcus B C, ad tangentem complementi arcus A C, ſi nimirum arcus C B, C A, angulum C, continentes producantur, &c. In omni igitur triangulo ſphærico rectangulo, &c. Quod demonſtrandum erat.

SCHOLIVM.

INFEREMVS *hinc problema ſequens, quod quamuis in problemate primo antecedentis propoſ. demonſtratum quoque ſit, facilius tamen hic abſoluitur, cùm in aurea regula primum locum ſortiatur ſinus totus.*

IN triangulo ſphærico rectangulo, dato alterutro arcuum circa angulum rectum, cum angulo non recto adiacente, inuenire arcum recto angulo oppoſitum, vnà cum reliquo arcu circa angulum rectum, & reliquo angulo non recto.



IN *triangulo* A B C, *cuius angulus* C, *rectus, datus ſit arcus* A C, *cum angulo* A, *ſibi adiacente. Dico dari quoque arcum* A B, *vnà cum arcu* B C, *& angulo* B. *Nam cum ſit, vt ſinus totus ad ſinum complementi anguli* A, *ita tangens complementi arcus* A C, *ad tangentem complementi arcus* A B:

46. huius.

Praxis. *SI fiat, vt ſinus totus ad ſinum complementi anguli dati, ita tangens complementi arcus dati ad aliud, producetur tangens complementi arcus recto angulo oppoſiti, qui quæritur. Reliqua inuenientur, vt in problemate* 1. *propoſitionis antecedentis dictum eſt.*

ARCVM *autem* A B, *quæſitum eſſe quadrante minorem, maioremve, cognoſcemus, vt in dicto problemate* 1. *ſuperioris propoſ. oſtendimus.*

THEOR. 45. PROPOS. 47.

IN omni triangulo ſphærico rectangulo, cuius omnes arcus quadrante ſint minores: ſinus totus

ad ſi-ad ſinum complementi arcus recto angulo oppoſiti eandem proportionem habet, quam tangens vtriusvis angulorum non rectorum ad tangentem complementi reliqui anguli.

IN triangulo A B C, cuius omnes arcus quadrante minores, ſit angulus B, rectus. Dico, ita eſſe ſinum totum ad ſinum complementi arcus A C, vt eſt tangens anguli C, ad tangentem complementi anguli A. Facta constructione, vt in propoſ. 45. productoq; arcu C E, ad G, vt C G, ſit quadrans, deſcribatur ex polo C, ad interuallum quadrantis C G, arcus circuli maximi G H, ſecans arcus C F, E F, productos in I, H: eritq; C I, quadrans quoque; cum circulus G H, à polo C, abſit quadrante. Arcus item G H, E H, quadrantes erunt, propter rectos angulos G, E. Eſt enim angulus E, rectus, vt propoſ. 45. oſtenſum eſt; at G, rectus eſt, propterea quòd circulus C G, ad circulum G H, rectus eſt. Rurſus I G, arcus eſt anguli C; & C E, complementum arcus A C, recto angulo oppoſiti; & F E, complementum arcus D E, id eſt, anguli A. Quoniam igitur duo circuli maximi C G, C I, in ſphæra ſe interſecant in C, ductiq; ſunt ex arcus C I, punctis F, I, ad arcum C G, arcus perpendiculares F E, I G; erit, vt ſinus totus quadrantis C G, ad tangentem arcus I G, hoc eſt, anguli C, ita ſinus arcus C E, hoc eſt, complementi arcus A C, ad tangentem arcus F E, hoc eſt, complementi anguli A: Et permutando erit, vt ſinus totus ad ſinum complementi arcus A C, recto angulo oppoſiti, ita tangens anguli C, ad tangentem complementi anguli A. Simili modo, aliter constructa figura, demonſtrabimus, ita eſſe ſinum totum ad ſinum complementi arcus A C, vt eſt tangens anguli A, ad tangentem complementi anguli C. In omni igitur triangulo ſphærico rectangulo, &c. Quod oſtendendum erat.



Coroll. 16. 1. Theod.
25. huius.
15. 1. Theod.
Theor. 6. ſcholij 40. huius.

SCHOLIVM.

EX hoc theoremate ſequens problema colligitur.

IN triangulo ſphærico rectangulo, dato arcu, qui recto angulo opponitur, cum alterutro angulorum non rectorum, inuenire alterum angulum non rectum, & duos arcus circa angulum rectum.

IN triangulo A B C, cuius angulus C, rectus, datus ſit arcus A B, cum angulo B. Dico dari quoque reliquum angulum A, & duos arcus A C, C B. Cum enim ſit, vt ſinus totus ad ſinum complementi arcus A B, ita tangens anguli B, ad tangentem complementi anguli A:



47. huius.

SI fiat, vt ſinus totus ad ſinum complementi arcus recto angulo oppoſiti, & dati, ita tangens anguli dati ad aliud, reperietur tangens comple-

Praxis.

menti

menti anguli quæsiti. Hinc ex arcu A B, & vtroque angulo B, A, vterque arcus A C, C B, inuenietur, vt in 2. problemate propos. 41. ostendimus.



38. huius. *A N vero angulus quæsitus A, acutus sit, obtusus ve, discemus ex arcu dato A B, & dato angulo B. Nam si A B, est quadrante minor, & angulus B, acutus quidem, erit & A, acutus; si autem B, est obtusus, erit & A, obtusus. At si A B, est maior quadrante, & B, quidem acutus, erit A, obtusus; si vero B, est obtusus, erit A, acutus.*

THEOR. 46. PROPOS. 48.

IN omni triangulo sphærico rectangulo, cuius omnes arcus quadrante sint minores: Sinus totus ad sinum vtriusvis arcuum circa angulum rectum eandem habet proportionem, quam tangens complementi alterius arcus circa angulum rectum ad tangentem complementi anguli oppositi.

IN triangulo sphærico A B C, cuius omnes arcus minores quadrante, sit rectus angulus B. Dico ita esse sinum totum ad sinum arcus A B, vt est tangens complementi arcus B C, ad tangentem complementi anguli A. Facta enim constructione, vt in propos. 45. erit angulus D, rectus, & C F, complementum arcus B C; & E F, complementum anguli A; & A D, quadrans, vt ibi ostensum est. Quoniam igitur duo circuli maximi A D, A E, in sphæra se mutuo secāt in A, ductiq; sunt ex punctis C, E, ad arcum A D, arcus perpendiculares C B, E D; erit, vt sinus totus quadrantis A D, ad tangentem arcus D E, ita sinus arcus A B, ad tangentem arcus B C: Et permutando, vt sinus totus ad sinum arcus A B, ita tangens arcus D E, ad tangentem arcus B C. Est autem, (cum C F, E F, sint complementa arcuum B C, D E,) vt tangens arcus D E, ad tangentem arcus B C, ita tangens arcus C F, ad tangentem arcus E F. Igitur erit quoque, vt sinus totus ad sinum arcus A B, ita tangens arcus C F, hoc est, complementi arcus B C, ad tangentem arcus E F, hoc est, complementi anguli A, arcui B C, oppositi. Non aliter ostendemus, si aliter figura construatur, ita esse sinum totum ad sinum arcus B C, vt est tangens complementi arcus A B, ad tangentem complementi anguli C. In omni triangulo ergo sphærico rectangulo, &c. Quod demonstrandum erat.



Theor. 6. scholij 40. huius.

21. Sinuū.

SCHO-

SCHOLIVM.

INFERTVR ex theoremate hoc ſequens problema: quod licet demonſtratum quoque ſit problemate 2. propoſ. 44. facilius tamen hic abſoluitur, cum in aurea regula ſinus totus primum obtineat locum.

IN triangulo ſphærico rectangulo, datis duobus arcubus circa angulum rectum, vtrumlibet angulorum non rectorum, vnà cum arcu reliquo, qui angulo recto opponitur, indagare.

IN triangulo ABC, cuius angulus C, rectus, ſint dati duo arcus AC, CB. Dico vtrumuis angulorum A, B, & arcum AB, quoque dari. Nam cum ſit, vt ſinus totus ad ſinum arcus AC, ita tangens complementi arcus CB, ad tangentem complementi anguli A. Item vt ſinus totus ad ſinum arcus CB, ita tangens complementi arcus AC, ad tangentem complementi anguli B: 48.huius.



SI fiat, vt ſinus totus ad ſinum vtriusvis arcuum circa angulum rectum, ita tangens complementi alterius arcus circa rectum angulum ad aliud, reperietur tangens complementi anguli huic poſteriori arcui oppoſiti. Ex datis quoque duobus arcubus circa angulum rectum cognoſcetur & tertius arcus angulo recto oppoſitus, vt in problemate propoſ. 43. oſtendimus. Vel certe ex dato vtrolibet arcu, & angulo, qui ei opponitur, inuento, vt in problemate 3. propoſ. 41. traditum eſt. Praxis.

VTRVM autem angulus quæſitus ſit acutus, obtuſus ve, docebit arcus ei oppoſitus. Hic enim ſi minor fuerit quadrante, erit angulus ei oppoſitus, acutus; ſi vero maior, obtuſus. 34. huius.

THEOR. 47. PROPOS. 49.

IN omni triangulo ſphærico rectangulo, cuius omnes arcus ſint minores quadrante: ſinus totus ad tangentem vtriusvis arcuum circa angulum rectum eandem proportionem habet, quam tangens complementi anguli oppoſiti ad ſinum alterius arcus circa rectum angulum.

IN ſphærico triangulo ADE, cuius arcus omnes quadrante minores, ſit angulus D, rectus. Dico ita eſſe ſinum totum ad tangentem arcus DE, vt eſt tan-

tangens complementi anguli A, ad ſinum arcus A D. Repetita enim conſtru-



ctione figuræ propoſ. 45. erunt A B, A C, quadrantes, & C F, complementum arcus B C, id eſt, anguli A, vt ibi oſtenſum eſt. Igitur quoniam quadrantes ſunt A B, A C, & arcus E D, ad A B, perpendicularis; erit, vt ſinus totus ad tangentem arcus E D, ita tangens complementi arcus C B, hoc eſt, anguli A, ad ſinum arcus A D. Eodem modo oſtendetur, ita eſſe ſinum totum ad tangentem arcus A D, vt eſt tangens complementi anguli E, ad ſinum arcus D E: ſi nimirum aliter figura conſtruatur. In omni ergo triangulo ſphærico rectangulo, &c. Quod erat demonſtrandum.

Theor. 7. ſcholij 40. huius.

SCHOLIVM.

HINC *tale problema colligitur, quod per problema* 1. *propoſ.* 44. *alio modo abſolui quoque poteſt.*

IN triangulo ſphærico rectangulo, dato alterutro arcuum circa angulum rectum, cum angulo oppoſito, reliquum arcum circa rectum angulum, & arcum recto angulo oppoſitum, cum reliquo angulo non recto inquirere: ſi modo conſtet, num arcus quæſitus ſit maior quadrante, minorve: Vel an reliquus angulus non rectus ſit acutus, obtuſusve.

IN *triangulo* A B C, *cuius angulus* C, *rectus, datus ſit arcus* A C, *cum angulo oppoſito* B. *Dico dari quoque arcum* B C, *&c. Cum enim ſit, vt ſinus totus ad tangentem arcus* A C, *ita tangens complementi anguli* B, *ad ſinum arcus* B C:

49. huius.



Praxis.

SI fiat, vt ſinus totus ad tangentem dati arcus, ita tangens complemẽti anguli dati ad aliud, producetur ſinus arcus quæſiti. Ex duobus porro arcubus circa rectum angulum cognitis in cognitionem reliqui arcus, & reliqui anguli non recti perueniemus, vt in problemate propoſ. 43. *demonſtrauimus; vel certe ex alterutro arcuum circa angulum rectum, & dato angulo, vt in problemate* 2. *propoſ.* 42. *docuimus.*

OPORTET *autem hic conſtare, num arcus quæſitus* B C, *ſit quadrante maior, minorve; vel an angulus* A, *reliquus ſit acutus, obtuſusve: quemadmodũ in poſteriore parte problematis* 1. *propoſ.* 44. *traditum eſt: Vbi etiam errorẽ Copernici deteximus.*

THEOR. 48. PROPOS. 50.

IN omni triangulo ſphærico rectangulo, cuius

omnes

omnes arcus quadrante ſint minores: ſinus totus ad tangentem complementi vtriusvis angulorum non rectorum habet proportionem eãdem, quam tangens compleměti reliqui anguli ad ſinum complementi arcus recto angulo oppoſiti.

IN triangulo A B C, cuius omnes arcus quadrante minores, ſit angulus B, rectus. Dico ita eſſe ſinum totum ad tangentem complementi anguli A, vt eſt tangens complementi anguli C, ad ſinum complementi arcus A C. Repetita namq; figura propoſ. 47. cum C G, C I, quadrãtes ſint ſe interſecãtes in C, & arcus I G, F E, ad C G, perpendiculares, vt ex constructione ibidem facta perſpicuum eſt; erit, vt ſinus totus ad tangentem arcus EF, qui complementũ eſt arcus D E, hoc eſt, anguli A, ita tangens complementi arcus I G, id eſt, anguli C, ad ſinum arcus C E, hoc eſt, complementi arcus A C, recto angulo oppoſiti. Theor. 7. ſcholij 40. huius. Simili ratione oſtendemus, ſi aliter figuræ constructio inſtituatur, ita eſſe ſinum totum ad tangentem complementi anguli C, vt eſt tangens complementi anguli A, ad ſinum complementi arcus A C. Quam ob rem in omni triangulo ſphærico rectangulo, &c. Quod demonſtrandum erat.



SCHOLIVM.

INFEREMVS *ex hac propoſ. theorema ſequens.*

IN triangulo ſphærico rectangulo, datis duobus angulis non rectis, inquirere arcum angulo recto oppoſitum, & reliquos duos arcus circa angulum rectum.

IN triangulo A B C, *cuius angulus* C, *rectus, dati ſint duo anguli non recti* A, B. *Dico dari quoque arcum* A B, *vnà cum arcubus* A C, B C. *Quoniam enim eſt, vt ſinus totus ad tangentem complementi anguli* A, *ita tangens complementi anguli* B, *ad ſinum complementi arcus* A B: 50. huius.



S I fiat, vt ſinus totus ad tangentem complementi vtriusvis angulorum datorum, ita tangens complementi alterius dati anguli ad aliud, procreabitur ſinus complementi arcus recto angulo oppoſiti. Iam ex arcu, qui recto angulo opponitur, & vtrolibet angulorum non rectorum, inuenietur arcus ei oppoſitus, vt in 2. problemate propoſ. 41. monſtrauimus. Praxis.

PORRO *an arcus quæſitus quadrante ſit maior, aut minor, ita diſcemus. Si vterq; angulorum* A, B, *fuerit obtuſus, vel acutus, erit arcus* A B, *quadrante minor:* 37. huius. *ſi vero alter eorum acutus fuerit, et alter obtuſus, erit idem arcus quadrante maior.*

THEOR. 49. PROPOS. 51.

IN omni triangulo ſphærico rectangulo, cuius arcus omnes ſint minores quadrante: ſinus totus ad tangentem complementi arcus recto angulo oppoſiti proportionem habet eandem, quam tangens vtriusvis arcuum circa angulum rectum ad ſinum complementi anguli non recti adiacentis.

IN triangulo ſphærico A B C, cuius omnes arcus quadrante minores, rectus ſit angulus B. Dico ita eſſe ſinum totum ad tangentem complementi arcus A C, vt eſt tangens arcus A B, ad ſinum complementi anguli A. Repetita namq; conſtructione figuræ propoſ. 45. erunt A D, A E, quadrantes, & anguli D, E, recti, necnon & B F, D F, quadrantes, vt ibi eſt oſtenſum. Quia igitur in ſphæra arcus D B, per extremitates quadrantum B F, D F, ſeſe in F, ſecantium ducitur, & C E, ad D F, perpendicularis eſt; erit vt ſinus totus ad tangentē arcus C E, qui complementum eſt arcus A C, recto angulo oppoſiti, ita tangens complementi arcus D B, hoc eſt, tangens arcus A B, ad ſinum arcus E F, qui complementum eſt arcus D E, ſeu anguli A. Non aliter demonſtrabitur, ita eſſe ſinum totum ad tangentem complementi arcus A C, vt eſt tangens arcus B C, ad ſinum complementi anguli C, ſi aliter inſtituatur conſtructio figuræ. Quocirca in omni triangulo ſphærico rectangulo, &c. Quod erat oſtendendum.



Theor. 7. ſcholij 40. huius.

SCHOLIVM.

ORITVR *ex hoc theoremate problema huiuſmodi, quod problemate 2. propoſ. 45. declaratum quoque fuit.*

IN triangulo ſphærico rectangulo, dato arcu, qui recto angulo opponitur, cum alterutro arcuum circa eundem rectum angulum, reperire angulum non rectum huic arcui adiacentem, hoc eſt, à datis arcubus comprehenſum, cum reliquo arcu, & angulo non recto.



51. huius.

IN triangulo A B C, *cuius angulus* C, *rectus, datus ſit arcus* A B, *cum arcu* A C. *Dico dari quoque angulum* A, *cum arcu* B C, *&* *angulo* B. *Quoniam enim eſt, vt ſinus totus ad tangentem complementi arcus* A B, *ita tangens arcus* A C, *ad ſinum complementi anguli* A:

Praxis.

SI fiat, vt ſinus totus ad tangentem complementi arcus recto angulo oppoſiti, ita tangens dati arcus

ti arcus

ti arcus circa rectum angulum ad aliud, inuenietur ſinus complementi anguli adiacentis, qui quæritur. Hinc reliqua inuenientur, vt in problemate 1. propoſ. 45. traditum eſt.

NVM *vero quæſitus angulus acutus ſit, nec ne, addiſcemus, vt in problemate 2. propoſ. 45. docuimus.*

THEOR. 50. PROPOS. 52.

IN omni triangulo ſphærico rectangulo, cuius omnes arcus quadrante ſint minores: ſinus totus ad ſinum vtriusvis angulorum non rectorum habet proportionem eandem, quam ſecans alterius anguli non recti ad ſecantem arcus huic angulo oppoſiti.

IN triangulo ſphærico A B C, cuius omnes arcus quadrante minores, ſit angulus B, rectus. Dico ita eſſe ſinum totum ad ſinum anguli A, vt eſt ſecans anguli C, ad ſecantem arcus A B. Facta conſtructione, vt in propoſ. 47. erunt G H, H E, A E, A D, D F, quadrantes, & G I, arcus anguli C, & D E, arcus anguli A, vt partim in propoſ. 45. partim vero in 47. oſtenſum eſt. Item angulus I, rectus erit, propterea quòd arcus C I, tranſiens per C, polum arcus G H, rectus eſt ad G H. Itaque quoniam duo circuli maximi B I, D H, in ſphæra ſe mutuo ſecant in F, & ex punctis D, H, arcus D H, ad arcum B I, ducti ſunt arcus perpendiculares D B, H I; erit, vt ſinus totus quadrantis D F, ad ſecantem arcus G I, qui complementum eſt arcus H I, ita ſinus arcus F H, ad ſecantem arcus A B, qui complementum eſt arcus D B: Et permutando, vt ſinus totus ad ſinum arcus F H, vel arcus D E, (ſunt enim arcus F H, D E, æquales, quod & toti quadrantes E H, D F, æquales ſint) hoc eſt, anguli A, ita ſecans arcus G I, id eſt, anguli C, ad ſecantem arcus A B, angulo C, oppoſiti. Pari ratione, ſi aliter conſtruatur figura, demonſtrabimus, ita eſſe ſinum totum ad ſinum anguli C, vt eſt ſecans anguli A, ad ſecantem arcus B C. In omni ergo triangulo ſphærico rectangulo, &c. Quod erat oſtendendũ.



15.1.Theod.

Theor. 8. ſcholij 40. huius.

SCHOLIVM.

ELICITVR *hinc ſequens problema, quod aliter etiam in probl. 1. ſcholij propoſ. 42. ſolutum fuit.*

IN triangulo ſphærico rectangulo, datis duobus angulis non rectis, elicere arcum vtrilibet eorum oppoſitum, vnà cum arcu, qui recto angulo opponitur.

IN triangulo A B C, *cuius angulus* C, *rectus, dati sint duo anguli* A, B. *Dico dari quoque vtrumuis arcuum* B C, A C, *vnà cum arcu* A B. *Nam cum sit, vt sinus totus ad sinum anguli* A, *ita secans anguli* B, *ad secantem arcus* A C: *Item, vt sinus totus ad sinum anguli* B, *ita secans anguli* A, *ad secantem arcus* B C;

52. huius.



Praxis.

SI fiat, vt sinus totus ad sinum anguli non recti quæsito lateri adiacentis, ita secans alterius anguli non recti ad aliud, reperietur secans arcus huic posteriori angulo oppositi, qui quæritur. Inuento autem vtroque arcu circa angulum rectum, reperietur ex ipsis tertius arcus recto angulo oppositus, vt in problemate propos. 43. *ostendimus: Vel certe ex inuento alterutro arcu, & angulo dato, qui ei opponitur, vt in problemate* 3. *propos.* 41. *diximus.*

NVM vero duo arcus quæsiti circa angulum rectum minores quadrante sint, maioresve, sciemus, vt in problemate 1. *propos.* 42. *docuimus.*

THEOR. 51. PROPOS. 53.

IN omni triangulo sphærico rectangulo, cuius omnes arcus quadrante minores sint: sinus totus ad sinum complementi vtriusvis arcuum circa angulum rectum habet eandem proportionē, quam secans arcus recto angulo oppositi ad secantem reliqui arcus.

IN triangulo sphærico A B C, cuius omnes arcus quadrante minores, sit angulus B, rectus. Dico ita esse sinum totum ad sinum complementi arcus B C, vt est secans arcus A C, ad secantem arcus A B. Facta namque constructione figuræ, vt in propos. 45. erit B F, quadrans; C E, B D, ad D F, perpendiculares, vt ibi est demonstratum. Quia ergo in sphæra duo circuli maximi B F, D F, se mutuo secant in F, ductiq; sunt ex punctis B, C, ad D F, perpendiculares arcus B D, C E; erit, vt sinus totus quadrantis B F, ad secantem complementi arcus C E, hoc est, ad secantem arcus A C, ita sinus arcus F C, qui complementum est arcus B C, ad secantem complementi arcus B D, hoc est, ad secantem arcus A B: Et permutando, vt sinus totus ad sinum complementi arcus B C, ita secans arcus A C, ad secantem



Theor. 8. scholij 40. huius.

arcus

arcus A B. Simili modo oſtendemus, ita eſſe ſinum totum ad ſinum complementi arcus A B, vt eſt ſecans arcus A C, ad ſecantem arcus B C, ſi nimirum figura paulo aliter conſtruatur. In omni ergo triangulo ſphærico rectangulo, &c. Quod erat demonſtrandum.

SCHOLIVM.

SEQVENS *problema ex hoc theoremate colligitur.*

IN triangulo ſphærico rectangulo, dato arcu, qui recto angulo opponitur, cum alterutro arcuum circa rectum angulum, inueſtigare tertium arcum, cum duobus angulis non rectis.

IN *triangulo* A B C, *cuius angulus* C, *rectus, datus ſit arcus* A B, *vnà cum arcu* A C. *Dico dari quoque arcum* B C, *cum angulis* A, B. *Cum enim ſit, vt ſinus totus ad ſinum complementi arcus* A C, *ita ſecans arcus* A B, *ad ſecantem arcus* B C: 53.huius.



SI fiat, vt ſinus totus ad ſinum complementi dati arcus circa angulum rectum, ita ſecans arcus angulo recto oppoſiti ad aliud, producetur ſecans tertij arcus, qui inquiritur. Hinc ex duobus arcubus circa rectum angulum cognitis, vterlibet angulorum non rectorum cognoſcetur, vt in 5. problemate ſcholij propoſ. 44. vel in problemate ſcholij propoſ. 48. docuimus. Praxis.

VTRVM *vero quæſitus arcus* B C, *ſit quadrante maior, minorve, diſcemus ex datis duobus arcubus, vt ad finem problematis ſcholij* 1. *propoſ.* 43 *traditum eſt.*

THEOR. 52. PROPOS. 54.

IN omni triangulo ſphærico rectangulo, cuius omnes arcus quadrante ſint minores: ſinus totus ad ſinum vtriuſlibet angulorum non rectorum proportionem habet eandem, quam ſecans complementi arcus illi angulo oppoſiti ad ſecantem complementi arcus recto angulo oppoſiti.

IN triangulo A B C, cuius arcus omnes ſint minores quadrante, ſit angulus B, rectus. Dico ita eſſe ſinum totum ad ſinum anguli A, vt eſt ſecans complementi arcus B C, ad ſecantem complementi arcus A C. Repetita enim conſtructione figuræ propoſ. 47. erit angulus I, rectus, vt in propoſ. 52. monſtratum eſt; necnon & angulus G. Item G H, E H, D F, B F, A E, quadrantes, vt ex demonſtratis in propoſ. 45. & 47. conſtat. Quia igitur in ſphæra duo

duo circuli maximi E H, G H, se mutuo secant in H, & ex punctis E, F, arcus E H, ad arcum G H, ducti sunt arcus perpendiculares E G, F I; erit, vt sinus totus quadrantis E H, ad secantē complementi arcus F I, hoc est, ad secātem arcus C F, qui complementum etiam est arcus B C, ita sinus arcus F H, hoc est, arcus D E, (est enim arcus F H, arcui D E, æqualis, ob quadrantes E H, D F, æquales) qui arcus est anguli A, ad secantem complementi arcus E G, id est, ad secantem arcus E C, qui complementum quoque est arcus A C: Et permutādo, vt sinus totus ad sinum arcus D E, hoc est, anguli A, ita secans complementi arcus B C, ad secantem complementi arcus A C. Non secus ostendemus, si aliter figura construatur, ita esse sinum totum ad sinum anguli C, vt est secans complementi arcus A B, ad secantem complementi arcus A C. In omni igitur triangulo sphærico rectangulo, &c. Quod erat demonstrandum.

Theor. 8. scholij 40. huius.



SCHOLIVM.

SEQVITVR *ex hoc theoremate sequens problema, quod aliter etiam absoluimus in problemate* 3. *propos.* 41.

IN triangulo sphęrico rectangulo, dato vtrolibet angulorum non rectorum, cum arcu opposito, inuestigare arcum recto angulo oppositum, vnà cum tertio arcu, & reliquo angulo non recto: dummodo constet, num arcus angulo recto oppositus sit maior quadrante, minorve: aut an alter angulus non rectus sit acutus, obtususve.

54. huius.

IN *triangulo* A B C, *rectum habente angulum* C, *datus sit angulus* B, *cum arcu* A C. *Dico dari quoque arcum* A B, *vnà cum arcu* B C, *&* *angulo* A. *Cum namque sit, vt sinus totus ad sinum anguli* B, *dati, ita secans complementi arcus dati* A C, *ad secantem complementi arcus* A B:



Praxis.

SI fiat, vt sinus totus ad sinum dati anguli, ita secans complementi dati arcus ad aliud, producetur secans complementi arcus recto angulo oppositi, qui inquiritur. Ex arcubus vero A B, A C, cognitis notus fiet tertius arcus B C, ex problemate propos. 43. *Item ex arcubus A B, B C, notis cognitus fiet angulus A, ex problemate* 1. *propos.* 41.

OPORTET *autem hic constare, num arcus quæsitus* A B, *sit quadrante maior, an minor: Vel an reliquus angulus non rectus* A, *sit acutus, obtusus ve, alioquin nesciremus, qualis arcus pro* A B, *assumendus sit, cum possit esse maior quadrante, vel minor, vt perspicuum est. Id quod ad problema* 3. *propos.* 41. *monuimus: Vbi etiam Copernici, atque Ioan. Regiom. errorem aperuimus.*

THEOR.

THEOR. 53. PROPOS. 55.

IN omni triangulo ſphærico rectangulo, cuius omnes arcus minores quadrante ſint: ſinus totus ad ſinum arcus recto angulo oppoſiti eandem proportionem habet, quam ſecans complementi vtriuſlibet arcuum circa angulum rectum ad ſecantem complementi anguli huic arcui oppoſiti.

IN ſphærico triangulo A B C, cuius omnes arcus ſint minores quadrante, angulus B, rectus ſit. Dico ita eſſe ſinum totum ad ſinum arcus A C, vt eſt ſecans complementi arcus B C, ad ſecantem complementi anguli A, arcui B C, oppoſiti. Repetita enim conſtructione figuræ propoſ. 45. erit A E, quadrans; D E, arcus anguli A, & E F, eius complementum; atque C F, complementum arcus B C, vt ibi demonſtratum eſt. Quia ergo in ſphæra duo maximi circuli A E, A D, ſe interſecant in A, & ex punctis C, E, arcus A E, ad arcum A D, ducti ſunt perpendiculares arcus C B, E D; erit vt ſinus totus quadrantis A E, ad ſecantem complementi arcus C B, hoc eſt, ad ſecantem arcus C F, ita ſinus arcus A C, ad ſecantem complementi arcus D E, ſiue anguli A, id eſt, ad ſecantem arcus E F: Et permutando, vt ſinus totus ad ſinum arcus A C, ita ſecans complementi arcus B C, ad ſecantem complementi anguli A. Pari ratione, ſi aliter figura extruatur, erit, vt ſinus totus ad ſinum arcus A C, ita ſecans complementi arcus A B, ad ſecantem complementi anguli C. Quare in omni triangulo ſphærico rectangulo, &c. Quod erat oſtendendum.



Theor. 8. ſcholij. 40. huius.

SCHOLIVM.

EX *his ſequens problema diſſoluemus, quod alio quoque modo in problemate 1. propoſ. 41. abſolutum fuit.*

IN triangulo ſphærico rectangulo, dato arcu, qui recto angulo opponitur, cum alterutro arcuum circa rectum angulum, inuenire angulum huic arcui oppoſitum, cum reliquo arcu, & angulo.

IN *triangulo* A B C, *cuius rectus angulus* C, *datus ſit tam arcus* A B, *quam* A C. *Dico dari quoque angulum* B, *vnà cum arcu* B C, *& angulo* A. *Quia enim eſt, vt ſinus totus ad ſinum arcus* A B, *ita ſecans complementi arcus* A C, *ad ſecantem complementi anguli* B: 55. huius.

Praxis. *SI fiat, vt sinus totus ad sinum arcus angulo recto oppositi, ita secans complementi arcus circa rectum angulum dati ad aliud, producetur secans complementi anguli quæsiti, qui dicto arcui opponitur. Iam ex datis duobus arcubus tertium inueniemus, vt in problemate propos. 43. vel in problemate propos. 53. tradidimus. Item ex arcu, qui recto angulo opponitur, & hoc arcu inuento, reperiemus reliquum angulum huic inuento arcui oppositum, vt dictum est in hoc problemate, vel certe, vt in problemate 1. propos. 41. ostendimus.*

AN *vero quæsitus angulus* B, *acutus sit, an obtusus, docebit arcus* A C, *circa angulum rectum datus, vt in problemate 1. propos. 41. præcepimus.*

THEOR. 54. PROPOS. 56.

IN omni triangulo sphærico rectangulo, cuius arcus sint omnes quadrante minores: sinus totus ad sinum complementi vtriuslibet arcuum circa rectum angulum eandem proportionem habet, quam secans anguli huic arcui oppositi ad secantem complementi reliqui anguli non recti.

IN triangulo sphærico A B C, angulum B, rectum habente, sint omnes arcus quadrante minores. Dico ita esse sinum totum ad sinũ complementi arcus B C, vt est secans anguli non recti A, ad secantem complementi anguli C. Repetita enim constructione figuræ propos. 47. erunt anguli G, E, recti, & arcus B F, D F, C I, E H, G H, quadrantes, & D E, arcus anguli A, & G I, arcus anguli C, vt ex demõstratis in propos. 45. & 47. liquet. Igitur quia duo maximi in sphæra circuli C G, C I, se in C, intersecant, ductiq; sunt ex punctis F, I, arcus C I, ad arcum C G, arcus perpendiculares F E, I G; erit, vt sinus totus quadrantis C I, ad secantem complementi arcus F E, hoc est, ad secantem arcus D E, anguli A, ita sinus arcus C F, qui complementum est arcus B C, ad secantem complementi arcus G I, anguli C: Et permutando, vt sinus totus ad sinum complementi arcus B C, ita secans anguli A, ad secantem complementi anguli C. Non secus ostendemus, si aliter construatur figura, ita esse sinum totum ad sinum complementi arcus A B, vt est secans anguli C, ad secantem complementi anguli A. Quapropter in omni triangulo sphærico rectangulo, &c. Quod demonstrandum erat.

Theor. 8. scholij 40. huius.



SCHOLIVM.

INFERTVR *hinc problema huiusmodi.*

IN

IN triangulo ſphærico rectangulo, dato vtrouis arcuum circa angulum rectum, cum angulo non recto oppoſito, inquirere reliquum angulum non rectum, & iuſuper reliquos duos arcus: modo conſtet, an quæſitus angulus ſit acutus, obtuſusve: Vel certe, an alter arcus circa angulum rectum ſit minor quadrante, an maior.

IN *triangulo* A B C, *angulum* C, *rectum habente, datus ſit arcus* A C, *cum angulo* B. *Dico dari quoque angulum* A, *cum arcubus* B C, A B. *Cum enim ſit, vt ſinus totus ad ſinum complementi arcus* A C, *dati, ita ſecans anguli dati* B, *ad ſecantem complementi anguli* A: 56. huius.



SI fiat, vt ſinus totus ad ſinum complementi arcus dati, ita ſecans dati anguli ad aliud, reperietur ſecans complementi anguli alterius non recti. Hinc ex duobus angulis non rectis notis inueſtigabitur arcus recto oppoſitus angulo, vt in problemate propoſ. 50. monſtrauimus, ac proinde & reliquus arcus, ex arcu, qui recto angulo opponitur, & ex noto angulo, qui reliquo arcui opponitur, vt in problemate 2. propoſ. 41. diximus. Praxis.

OPORTET *autem conſtare, an reliquus angulus non rectus, qui quæritur, ſit acutus, obtuſusve; vel, an reliquus arcus circa angulum rectum ſit minor, aut maior quadrante, vt ad calcem problematis 2. propoſ. 42. monuimus, vbi errorem etiam Nicolai Copernici deteximus.*

QVONIAM *vero abſolutus iam eſt triangulorum ſphæricorum rectangulorum calculus, libet hoc loco omnia problemata hactenus explicata in tabulam quandam referre, vt facilius quilibet id, quod maxime ſcire deſiderat, poſsit inuenire. Itaque cum in omni triangulo ſphærico rectangulo id, quod primo loco quæritur, ſit vel arcus recto angulo oppoſitus, vel vterlibet arcuum circa rectum angulum, vel denique alteruter angulorum non rectorum, (quamuis eo, quod potiſsimum quæritur, inuento, cætera quoque reperiantur, vt ad praxes ſingulorum problematum monuimus) trimembrem tabulam, pro numero quæſitorum, confecimus, appoſuimuſque problemata propoſitionum, in quibus inuentiones quæſitorum demonſtratæ ſunt.*

Sequuntur problemata ſuperiorum propoſitionum in trimembrem tabellam digeſta.

Inuentio arcus recto angulo oppositi.

Quando datur

1. Arcus circa angulum rectum: Et angulus non rectus ei oppositus.	Probl. 3. propos. 41. (& Probl. propos. 54.
2. Vterque arcus circa angulum rectum.	Probl. propos. 43.
3. Arcus circa angulum rectum: Et angulus non rectus ei adiacens.	Probl. 1. propos. 45. (& Probl. propos. 46.
4. Vterque angulus non rectus.	Probl. propos. 50.

Inuentio arcus vtriuslibet circa angulum rectum.

Quando datur

1. Arcus recto angulo oppositus: Et angulus non rectus quęsito arcui oppositus.	Probl. 2. propos. 41.
2. Vterq; angulus non rectus.	Probl. 1. propos. 42. (& Probl. propos. 52.
3. Arcus recto angulo oppositus: Et alter arcus circa rectum angulum.	Probl. ꝓpos. 43. & 53.
4. Arcus alter circa angulum rectum: Et vteruis angulorum non rectorum.	Probl. 1. propos. 44.
5. Arcus recto angulo oppositus: Et angulus non rectus quæsito arcui adiacens.	Probl. 3. propos. 45.
6. Arcus alter circa angulum rectum: Et alter angulus non rectus ei oppositus.	Probl. propos. 49. (& Probl. 1. ꝓpos. 44.

1. Arcus

Inuentio anguli non recti vtriusvis.

Quando datur	1. Arcus recto angulo oppositus: Et arcus circa angulum rectum quęsito angulo oppositus.	Probl.1.propos.41.& (Probl. propos. 55.
	2. Arcus circa angulum rectum: Et alter angulus non rectus.	Probl.2. propos.42.
	3. Vterq; arcus circa rectum angulum.	Probl.2. propos.44. (& Probl.propos.48.
	4. Arcus recto angulo oppositus: Et arcus circa rectum angulum quęsito angulo adiacens.	Probl.2. propos. 45. (& Probl.propos.51.
	5. Arcus recto angulo oppositus: Et alter angulus non rectus.	Probl. propos. 47.
	6. Arcus circa angulum rectum quæsito angulo adiacens: Et alter angulus non rectus huic arcui oppositus:	Probl.propos. 56.& (Probl.2.propos.42.

SED quia hactenus de eo solum triangulo rectangulo egimus, cuius nullus arcuum quadrans est, doceamus breuiter, (rem quidem cuilibet perfacilem ex demonstratis) quo pacto nos gerere debeamus in eo, quod duos saltem arcus habet quadrantes, & duos angulos rectos. Nullum enim triangulum esse potest rectangulum, cuius vnus duntaxat arcus sit quadrans, sed vel nullus erit quadrans, vel omnes tres quadrantes erunt, vel duo, &c. Sit ergo triangulum sphæricum A B C, *in quo angulus* B, *ponatur rectus, & arcus* A B, *circa angulum rectum quadrans. Hoc posito, erit & arcus* A C, *recto angulo oppositus, quadrans. Quare cum duo arcus* A B, A C, *quadrantes sint, erunt duo anguli* B, C, *recti; ac propterea* A, *polus erit arcus* B C; *&* B C, *arcus anguli* A, *ex definitione 6. Igitur si datus sit tertius angulus* A, *datus etiam erit tertius arcus* B C: *Et contra, si datus sit tertius arcus* B C, *datus quoque erit tertius angulus* A. *Eodem modo, si alter arcus* B C, *circa angulum rectum quadrans ponatur, ostendemus & arcum* A C, *recto angulo oppositum quadrantem esse, & angulum* A, *rectum. Si ergo detur tertius angulus* C, *dabitur quoque tertius arcus* A B, *& contra, vt prius. Quòd si quantitas tertij anguli, aut arcus data non fuerit, nihil certi colligi poterit, licet duo alij anguli recti sint,*

Quid agendū in triangulo rectāgulo, ī quo quadrātes sunt.

Coroll. 38. huius.

35. huius.

25. huius.

Coroll. 26. huius.



duoque arcus illis oppositi, quadrantes, vt manifestum est.

36.huius. PONATVR *iam arcus* A C, *recto angulo* B, *oppositus quadrans. Quo posito, erit & alter saltem arcuum* A B, B C, *circa angulum rectum quadrans. Quamobrem reliqua consequentur, vt proxime demonstratum est.*

26. vel 35. huius. Coroll. 25. huius. QVOD *si quando duo arcus* A B, B C, *circa angulum rectum quadrantes ponantur, erit quoque tertius arcus* A C, *recto angulo oppositus, quadrans. Quocirca cum omnes arcus quadrantes sint, erunt omnes anguli recti.*

EX *his facile quiuis intelliget, quid agere debeat, quando aliquis arcus in triangulo rectangulo quadrans ponitur: præsertim si propos.* 25. 26. 27. 28. 29. 30. 31. 32. 33. 34. 35. 36. 37. 38. *attente considerentur.*

SEQVITVR *iam, vt calculum triangulorum non rectangulorum tandem exponamus: Verũ prius aliquot theoremata ad hanc rem perutilia demonstranda sunt.*

THEOR. 55. PROPOS. 57.

SI in triangulo sphærico supra vnum arcum duo anguli acuti, aut obtusi consistant; Perpendicularis arcus à tertio angulo in eum arcum demissus intra triangulum cadit. Si vero duorum angulorum supra vnum arcum consistentium vnus sit acutus, & obtusus alter; Perpendicularis arcus à tertio angulo in eum arcum demissus extra triangulum cadit.

IN triangulo sphærico A B C, sint duo anguli B, C, supra arcum B C, acuti, vel obtusi. Dico arcum perpendicularem ex A, ad arcum B C, demissum cadere intra triangulum, cuiusmodi est arcus A D. Si enim dicatur cadere extra, cadat, si fieri potest, arcus A E, ad B C, arcum productum perpendicularis extra triangulum, & ponantur primum duo anguli B, C, acuti, ac proinde angulus A C E, obtusus. Quoniam igitur in triangulo A C E, angulum E, habente rectum, angulus A C E, obtusus est, erit arcus A E, quadrante maior. Rursus quia in triangulo A B E, habente angulum rectum E, angulus B, acutus est, erit arcus A E, quadrante minor: Sed & quadrante maior ostensus est; quod est absurdum.



34. huius. 34. huius.

PONANTVR deinde anguli B, C, obtusi, atque adeo angulus A C E, acutus. Quia ergo in triangulo A C E, habente rectum angulum E, angulus A C E, acutus est, erit arcus A E, minor quadrante. Rursus quoniam in triangulo A B E, rectum habente E, angulum, angulus B, obtusus est, erit arcus A E, quadrante maior: Sed & quadrante minor ostensus est; quod est absurdum. Non cadit ergo arcus perpendicularis extra triangulum: sed neque cum

34. huius. 34. huius.

altero

altero arcuum A B, A C, coincidet, quòd neuter angulorum B, C, ponatur rectus. Cadit ergo intra triangulum.

IAM vero ponatur in eodem triangulo A B C, angulus B, acutus, & C, obtusus. Dico perpendicularem arcum ex A, ad arcum B C, demissum extra triangulum cadere, cuiusmodi est arcus A E. Nam si intra dicatur cadere, cadat, si fieri potest, arcus A D, ad B C, perpendicularis intra triangulum. Itaque quia in triangulo A C D, angulum rectum habente D, angulus C, obtusus est, erit arcus A D, maior quadrante. Rursus cum in triangulo A B D, rectum habente angulum D, angulus B, acutus est, erit arcus A D, quadrante minor: Sed & quadrante ostensus est maior; quod est absurdum. Arcus ergo perpendicularis non cadit intra triangulum; sed neque cum altero arcuum A B, A C, coincidit, cum neuter angulorum B, C, rectus ponatur. Cadit ergo extra triangulum. Quapropter, si in triangulo sphærico supra vnum arcum duo anguli acuti, &c. Quod erat demonstrandum. 34. huius. 34. huius.

THEOR. 56. PROPOS. 58.

IN omni triangulo sphærico, cuius duo arcus sint inæquales; quadratum sinus totius ad rectangulum sub sinubus rectis duorum arcuum inęqualium contentum, eandem proportionem habet, quam sinus versus anguli à dictis arcubus comprehensi ad differentiam duorum sinuum versorum, quorum vnus differentiæ eorundem arcuum debetur, alter vero tertio arcui, qui prædicto angulo oppositus est, respondet.

IN triangulo sphærico A B C, sint duo arcus A B, A C, inęquales, ille minor, & hic maior. Dico ita esse quadratum sinus totius ad rectangulum sub sinubus rectis arcuum A B, A C, contentum, vt est sinus versus anguli A, ad differentiam inter sinum versum arcus, quo arcus A B, A C, inter se differunt, & sinum versum arcus B C. Cuius rei demonstrationem, vt clarior fiat, & generalior, in quindecim casus diuidemus.



1. casus.

1. SINT omnes tres arcus quadrante minores. Compleatur minoris arcus A B, circulus A B D G H, productisq; arcubus A C, B C, fiant quadrantes A L, B M; & polis A, B, interuallis autem quadrantum A L, B M, circuli maximi describantur D L E F, G M E H: Et eisdem polis, interuallis

uallis autem A C, B C, circuli non maximi delineentur K C N, O C P, qui il-
a.2.Theod. lis maximis paralleli erunt: & tam hi, quam illi ad circulum A B D G H, re-
15.1.Theo. cti erunt, cum ille per horũ polos trãsiens ad ipsos sit rectus. Post hæc, vt confusio vitetur, in circulo A B D G H, seorsum descripto sint communes sectiones ipsius, & circulorum ex polis A, B, descriptorum, nempe D F, G H, communes sectiones ipsius, & maximorum circulorum D L E F, G M E H, quæ ipsorum diametri erunt sese in centro sphæræ X, intersecantes: At K N, O P, communes sectiones eiusdem, & circulorum K C N, O C P, se intersecantes
16.vndec. in S; quæ ipsis D F, G H, parallelæ erunt; & diametri circulorum K C N, O C P; quòd maximus circulus A B D G H, per eorum polos transiens eos
15.1Theod. bifariam secet, nimirum per eorum diametros. Ducantur quoque semidiametri A X, secans K N, in Y; & B X, secans K N, O P, in I, R. Eruntque semi-
Schol. 10. 1. Theod. diametri A X, B X, perpendiculares ad circulos per D F, K N, G H, O P, ductos; cum ab eorum polis A, B, ducantur per X, sphæræ centrum: ac proinde anguli ad Y, & R, recti erunt, ex defin. 3. lib. 11. Eucl. Ducantur denique ad B X, O P, perpendiculares A V, K Q, K T. Erit igitur, per ea, quæ in tractatione sinuum scripsimus, A V, sinus rectus arcus A B; & K Y, sinus rectus arcus A K, hoc est, arcus A C, cum arcus A K,



A C, ex defin. poli, æquales sint, vt in primo circulo apparet. B R, erit sinus versus arcus B O, id est, arcus B C, cum arcus B O, B C, æquales sint, ex defin. poli. B Q, sinus versus erit arcus B K, qui differentia est arcuum inæqualium A B, A C, propterea quod, ex defin. poli, arcus AK, arcum A B, arcu B Q, superans, æqualis est arcui A C: ac proinde Q R, vel K T, differentia erit inter B R, sinum versum tertij arcus B C, & B Q, sinum versum differentiæ arcuum inæqualium A B, A C, hoc est, sinum versum arcus B K. Postremo erit K S, sinus versus arcus K C, in circulo non maximo K C N, cum recta ex C, in communes sectiones circulorum K C N, O C P, cum circulo A B D G H, hoc est, in punctum S, cadens, (quæ quidem ad circulũ A B D G H, recta est, vtpote com-
19.vndec. munis sectio circulorum K C N, O C P, ad eundem circulum A B D G H, rectorum) sinus rectus sit eiusdem arcus K C. Sumatur quoque D Z, sinus ver-
10.2.Theo. sus arcus D L, hoc est, anguli A, qui quidem arcus arcui K C, similis est. Demonstrandum igitur est, ita esse quadratum sinus totius, hoc est, rectangulum sub D X, X A, contentum, ad rectangulum sub sinubus rectis A V, K Y, arcuum A B, A C, contentum, vt est sinus versus D Z, anguli A, ad K T, differentiam inter B R, sinum versum arcus B C, & B Q, sinum versum arcus B K, differentiæ arcuum inæqualium A B, A C. quod ita fiet.

15. primi. QVONIAM angulus X I Y, angulo R I S, æqualis est, & angulus re-
32.primi. ctus Y, angulo recto R; erit reliquus angulus I X Y, trianguli I X Y, reliquo angulo I S R, trianguli I S R, æqualis, hoc est, angulo ad verticem K S T. Cum ergo & angulus rectus V, recto angulo T, æqualis sit, erit & reliquus angulus X A V, trianguli X A V, reliquo angulo S K T, trianguli S K T,
4. sexti. æqualis. Quam ob rem erit, vt X A, ad A V, ita S K, ad K T. Rursus quia D Z, K S,

K S, sinus versi sunt arcuum similium D L, K C; erit, vt D X, ad K Y, sinus totus ad sinum totum, ita D Z, ad K S, per lemma propos. 1. nostræ Gnomonices. Quia vero proportio rectanguli sub D X, X A, ad rectangulum sub K Y, A V, componitur ex proportione D X, ad K Y, hoc est, D Z, ad K S, & ex proportione X A, ad A V: Et proportio D Z, ad K T, componitur ex eisdē proportionibus, nempe (posita media recta K S) ex proportione D Z, ad K S, & ex proportione K S, ad K T, hoc est, ex proportione X A, ad A V; erit, vt rectangulum sub D X, X A, id est, quadratum sinus totius, ad rectangulum sub K Y, A V, sinubus rectis arcuum inæqualium A C, A B, ita D Z, sinus versus anguli A, ad K T, differentiam inter B R, sinum versum arcus B C, angulo A, oppositi, & B Q, sinum versum differentiæ arcuum inæqualium A C, A B. Quod est propositum. 23. sexti.

2. SINT duo arcus inæquales A B, A C, quadrante quidem minores, at B C, quadrans. Compleatur minoris arcus A B, circulus A B D G H, & producto arcu A C, vt fiat quadrans A L, describantur ex polis A, B, ad interualla quadrantum A L, B C, circuli maximi D E L F, G E C H: Item ex polo A, ad interuallum A C, circulus non maximus K C N, qui ipsi D E L F, parallelus erit, secabitque circulus A B D G H, circulos D E L F, G E C H, K C N, ad angulos rectos, & bifariam: ac proinde horum cum illo communes sectiones D F, G H, K N, diametri eorum erunt, & D F, G H, se in X, centro sphæræ intersecabunt, parallelæque erunt D F, K N. Reliqua fiant, vt in præcedenti casu, nisi quòd hic punctum R, idem est, quod X, propterea quòd circulus O C P, à circulo G E H, atq; adeo recta O R P, à recta G H, non differt. Erit, vt prius, A V, sinus rectus arcus A B; & K Y, sinus rectus arcus A K, hoc est, arcus A C, ipsi A K, ex defin. poli, æqualis. Item B R, sinus versus erit arcus B G, id est, arcus B C, ipsi B G, æqualis. At B Q, sinus erit versus arcus B K, differentiæ arcuum A B, A C; ideoq; Q R, vel K T, differentia erit inter sinus versos B R, B Q, arcuum B C, B K. Deniq; K S, erit sinus versus arcus K C. Sumpto ergo D Z, sinu verso arcus D L, hoc est, anguli A, demonstrandum est, ita esse quadratum sinus totias, id est, rectangulum sub D X, X A, ad rectangulum sub A V, K Y, sinubus rectis arcuum A B, A C, vt est sinus versus D Z, anguli A, ad K T, differentiam sinuum versorum B R, B Q, arcuum B C. B K. quod quidem demonstrabitur, vt in præcedenti casu, nisi quod triangulum X A V, ostendetur hic æquiangulum esse triangulo S K T, ex eo quòd angulus I X Y, angulo Y S X, æqualis est, propterea quòd triangula I X Y, Y S X, similia sunt inter se. Hinc enim fit, rectangula triangula X A V, S K T, inter se omnino æquiangula esse. 2. casus. 1.2. Theo. 15.1. Theod. 16. vndec. 8. sexti.



3. SINT rursus A B, A C, quadrante minores, at B C, maior. Compleatur minoris arcus A B, circulus, & ex B C, abscindatur quadrans B M, producaturq; A C, vt fiat quadrans A L. Reliqua construantur, vt in prmo casu. Erunt hic sinus, vt ibi. Demonstrandum ergo est, ita esse quadratū sinus 3. casus.

totius,

totius, nempe rectangulum ſub D X, X A, ad rectangulum ſub A V, K Y, ſinubus rectis arcuum A B, A C, vt eſt ſinus verſus D Z, anguli A, ad K T, differentiam ſinuum verſorum B R, B Q, arcuum B C, B K. quod quidem oſtendetur, vt in primo caſu, niſi quòd triangulū X A V, oſtendemus hic triangulo S k T, æquiangulum eſſe, ex eo, quòd angulus X I Y, angulo S K T,
29. primi. externus interno, æqualis eſt. Hinc enim efficitur, in triangulis rectangulis X I Y, S k T, reliquos angulos I X Y, k S T, æquales eſſe; atq; idcirco rectangula triangula X A V, S k T, eſſe æquiangula.



4. caſus. 4. SIT arcus A C, quadrans, atque adeo A B, quadrante minor; ſtatuatur quoque B C, minor quadrante. Completo circulo A B D G H, minoris arcus A B; productoq; arcu B C, vt fiat quadrans B M, deſcribantur ex polis A, B, ad interualla quadrantum A C, B M, circuli maximi D C E F, G M E H: Item ex polo B, ad interuallum arcus B C, circulus non maximus O C P. Reliqua conſtruantur, vt in primo caſu, niſi quòd hic duo circuli paralleli D E F, k C N, inter ſe non differunt, propter quadrantem A C. Ex quo fit, rectas D F, k N, inter ſe quoq; non differre. quod etiam de ſinubus verſis kS, DZ, dicendum eſt. Alij ſinus ſunt, vt prius. Iam verò, ita eſſe quadratum ſinus totius, ſiue rectangulum ſub D X, X A, ad rectangulum ſub A V, k V, ſinubus rectis arcuum A B, A C, vt eſt D Z, ſinus verſus anguli A, ſiue arcus K C, ad K T, differentiam ſinuum verſorum B R, B Q, arcuum B C, B K, oſtendemus, vt in primo caſu; excepto, quòd hic triangulum X A V, triangulo S k T, æquiangulum eſſe; demonſtrabimus, ex eo, quòd angulus A X V, angulo Y S R, æqualis eſt, (pro-
8. ſexti. pterea quod triangula I X R, R S Y, ſimilia ſunt) atque adeo angulo K S T. Hinc enim fit, rectangula triangula X A V, S k T, eſſe ęquiangula.



5. caſus. 5. SIT rurſus A C, quadrans, proptereaq; A B, quadrante minor, ſed B C, ponatur quoque quadrans. Completo circulo A B D G H, minoris arcus A B, deſcribantur ex polis A, B, ad interualla quadrantū A C, B C, circuli maximi D C F, G C H, & reliqua fiant, vt prius, niſi quod hic circuli k N, O P, non maximi à maximis D F, G H, non differunt, &c. Demonſtrandum igitur eſt, ita eſſe quadratum ſinus totius, hoc eſt, rectangulum ſub D X, X A, ad rectangulum ſub A V, k Y, ſinubus



nubus rectis arcuum A B, A C, vt eſt D Z, ſinus verſus anguli A, ſeu arcus k C, ad k T, differentiam ſinuum verſorum B Y, B Q, quorum ille arcui B C, hic autem arcui B k, debetur. quod quidem oſtendemus, vt in primo caſu. Solum triangulum X A V, ita demonſtrabitur triangulo S k T, æquiangulum. Quoniam anguli D S A, B S H, recti ſunt, cum A S, B S, axes ſint circulorum D F, G H; erunt, dempto communi A S B, reliqui D S B, A S H, æquales: ſed ille angulo alterno S k T, & hic alterno angulo X A V, æqualis eſt. 29.primi. Igitur & anguli S k T, X A V, æquales erunt: ac proinde triangula rectangula X A V, S k T, æquiangula erunt.

6. SIT adhuc A C, quadrans, ideoq; A B, minor quadrante, ſed B C, 6. caſus. quadrante ſtatuatur maior. Completo circulo A B D G H, arcus minoris A B; & ex B C, abſciſſo quadrante B M, deſcribantur ex polis A, B, ad interualla quadrantum A C, B M, maximi circuli D E F, G E H: Item ex polo B, ad interuallum B C, circulus non maximus O C P, qui ipſi G E H, parallelus erit. 2.2.Theod. Reliqua fiant, vt prius, niſi quòd hic inter ſe non differũt circuli D F, k N, &c. Iam demonſtrabimus, vt in primo caſu, ita eſſe quadratum ſinus totius, id eſt, rectangulum ſub D X, X A, ad rectangulum ſub A V, k Y, ſinubus rectis arcuum A B, A C, vt eſt D Z, ſinus verſus anguli A, ſeu arcus D C, ad k T, differentiam ſinuum verſorum B R, B Q, arcuum B C, B k. Verum triangulum X A V, triangulo S k T, æquiangulum eſſe, ita monſtrabimus. Cum anguli recti ſint A X k, B X G, reliqui æquales erunt A X V, k X G: ſed hic æqualis eſt oppoſito, & interno T S k. Igitur & angulus A X B, angulo T S k, æqualis erit: atque adeo rectangula triangula X A V, S K T, æquiangula erunt. 29.primi.



7. SIT arcus A C, quadrante maior, & A B, B C, quadrante minores. 7. caſus. Completo circulo A B D G H, & abſciſſo quadrante A L, ex A C, productoque arcu B C, vt fiat quadrans B M, fiant reliqua omnia, vt in primo caſu. Demonſtrabimus enim, vt ibi, ita eſſe quadratum ſinus totius, ſiue rectangulũ ſub D X, X A, ad rectangulum ſub A V, k Y, ſinubus rectis arcuum A B, A C, vt eſt D Z, ſinus verſus anguli A, ſiue arcus D L, ad k T, differentiam ſinuum verſorum B R, B Q, arcuum B C, B K: ſed triangulum A X V, ita probabitur æquiangulum eſſe triangulo S K T. Angulus K S T, angulo I S R, æqualis eſt. Igitur in triangulis rectangulis S k T, 15. primi. I S R, reliqui anguli S k T, S I R, æquales erunt; ac proinde & in rectangulis triangulis S K T, X I Y, reliqui anguli K S T, I X Y, æquales erunt. Cum ergo angulus I X Y, angulo A X V, æqualis ſit, erit quoq; k S T, eidem A X V, 15.primi.



æqualis; propterea q; in triangulis rectangulis S K T, X A V, reliqui anguli S K T, X A V, æquales erunt.

8. casus. 8. SIT adhuc A C, quadrante maior, & A B, minor quadrante, sed B C, quadrans. Completo circulo A B D G H, & abscisso quadrante A L, ex A C, describantur ex polis A, B, ad interualla quadrantum A L, B C, maximi circuli D E F, G E H: Item ex polo A, ad interuallum A C, circulus nõ maximus K C N, & alia fiãt, vt in primo casu. Demonstrabitur, vt ibi, ita esse quadratum sinus totius, nimirum rectãgulum sub D X, X A, ad rectangulum sub A V, K Y, sinubus rectis arcuum A B, A C, vt est D Z, sinus versus arcus D L, siue anguli A, ad K T, differentiam sinuum versorum B R, B Q, arcuum B C, B K: si tamen triangula X A V, S K T, ostendamus æquiangula esse, vt in septimo casu.



9. casus. 9. SIT rursus A C, maior quadrante, & A B, quadrante minor, sed B C, maior etiam quadrante. Completo circulo A B D G H, & abscisis quadrantibus A L, B M, ex A C, B C, reliqua construantur, vt in primo casu. Nam, vt ibi, ita hic demonstrabitur, ita esse quadratum sinus totius, rectangulum videlicet sub D X, X A, ad rectangulum sub A V, K Y, sinubus rectis arcuum A B, A C, vt est D Z, sinus versus arcus D L, siue anguli A, ad K T, differentiam sinuum versorum B R, B Q arcuum B C, B K. Sed triangula X A V, S K T, esse æquiangula, ita confirmabitur.



15. primi. Angulus K S T, angulo I S R, æqualis est. Igitur in rectangulis triangulis S K T, S I R, & reliqui anguli S K T, S I R, æquales erunt; ac proinde in triangulis rectangulis S K T, I X Y, reliqui quoque anguli K S T, I X Y, hoc est, A X V,
15. primi. (cum hic ipsi I X Y, sit æqualis) inter se æquales erunt. Quare & reliqui anguli S K T, X A V, in triangulis rectangulis S K T, X A V, erunt æquales.

10. casus. 10. SIT arcus A C, maior quadrante, & A B, quadrans, at B C, quadrante minor. Completo circulo A B G F, abscissoque quadrante A L, ex A C, & producto B C, vt fiat quadrans B M, describãtur ex polis A, B, ad interualla quadrantum A L, B M, circuli maximi B L E F, A E M G,



Coroll. 16. 1. Theod. incedetq; ille per punctum B, & hic per punctum A, ob quadrantem A B; propterea quòd maximus circulus à polo abest quadrante maximi circuli. Item ex eisdem

ex eisdem polis A, B, ad interualla A C, B C, delineentur circuli non maximi K C N, O C P, qui prioribus erunt paralleli. Descriptis deinde in alio circulo communibus sectionibus horum circulorum cum circulo A B G F, quæ 2.2. Theod.
inter se parallelę erunt, seseq; ad angulos rectos secabunt; (Nam A X, ex A, 16. vndec.
polo circuli B F, in sphæræ centrum X, cadens ad ipsum circulum recta est; Schol. 10.
ac propterea, ex defin. 3. lib. 11. Eucl. anguli ad X, recti erunt. Ex quo fit, etiam 1. Theod.
angulos ad R, S, Y, rectos esse, ob parallelas lineas B F, K N, & A G, O P.) erit 29. primi.
A V, sinus rectus quadrantis A B; K Y, sinus rectus arcus A C, siue arcus A K, illi, ex defin. poli, æqualis; B R, sinus versus arcus B C, seu arcus B O, illi, ex poli defin. æqualis; B Q, (ducta K Q, ad B F, perpendiculari) sinus versus arcus B K, quo arcus A B, A C, inter se differunt; Denique K S, sinus versus arcus K C. Itaque si sumatur D Z, sinus versus anguli A, siue arcus B L, qui arcui K C, similis est, demonstrabimus, vt in primo casu, ita esse quadratum sinus totius, nempe rectangulum sub D X, X A, ad rectangulum sub A V, K Y, sinubus rectis arcuum A B, A C, vt est D Z, sinus versus anguli A, siue arcus B L, ad K T, siue ad Q R, differentiam sinuum versorum B R, B Q, arcuum B C, B K, nisi quòd hic non inueniuntur triangula æquiangula, sed A V, ab X A, non differt, quemadmodum nec K S, à K T.

11. SIT iterum A C, quadrante maior, at tam A B, quam B C, quadrans. 11. casus.
Completo circulo A B G F, & resecto quadrante A E, ex A C, describantur ex polo A, ad interualla A E, A C, circuli B E F, K C N, & ex polo B, ad interuallum B C, circulus A E G, aliaque fiant, vt in præcedenti casu. Ostendemus ergo, vt in primo casu, ita esse quadratum sinus totius, hoc est, rectangulum sub D X, X A, ad rectangulum sub A V, K Y, sinubus rectis arcuum A B, A C, vt est D Z, sinus versus anguli A, siue arcus B E, ad K T, seu Q R, differentiam sinuum versorum B R, B Q, arcuum B C, B K, nisi quod hic nulla adsint æquiangula triangula, quemadmodum nec in præcedenti casu, atque A V, ab X A, & D Z, à B R, & K S, à K T, non differt.



12. SIT arcus A C, quadrante maior, & A B, quadrans, sed B C, maior 12. casus.
etiam quadrante. Completo circulo A B G F, & ablatis quadrantibus A L, B M, ex arcubus A C, B C, describantur circuli ex polis A, B, ad interualla quadrantum A L, B M, & arcuum A C, B C, cæteraque fiant, vt in præcedentibus. Erit ergo rursus, vt in primo casu demonstratum est, ita quadratum sinus totius, id est, rectangulum sub D X, X A, ad rectangulum sub A V, K Y, sinubus rectis arcuum A B, A C, vt est D Z,



ſinus verſus anguli A, ſiue arcus B L, ad K T, differentiam ſinuum verſorum B R, B Q, arcuum B C, B K; quamuis nulla hic appareant triangula æquiangula, ſed X A, A V, inter ſe non differant, quemadmodum neque K S, K T.

13. casus. 13. SINT arcus A C, A B, quadrante maiores, at B C, minor quadrante. Completo circulo A B G F, & reſecto quadrante A L, ex A C, producto item arcu B C, vt fiat quadrans B M, reliqua fiant, vt in ſuperioribus. Demonſtrabimus iam, vt in primo caſu, ita eſſe quadratum ſinus totius, nimirum rectangulum ſub D X, X A, ad rectangulum ſub A V, K Y, ſinubus rectis arcuum A B, A C, vt eſt D Z, ſinus verſus anguli A, ſeu arcus D L, ad K T, differentiam ſinuum verſorum B R, B Q, arcuum B C, B k; niſi quòd triãgulum X A V, triangulo S K T, demonſtrandum eſt

29 primi. eſſe æquiangulum hac ratione. Quoniam angulus K S T, angulo oppoſito, & interno Y I X, æqualis eſt, erit in triangulis rectangulis S K T, I X Y, & reliquus angulus S K T, reliquo angulo I X Y, hoc eſt, angulo oppoſito, & interno V A X, (cum parallelæ ſint A V, G H.) æqualis. Igitur in triangulis rectangulis S K T, X A V, anguli quoque reliqui K S T, A X V, æquales erunt, ac proinde æquiangula erunt triangula S K T, X A V.

14. casus. 14. SINT rurſum A C, A B, maiores quadrante, at B C, quadrans. Completo circulo A B G F, & abſciſſo quadrante A L, ex A C, necnon deſcriptis circulis D E F, K C N, ex polo A, ad interualla A L, A C, deſcribatur quoq; ex polo B, ad interuallum quadrantis B C, circulus maximus G E H, atq; alia fiant, vt ſupra. Demonſtrandum ergo eſt, ita eſſe quadratum ſinus totius, id eſt, rectãgulum ſub D X, X A, ad rectangulum ſub A V, K Y, ſinubus arcuum A B, A C, vt eſt D Z, ſinus verſus anguli A, arcuſve D L, ad K T, differentiam inter ſinus verſos B R, B Q, arcuum B C, B K. Quod quidem oſtendemus, vt in primo caſu. Solum triangula S K T, X A V, probabũtur æquiangula eſſe, hoc modo.

Angulus S, communis eſt vtrique triangulo rectangulo S K T, S R Y. Igi-
29. primi. tur angulus reliquus S K T, reliquo angulo S R Y, hoc eſt, angulo oppoſito, & interno V A X, (cum parallelę ſint A V, G H.) æqualis erit. Quare rectangula triangula S K T, X A V, æquiangula erunt.

15. casus. 15. SINT poſtremo omnes tres arcus trianguli A B C, quadrante maiores. Completo circulo A B G F, & reſectis quadrantibus A L, B M, ex arcubus A C, B C, fiant omnia alia, vt prius. Oſtendemus non ſecus, ac in primo caſu, ita eſſe quadratum ſinus totius, nempe rectangulum ſub D X, X A, ad rectangulum ſub A V, K Y, ſinubus rectis arcuum A B, A C, vt eſt D Z, ſinus

nus versus anguli A, seu arcus D L, ad K T, differentiam inter sinus versos B R, B Q, arcuum B C, B K; si modo triangula S K T, X A V, æquiangula esse concludamus, hac argumétatione. Angulus Y I X, æqualis est interno & opposito K S T. Igitur in triangulis rectangulis S K T, I X Y, reliquus angulus S K T, reliquo angulo I X Y, hoc est, angulo interno, & opposito X A V, (cum parallelæ sint A V, G H.) æqualis erit; ac proinde triágula rectangula S K T, X A V, æquiangula erunt. Quapropter In omni triangulo sphærico, cuius duo arcus sint inæquales, &c. Quod demonstrandum erat. 29. primi.



SCHOLIVM. I.

EX omnibus quindecim casibus huius demonstrationis liquet, arcum B C, angulo A, sub arcubus inæqualibus comprehenso oppositum semper maiorem esse arcu B K, hoc est, differentia arcuum inæqualium. In omnibus enim figuris arcus B C, per defin. poli, arcui B O, (vel arcui B G, quando B C, quadrans est, vt in casu 2. 5. 8. 11. & 14.) æqualis est. Constat autem arcum B O, (vel arcum B H, in dictis quinque casibus) maiorem esse arcu B K: quod tamen ita esse, facile sequens quoque theorema demonstrabit.

IN omni triangulo sphærico, cuius duo arcus sint inæquales; arcus reliquus maior est arcu, quo inæquales arcus inter se differunt.

IN triangulo enim A B C, sit arcus A B, maior arcu A C, & ex polo A, ad interuallum A C, arcus circuli describatur C D. Erit ergo arcus A D, arcui A C, per defin. poli, æqualis, atque adeo arcus B D, differentia arcuum inæqualium A B, A C. Dico arcum B C, arcu B D, maiorem esse. Quoniam enim duo arcus A C, C B, simul maiores sunt arcu A B; ablatis æqualibus arcubus A C, A D, reliquus quoq; C B, reliquo B D, maior erit. Quod est propositum. 5. huius.



ITAQVE in omni sphærico triangulo, cuius duo arcus inæquales sint, sinus versus reliqui arcus semper maior est sinu verso differentiæ arcuum inæqualium. Cum enim arcus ille reliquus ostensus sit maior, quam ea differentia, maior autem arcus habeat semper maiorem sinum versum, vt ex tractatione sinuum constat, perspicuum fit, reliqui arcus sinum versum maiorem esse sinu verso differentiæ arcuum inæqualium.

In triangulo sphęrico duorum arcuum inæqualium, sinus uersus tertij arcus maior est sinu verso differentię arcuum inæqualiũ.

HOC idcirco dixerim, vt rationem videas, quare in praxi propos. 64. differentia inter sinus versos, quorum vnus reliquo tertio arcui, alter vero differentiæ inæqualium arcuum debetur, adijcienda præcipiatur sinui verso differentiæ arcuum inæqualium, vt componatur sinus versus reliqui tertij arcus, nunquam autem detrahenda à sinu verso dictæ differentiæ, vt sinus versus reliqui arcus relinquatur.

CAETE-

SCHOLIVM. II.

CAETERVM *ex hac propoſ.58.colligemus ſequens theorema ad calculum triangulorum ſphæricorum non rectangulorum perutile, videlicet.*

IN omni triangulo ſphærico, cuius duo arcus ſint inæquales: ſinus totus ad quantitatem, quæ ſinui toti,& duobus ſinubus arcuum inæqualium quarto loco proportionalis eſt, eandem proportionem habet, quam ſinus verſus anguli ſub dictis arcubus comprehenſi ad differentiam inter ſinum verſum reliqui tertij arcus, & ſinum verſum arcus, quo duo inæquales arcus inter ſe differunt.



IN *triangulo ſphærico* A B C, *proxime antecedenti ſit arcus* A B, *maior arcu* A C,*& ex polo* A, *ad interuallum* A C, *deſcribatur arcus circuli* C D, *vt arcus* A C, A D, *per defin. poli, ſint æquales, atque adeo arcus* B D, *exceſſus ſit, ſeu differentia arcuum* A B, A C. *Fiat iam, vt ſinus totus ad ſinum arcus* A B, *ita ſinus arcus* A C, *ad aliud, quod quantitas quarta proportionalis vocetur, vt hic vides:*

Sinus totus.	ſinus arcus A B.	ſinus arcus AC.	quantitas quarta proportionalis.

Dico ita eſſe ſinum totum ad quantitatem quartam ſinui toti, & duobus ſinubus arcuum inæqualium proportionalem, vt eſt ſinus verſus anguli A, *ad differentiam inter ſinum verſum arcus* B C, *& ſinum verſum arcus* B D, *quo inter ſe arcus* A B, A C, *differunt. Quoniam enim proportio ſinus totius ad quantitatem illam quartam proportionalem componitur (poſito ſinu arcus* A B,*medio) ex proportione ſinus totius ad ſinum arcus* A B, *& ex proportione ſinus arcus* A B, *ad quantitatem quartam proportionalem: Et proportio quadrati ſinus totius ad rectangulum ſub ſinubus rectis arcuum* A B, A C, *componitur ex eiſdem proportionibus, nempe ex proportione ſinus to-*
23.ſexti. *tius ad ſinum arcus* A B, *& ex proportione ſinus totius ad ſinum arcus* A C, *quæ eadem eſt, quæ proportio ſinus arcus* A B, *ad quantitatem quartam proportionalem: (Nam cum ſit, vt ſinus totus ad ſinum arcus* A B,*ita ſinus arcus* A C, *ad quantitatem quartam proportionalem; erit permutando, vt ſinus totus ad ſinum arcus* A C, *ita ſinus arcus* A B, *ad quantitatem quartam proportionalem.) erit, vt ſinus totus ad quantitatem quartam proportionalem, ita quadratum ſinus totius ad rectangulum ſub ſinubus arcuum* A B, A C, *contentum. Cum ergo ſit, vt quadratum ſinus to-*
58.huius. *tius ad rectangulum ſub ſinubus arcuum* A B, A C, *ita ſinus verſus anguli* A, *ad differentiam ſinuum verſorum arcuum* B C, B D: *erit quoque, vt ſinus totus ad quantitatem quartam proportionalem, ita ſinus verſus anguli* A,*ad differentiam inter ſinus verſos arcuum* B C, B D. *quod eſt propoſitum,*

THEOR. 57. PROPOS. 59.

SI duo triangula ſphærica duos angulos duobus angulis æquales habeant, vtrumque vtrique:

erunt

erũt ſinus arcuum circa reliquum angulum vnius ſinubus arcuum circa reliquum angulum alterius proportionales, homologiq́; erunt ſinus arcuum æquales angulos ſubtendentium. Et ſi vnus angulus vnius vni angulo alterius ſit æqualis, ſinusq́; arcuum circa alium angulum vnius ſinubus arcuum circa alium angulum alterius proportionales, ita vt ſinus arcuum æquales angulos ſubtendentium ſint homologi: erunt & anguli arcubus reliquorum ſinuum homologorum oppoſiti inter ſe æquales, vel æquales duobus rectis.

SINT in duobus triangulis ſphæricis A B C, D E F, duo anguli inter ſe æquales B, E, necnon duo C, F. Dico ita eſſe ſinum arcus A B, ad ſinum arcus A C, vt eſt ſinus arcus D E, ad ſinum arcus D F. Quia enim eſt, vt ſinus arcus A B, ad ſinum anguli C, ita ſinus arcus A C, ad ſinum anguli B; erit permutando, vt ſinus arcus A B, ad ſinum arcus A C, ita ſinus anguli C, ad ſinum anguli B, hoc eſt, ita ſinus anguli F, ad ſinum anguli E, cum hi anguli illis ponantur æquales. Item quia eſt, vt ſinus arcus D E, ad ſinum anguli F, ita ſinus arcus D F, ad ſinum anguli E; erit permutando, vt ſinus arcus D E, ad ſinum arcus D F, ita ſinus anguli F, ad ſinum anguli E. Oſtenſum autem eſt, ita etiam eſſe ſinum arcus A B, ad ſinum arcus A C, vt eſt ſinus anguli F, ad ſinum anguli E. Igitur erit, vt ſinus arcus A B, ad ſinum arcus A C, ita ſinus arcus D E, ad ſinum arcus D F. Quod eſt propoſitũ.

41. huius.

41. huius.



SED ſint iam anguli B, E, æquales, & ita ſit ſinus arcus A B, ad ſinum arcus A C, vt eſt ſinus arcus D E, ad ſinum arcus D F. Dico angulos quoq; C, F, æquales eſſe, vel certe duobus rectis æquales. Oſtendemus enim, vt prius, ita eſſe ſinum arcus A B, ad ſinum arcus A C, vt eſt ſinus anguli C, ad ſinum anguli B. Item ita eſſe ſinum arcus D E, ad ſinum arcus D F, vt eſt ſinus anguli F, ad ſinum anguli E. Quare cum ponatur, vt ſinus arcus A B, ad ſinum arcus A C, ita ſinus arcus D E, ad ſinum arcus D F; erit, vt ſinus anguli C, ad ſinum anguli B, ita ſinus anguli F, ad ſinum anguli E: Et conuertendo, vt ſinus anguli B, ad ſinum anguli C, ita ſinus anguli E, ad ſinum anguli F. Cum ergo ſinus æqualium angulorum B, E, æquales ſint, erunt & ſinus angulorum C, F, æquales; ac proinde vel anguli C, F, æquales erunt, vel duobus rectis æquales. Quod eſt propoſitum. Itaque ſi duo triangula ſphærica duos angulos, &c. Quod erat demonſtrandum.

41. huius. Et permutando.

14. quinti.

SCHO-

SCHOLIVM.

QVOD si anguli B, E, vel C, F, non forent æquales, sed solum æquales duobus rectis, adhuc theorematis veritas retineretur: propterea quod anguli B, E, semper æquales sinus rectos habent, siue ipsi inter se æquales sint, siue æquales duobus rectis. quod etiam de angulis C, F, dicendum est. Id quod perspicue constare potest ex ijs, quæ in tractatione sinuum tradidimus.

THEOR. 58. PROPOS. 60.

SI ab angulo sphærici trianguli ad basim arcus maximi circuli demittatur diuidens angulum bifariam: habebunt sinus segmentorum basis eandem proportionem, quam sinus reliquorum duorum arcuum. Et si sinus segmentorum basis eandem proportionem habeant, quam sinus reliquorum duorum arcuum: diuidet arcus demissus angulum bifariam.

IN triangulo sphærico A B C, secet arcus A D, angulum A, bifariam. Dico ita esse sinum arcus A B, ad sinum arcus A C, vt est, sinus arcus B D, ad sinum arcus D C. Quia enim triangula A B D, A C D, angulos ad A, habent
59. huius. & eius scholium. æquales, & angulos ad D, æquales duobus rectis; erit, vt sinus arcus A B, ad sinum arcus B D, ita sinus arcus A C, ad sinum arcus C D: Et permutando, vt sinus arcus A B, ad sinum arcus A C, ita sinus arcus B D, ad sinum arcus D C. quod est propositum.

SED iam sit, vt sinus arcus A B, ad sinum arcus A C, ita sinus arcus B D, ad sinum arcus D C. Dico angulum A, sectum esse bifariam. Erit enim permutando quoque, vt sinus arcus A B, ad sinum arcus BD, ita sinus arcus AC, ad sinũ arcus C D. Habent igitur triangula A B D, ACD, angulos ad D, ęquales duobus rectis, & sinus arcuum circa angulos B, C, proportionales, homologiq; sunt sinus arcuũ angulis ad D, op-
59. huius. & eius scholium. positorũ. Igitur & anguli ad A, vel æquales erunt inter se, vel duobus rectis æquales: Non possunt autẽ duobus rectis esse æquales, quod angulus A, sit duobus rectis minor. Igitur æquales inter se erunt. quod est propositum. Si igitur ab angulo sphærici trianguli ad basim, &c. Quod ostendendum erat.

THEOR. 59. PROPOS. 61.

SI ab angulo sphærici triãguli ad basim, etiam

pro

productam, arcus perpendicularis deducatur: habebunt ſinus angulorum, quos arcus perpendicularis cum duobus arcubus dictum angulum comprehendentibus facit, eandem proportionẽ, quam ſinus complemẽtorum reliquorum duorum trianguli angulorum.

IN triangulo A B C, deducatur ex angulo A, ad baſin B C, arcus perpendicularis A D, cadens ſiue intra triangulum, ſiue extra. Dico ita eſſe ſinum anguli BAD, ad ſinum anguli D A C, vt eſt ſinus complementi anguli B, ad ſinum complementi anguli C. Nam in triangulo A B D, cuius angulus D, rectus, erit, vt ſinus anguli B A D, ad ſinum totum, ita ſinus complementi anguli B, ad ſinum complementi arcus A D. Item in triangulo CA D, habente angulum D, rectum, erit, vt ſinus anguli D A C, ad ſinum totum, ita ſinus complementi anguli C, (habent autem duo anguli ad C, in ſecundo triangulo eundem ſinum) ad ſinum complementi arcus A D: Et conuertendo, vt ſinus totus ad ſinum anguli D A C, ita ſinus complementi arcus A D, ad ſinum complementi anguli C. Ex æqualitate ergo (vt in appoſita formula vides) erit, vt ſinus anguli B A D, ad ſinum anguli D A C, ita ſinus complementi anguli B, ad ſinum complementi anguli C. Si igitur ab angulo ſphærici trianguli ad baſin, &c. Quod oſtendendum erat.



42. huius.

Sin. ang. BAD.	Sin. compl. ang. B.
Sinus totus.	Sin. cõpl. arcus AD.
Sin. ang. DAC.	Sin. compl. ang. C.

PROBL. 3. PROP. 62.

DATIS omnibus angulis trianguli ſphærici non rectanguli, omnes tres arcus efficere notos.

IN triangulo ſphærico non rectangulo A B C, dati ſint omnes anguli A, B, C: ſintq́; primum omnes tres anguli inæquales. Oportet ex his tres eius arcus perſcrutari. Quoniam nullus angulus ponitur rectus, erunt ſaltem duo vel acuti, vel obtuſi: ſint B, C, vel ambo acuti, vel obtuſi, quicquid ſit de reliquo A, à quo ad arcum B C, arcus perpendicularis ducatur, qui neceſſario cadet intra triangulum. Et quia eſt, vt ſinus anguli B A D, ad ſinum anguli D A C, ita ſinus complementi anguli B, ad



Quãdo omnes tres anguli ſunt inæquales.

57. huius.
61. huius.

ſinum complementi anguli C: proportio autem hæc poſterior data eſt in ſinubus complementorum angulorum B, C, datorum; erit quoque proportio ſinus anguli B A D, ad ſinum anguli D A C, data, nempe in ſinubus complementorum angulorum B, C: Sed & aggregatum eorundem duorum angulorum B A D, D A C, datum eſt, & minus ſemicirculo, nempe totus angulus B A C, qui duobus rectis minor eſt. Sigillatim igitur vterque angulorum B A D, D A C, cognitus erit. Quoniam ergo



6. triang. rectil. in triangulo A B D, cuius angulus D, rectus, dati ſunt duo anguli non recti B, & B A D; dabitur quoque ar-

Schol. 50. huius. cus A B, recto angulo oppoſitus. Hinc, quia in eodem triangulo A B D, angulum habente rectum D, co-

Schol. 41. huius. gnitus eſt arcus A B, recto angulo oppoſitus, & inſuper angulus non rectus B A D:

Schol. 42. vel 52. hui⁹. VEL certe, quoniam dati ſunt duo anguli non recti B, & B A D;

notus quoque fiet, ex ſcholijs in margine citatis, arcus BD, circa angulum rectum angulo B A D, oppoſitus. Eadem ratione, quia in triangulo A C D, cu-

Schol. 50. huius. ius angulus D, rectus, dati ſunt duo anguli non recti C, & C A D; dabitur quoque arcus A C, angulo recto oppoſitus. Hinc, quoniam in eodem triangulo A C D, habente rectum angulum D, cognitus iam eſt arcus A C, recto angulo

Schol. 41. huius. oppoſitus, cum angulo non recto C A D:

Schol. 42. vel 52. hui⁹. AVT certe, quia dati ſunt duo anguli non recti C, & C A D;

cognoſcetur etiam, ex eiſdem ſcholijs in margine adductis, arcus C D, circa angulum rectum angulo C A D, oppoſitus. Atque ita iam duo arcus A B, AC, cogniti ſunt: Aggregatum vero duorum arcuum B D, C D, inuentorum tertium arcum B C, notum etiam efficiet.

QVOD ſi quando alter angulorum ad A, nempe B A D, inuentus fuerit

25. huius. rectus, cum & D, rectus ſit, erit vterque arcus A B, B D, quadrans: atque ita ſine vlla moleſtia inuenti erunt dicti arcus. Pari ratione, ſi angulus C A D, deprehenſus fuerit rectus, non autem B A D, (fieri enim non poteſt, vt vterque angulus ad A, rectus ſit, cum angulus B A D, duobus rectis ſit minor.) erunt arcus A C, C D, quadrantes; atque adeo noti, ſine alio labore.

Praxis, quãdo omnes tres dati anguli inæquales ſũt. *PRAXIS huius problematis, cum ex propoſ. 6. triang. rectil. & ex ſcholijs in margine ſcriptis petẽda ſit, nõ eſt, quòd hic pluribus explicetur. Nam ſi ſtatuãtur duo ſinus complementorum angulorum B, C, acutorum, vel obtuſorũ, pro terminis proportionis ſinus anguli B A D, ad ſinũ anguli C A D, inueniemus vtrumq; angulũ B A D, C A D, per primã, vel ſecundam praxim propoſ. 6. triangulorum rectilineorum, quòd hæ expeditio-*

Propoſitio 6. triãg. rectil. intelligenda etiã eſt de angulis ſphæricis. *res ſint, quam tertia. Nam licet propoſitio illa 6. de arcubus, & angulis rectilineis tantum propoſita ſit, intelligẽda tamen etiã eſt de angulis ſphæricis, cum illorum ſinus à ſinubus arcuum eorũdem angulorum non diſcrepent. Inuento autem vtroque angulo B A D, C A D, adhibenda erit praxis problematis ſcholij propoſ. 50. huius, vt tam arcus A B, recto angu-*

le D,

lo D, in triangulo A B D, oppositus, quam arcus A C, angulo recto D, in triangulo A C D, oppositus inueniatur. Postremo adducenda est praxis problematis 2. scholij propos. 41. vel problematis 1. scholij propos. 42. vel certe praxis scholij propos. 52. ad eruendum tam arcum B D, angulo non recto B A D, in triangulo A B D, oppositum, quam arcum C D, angulo non recto C A D, oppositum in triangulo A C D.

QVOD si in hoc problemate enodando solis sinubus vti libeat, inueniendus erit vterque angulus B A D, C A D, per praxim tertiam propos. 6. triang. rectil. non autem per primam, vel secundam. Deinde ex praxi problematis 1. scholij propos. 42, huius, eliciendus tam arcus B D, angulo non recto B A D, oppositus in triangulo A B D, quam arcus C D, angulo non recto C A D, in triangulo A C D, oppositus. Ad extremum, per praxim problematis 3. scholij propos. 41. inuestigandus tam arcus A B, quam arcus A C, recto angulo D, quilibet in suo triangulo oppositus: quia præter inuentum arcum B D, & oppositum angulum B A D; necnon præter arcum inuentum C D, & angulum C A D, oppositum, constat etiam species tam anguli B, quam anguli C, cum vterque datus sit. Praxis per solos sinus, quãdo omnes tres anguli dati sunt inæquales.

LONGE facilius fit hoc problema, quando omnes tres anguli dati, vel duo saltem, sunt æquales. Nam si sint duo v. g. anguli B, C, æquales, quicquid sit de reliquo A; erunt & arcus A B, A C, æquales. Et quoniam triangulum A B C, ponitur non rectangulum, erit vterque angulorum æqualium B, C, vel acutus, vel obtusus. Quare arcus perpendicularis A D, ex tertio angulo A, ad arcum B C, demissus intra triangulum cadet. Quia ergo triangula A B D, A C D, angulos ad D, rectos habent, & angulos B, C, non rectos, æquales; necnon & arcus A B, A C, rectis angulis oppositos, æquales, vt ostendimus; erunt & arcus B D, C D, & anguli B A D, C A D, æquales; ac proinde vterque angulus B A D, C A D, cum dimidium sit dati anguli B A C, notus erit. Post hæc, quoniam in triangulo A B D, rectum habente angulum D, datus est vterque angulus non rectus B, & B A D; dabitur quoque arcus A B, recto angulo oppositus; propter eaque & illi æqualis A C, notus erit. Atque ita iam duo arcus A B, A C, noti facti sunt. Rursus quia in eodem triangulo A B D, dati sunt duo anguli non recti B, & B A D: Quãdo oẽs tres anguli dati, vel duo saltẽ, sũt æquales. 9. huius. 57. huius. 21. huius. Schol. 50. huius. Schol. 41. vel 52. hui⁹.

VEL, quoniam datus est arcus A B, angulo recto oppositus, & angulus non rectus B: Schol. 45. huius.

VEL denique, quia datus est arcus A B, recto angulo oppositus, cum angulo non recto B A D; Schol. 41. huius.

cognitus etiam erit arcus B D, circa angulum rectum: qui duplicatus totum tertium arcum B C, notum exhibebit. Omnes ergo tres arcus, qui quæruntur, noti effecti sunt.

NON est obscura praxis huius rei. Pendet enim ex scholijs in mar-

 gine

Praxis per solos sinus, quãdo omnes tres anguli dati, vel duo saltem, sunt æquales.

gine citatis. AT si solis sinubus quis vti velit, inquirendus erit per problema 1. scholij propos. 42. arcus B D, in triangulo A B D, in quo datus est angulus B, & angulus B A D, nempe dimidium anguli dati B A C: qui arcus B D, duplicatus dabit totum arcum B C. Deinde per problema 3. scholij propos. 41. in eodem triangulo, in quo repertus est arcus B D, & angulus oppositus B A D, constatq; species alterius anguli non recti B, dati, eliciendus erit arcus A B, angulo recto oppositus: quo inuento, inuentus quoque erit ei æqualis A C.

DATIS igitur omnibus angulis trianguli sphærici non rectanguli, omnes tres arcus effecimus notos. Quod faciendum erat.

SCHOLIVM.

DIFFERT ergo, vt vides, sphæricum triangulum non rectangulum à rectilineo non rectangulo; quòd in sphærico ex solis angulis datis inueniuntur omnes arcus, vt in hoc problemate ostensum est; in rectilineo vero ex datis solis angulis latera cognosci nequeunt, nisi vnum saltem latus etiam detur. Cuius rei causa hæc est, quòd duo triangula rectilinea similia, quamuis latera vnius lateribus alterius valde sint inæqualia, singula singulis, angulos tamen habeant angulis æquales, singulos singulis; ita vt dari possint duo triangula rectilinea inter se quidem æquiangula, non tamen æquilatera: At vero duo triangula sphærica inter se æquiangula esse non possunt, quin etiam æquilatera existant. (39. huius.) *Ex quo fit, in sphærico triangulo ex datis angulis dari etiam arcus, cum angulis determinati respondeant arcus; in rectilineo vero ex datis angulis latera dari non posse, cum angulis determinata latera non respondeant, sed possint eisdem maiora, vel minora latera subtendi.*

PROBL. 4. PROPOS. 63.

DATIS omnibus arcubus trianguli sphærici non rectanguli, omnes tres eius angulos inuestigare.

IN triangulo sphærico non rectangulo A B C, dati sint omnes tres arcus. Oportet ex ipsis omnes tres angulos reperire. Sit primo loco quærendus angulus A: Neque enim semper omnibus angulis indigemus; sed sæpenumero vnus, aut alter ex datis arcubus inquirendus est. Aut igitur duo arcus A B, A C, angulum A, qui quæritur, complectentes, sunt inæquales, aut æquales: Si inæquales, aut ambo sunt quadrante minores; aut maiores; aut vnus maior, & alter minor; aut vnus quadrans, & alter quadrante minor; aut deniq; vnus quadrans, & alter maior quadrante. Neque enim ambo esse possunt quadrantes: (85. huius.) quia duo anguli ipsis oppositi essent recti. quod esset absurdum, cum triangulum ponatur non rectangulum. Sint primum duo arcus A B, A C, inæquales, & quadrante minores, quicquid sit de arcu B C. Productis arcubus A B, A C, vt fiant quadrantes A D, A E, describatur per D, E, arcus circuli maximi D E, occurrens arcui B C, in vtramuis partem producto in F: Hortarer autem

Quuando duo arcus angulũ primo loco inueniẽdum autem, vt produceretur verſus maiorem arcum, qui hic ſit A C. Erunt autem anguli D, E, recti, ob quadrantes A D, A E. Quoniam igitur duo maximi circuli B F, D F, ſe interſecant in F, & à punctis B, C, arcus B F, ad arcum D F, demiſsi ſunt perpendiculares arcus B D, C E; erit, vt ſinus arcus B F, ad ſinum arcus B D, ita ſinus arcus C F, ad ſinum arcus C E: Et permutando, vt ſinus arcus B F, ad ſinum arcus C F, ita ſinus arcus B D, ad ſinum arcus C E. Eſt autem proportio ſinus arcus B D, ad ſinum arcus C E, data, quòd arcus B D, C E, dati ſint, vtpotè complementa datorum arcuum A B, A C. Igitur proportio ſinus arcus B F, ad ſinum arcus C F, data quoque erit, nempe in ſinubus complementorum arcuum datorum A B, A C: Sed & eorundem arcuum B F, C F, quorum ſinguli ſemicirculo minores ſunt, differentia data eſt, nempe arcus B C. Vterque ergo arcus B F, C F, notus reddetur. Itaque quoniam in triangulo B F D, habente angulum D, rectum, datus eſt arcus B F, recto angulo oppoſitus cum arcu B D, complemento videlicet arcus A B, dati; cognitus erit & tertius arcus D F. Eadem ratione, cum in triangulo C F E, angulum habente rectum E, datus ſit arcus C F, angulo recto oppoſitus, cum arcu C E, complemento nimirum arcus dati A C; cognoſcetur etiã tertius arcus E F: qui ſubtractus ex inuento arcu D F, notum reddet arcum reliquum D E, anguli A; ac proinde angulus A, cognitus erit. Rurſus in triangulo priore B F D, cuius angulus D, rectus, cum datus ſit arcus B F, recto angulo oppoſitus, cum arcu B D, complemento videlicet arcus dati A B:

comprehẽdẽtes ſunt inæquales.



40. huius.

2. huius.
7. triãg. rectil.
Schol. 53. vel 43. hui⁹.
Schol. 53. vel 43. hui⁹.
Schol. 51. vel 45. hui⁹.

VEL, cum duo arcus B D, D F, circa angulum rectum dati ſint: (Schol. 44. vel 48. hui⁹.)

AVT denique, cum datus ſit arcus B F, recto angulo oppoſitus, & arcus D F; (Schol. 55. vel 41. hui⁹.)

inuenietur quoque, ex ſcholijs in margine citatis, angulus D B F: ideoque & reliquus duorum rectorum A B C, notus erit. Eadem ratione, cum in poſteriore triangulo C F E, angulum E, habente rectum, datus ſit arcus C F, angulo recto oppoſitus, cum arcu C E, complemento nimirum arcus dati A C: (Schol. 51. vel 45. hui⁹.)

VEL, cum duo arcus C E, E F, circa rectum angulum dati ſint: (Schol. 44. vel 48. hui⁹.)

AVT denique, cum datus ſit arcus C F, recto angulo oppoſitus, & inſuper arcus E F; (Schol. 55. vel 41. hui⁹.)

cognoſcetur etiam, ex ſcholijs in margine poſitis, angulus E C F: ideoque & angulus A C B, qui ei ad verticem æqualis eſt, notus erit. Tres ergo anguli trianguli ABC, omnes noti facti ſunt.



6. huius.

SINT deinde duo arcus inæquales A B, A C, maiores quadrante. Producantur, donec coeant in D. Erunt in triangulo D B C, duo arcus D B, D C, quadrante minores, atq; adeo noti, cum reliqui ſint ex arcubus ABD, AC D, qui ſemicirculi ſunt. Igitur, vt proxime demonſtraui- (11.1 Theod.)

ſtrauimus, omnes eius tres anguli noti fient, ac proinde & reliqui duorum re-
33.huius. ctorum A B C, A C B, necnon & angulus A, cum angulo D, ſit æqualis.

SIT tertio arcus quidem A B, quandrante minor, at A C, maior. Produ-
cto arcu A B, vt fiat quadrans A D, & reſecto quadrante A E, ex A C, vt in
prima harum figurarum, ducatur per D, E, arcus circuli maximi D E, ſecans
35.huius. arcum B C, in F. Eruntq; anguli D, E, recti, ob quadrantes A D, A E. Quia
ergo duo maximi circuli B C, D E, ſecant ſe-
ſe in F, & à punctis B, C, arcus B C, ad arcum
40.huius. D E, ducti ſunt arcus perpendiculares B D,
C E; erit, vt ſinus arcus B F, ad ſinum arcus
B D, ita ſinus arcus C F, ad ſinum arcus C E:
Et permutando, vt ſinus arcus B F, ad ſinum
arcus C F, ita ſinus arcus B D, ad ſinum ar-
cus C E. Eſt autem proportio ſinus arcus B D,
ad ſinũ arcus C E, cognita, quod arcus B D,
C E, dati ſint, cũ ſint complemẽta datorũ ar-
cuũ A B, A C. Igitur & proportio ſinus arcus
B F, ad ſinũ arcus C F, cognita erit, vtpote in
ſinubus complementorum arcuum A B, A C,
datorum: Sed & eorundem arcuum B F, C F,



aggregatum datum eſt, (nimirũ totus arcus B C.) & minus ſemicirculo; quod
latus quodlibet trianguli ſphærici ſemicirculo ſit minus. Igitur vterque arcus
6. huius. B F, C F, cognitus erit. Quoniam ergo in triangulo B F D, cuius angulus D,
6. triang. rectil. rectus, datus eſt arcus B F, angulo recto oppoſitus, cum arcu B D, qui com-
Schol. 53. plementum eſt arcus A B, dati; notus erit quoque tertius arcus D F. Simili
vel 43. hui⁹. modo, quia in triangulo C F E, rectum habente angulum E, datus eſt arcus
C F, angulo recto oppoſitus, & arcus C E, complementum ſcilicet arcus A C;
Schol. 53. reperietur quoque tertius arcus E F: qui additus arcui D F, inuento, notum
vel 43. hui⁹. efficiet totum arcum D E, anguli A; proptereaq; angulus A, notus erit. Rur-
ſus in triangulo priori B F D, cuius angulus D, rectus, quoniam datus eſt ar-
Schol. 51. cus B F, recto angulo oppoſitus, & arcus B D, complementum nimirum da-
vel 45. hui⁹. ti arcus A B:

Schol. 44. AVT quia duo arcus B D, D F, circa rectum angu-
vel 48. hui⁹. lum dati ſunt:

Schol. 55. VEL certe, quia datus eſt arcus B F, recto angulo
vel 41. hui⁹. oppoſitus, cum arcu D F;

notus efficietur quoque angulus D B F, ex ſcholijs in margine adductis; atque
adeo & reliquus duorum rectorum A B C, notus erit. Pari ratione, cum in po
Schol. 51. ſteriori triangulo C F E, cuius angulus E, rectus, datus ſit arcus C F, recto an-
vel 45. hui⁹. gulo oppoſitus, cum arcu C E, complemento videlicet arcus A C, dati;

Schol. 44. VEL cum duo arcus C E, E F, circa angulum re-
vel 48. hui⁹. ctum dati ſint:

Schol. 55. VEL certe, cum datus ſit arcus C F, recto angulo
vel 41. hui⁹. oppoſitus, cum arcu E F;

dabitur etiam angulus C, per ſcholia in margine deſcripta. Atque ita omnes
tres anguli A B C, noti facti ſunt.

SIT quarto arcus A B, quadrans, & A C, minor, vt in poſteriore proxi-
marum figurarum. Producto arcu A C, vt fiat quadrans A D, ducatur per B,
D, arcus

D, arcus circuli maximi B D. Eruntq; anguli A B D, & D, recti, ob quadrantes A B, A D. Et quoniam in triangulo B C D, cuius angulus D, rectus, datus est arcus B C, angulo recto oppositus, & insuper arcus C D, quippe qui complementum sit dati arcus A C; dabitur quoque arcus tertius B D, anguli A, ideoque angulus A, notus erit. Deinde quia in eodem triangulo B C D, habente angulum rectum D, datus est arcus B C, recto angulo oppositus, cum arcu C D, complemento scilicet arcus dati A C: 25. huius Schol. 53. vel 43. hui⁹. Schol. 51. vel 45. hui⁹.

VEL, quia duo arcus B D, C D, circa angulum rectum dati sunt: Schol. 44. vel 48. hui⁹.

VEL certe, quoniam datus est arcus B C, recto angulo oppositus, cum arcu B D; Schol. 55. vel 41. hui⁹.

inuenietur etiam ex scholijs notatis in margine, angulus B C D: ac proinde & duorum rectorum reliquus A C B, notus erit. Postremo, cum in eodem proximo triangulo B C D, angulum rectum habente D, datus sit arcus B C, angulo recto oppositus, & præterea arcus C D, complementum videlicet dati arcus A C: Schol. 55. vel 41. hui⁹.

AVT cum dati sint duo arcus B D, C D, circa angulum rectum: Schol. 44. vel 48. hui⁹.

VEL cum datus sit arcus B C, recto angulo oppositus, cum arcu B D; Schol. 51. vel 45. hui⁹.

AVT cum datus sit angulus B C D, cum arcu C D, vel B D; Nam quando datur arcus B D, constat de altero arcu C D, circa rectum angulum, cum datus sit, an sit maior quadrante, vel minor: Schol. 42. huius.

VEL denique, quia datus est arcus B C, recto angulo oppositus, cum angulo B C D; Schol. 47. huius.

notus fiet quoque ex scholijs in margine citatis, angulus C B D; atque adeo & eius complementum, angulus scilicet A B C, cognoscetur. Omnes ergo tres anguli trianguli A B C, cogniti sunt.

SIT quinto, & vltimo arcus A C, quadrans, & A B, maior, vt in eadem posteriore proximarum figurarum. Abscisso quadrante A E, ex A B, ducatur per C, E, arcus circuli maximi C E. Eruntq; anguli A C E, & E, recti, ob quadrantes A C, A E. Quia ergo in triangulo B C E, angulum rectum habente E, datus est arcus B C, recto angulo oppositus, & præterea arcus B E, nempe complementum dati arcus A B; dabitur quoque tertius arcus C E, anguli A; proindeq; & angulus A, cognitus fiet. Rursus, cum in eodem triangulo B C E, cuius angulus E, rectus, datus sit arcus B C, recto angulo oppositus, cum arcu B E, complemento nimirum dati arcus A B: 25. huius. Schol. 53. vel 43. hui⁹. Schol. 51. vel 45. hui⁹.

AVT cum dati sint duo arcus B E, C E, circa angulum rectum. Schol. 44. vel 48. hui⁹.

VEL denique, cum datus sit arcus B C, angulo recto oppositus, cum arcu C E; Schol. 55. vel 41. hui⁹.

dabitur etiam angulus C B E, ex scholijs in margine adductis. Denique quia in triangulo eodem B C E, angulum rectum habente E, datus est arcus B C, angulo recto oppositus, & arcus etiam B E, cum sit complementum arcus A B, dati: Schol. 55. vel 41. hui⁹.

VEL, quia duo arcus B E, C E, circa angulum rectum dati sunt: Schol. 44. vel 48. hui⁹.

AVT

Schol. 51. vel 45. huius. AVT, quoniam notus est arcus B C, recto angulo oppositus, & arcus C E:

Schol. 42. huius. VEL, quia datus est angulus C B E, & arcus B E, vel C E; Nam quando datur arcus C E, constat etiam, an alter arcus B E, circa angulum rectum datus, maior sit quadrante, vel minor:

Schol. 47. huius. AVT denique, quia notus est arcus B C, angulo recto oppositus, cum angulo C B E;

notus quoq; fiet, ex scholijs in margine citatis angulus B C E; atque idcirco, addito recto angulo A C E, totus angulus A C B, datus erit. Rursus ergo omnes tres anguli trianguli A B C, inuenti sunt.

Praxis, quando duo arcus quaesitum angulum continentes sunt inaequales. *PRAXIS huius problematis petenda est ex scholijs in margine citatis. Solum, vt cognoscantur arcus B F, C F, in primo casu, & tertio, statuendi erunt sinus complementorum arcuum datorum A B, A C, pro terminis proportionis sinus arcus B F, ad sinum arcus C F, & in primo quidem casu adhibenda vel prima praxis propos. 7. triangulorum rectilineorum, vel aliqua ex alijs eiusdem propos. prout res exiget; in tertio vero casu adducenda erit prima, vel secunda praxis propos. 6. triangulorum rectilineorum, &c.*

Praxis per solos sinus, quando arcus duo angulum quaesitum ambientes sunt inaequales. *QVOD si solis vti libeat sinubus, inuestigandi erunt arcus B F, C F, in primo casu, per secundam praxim propos. 7. triang. rectil. In tertio vero per praxim tertiam propos. 6. Deinde in triangulo B F D, per praxim scholij 1. propos. 43. eruendus arcus D F: Et eodem modo in triangulo C F E, arcus E F; vt reliquus arcus D E, in primo casu, vel totus arcus D E, in tertio casu habeatur, qui quidem est arcus anguli A. Post haec per praxim problematis 1. scholij propos. 41. inueniendus in triangulo B F D, angulus D B F: ex quo reliquus duorum rectorum A B C, notus fiet. Atque eodem pacto in triangulo C F E, eliciendus angulus E C F, ex quo in primo casu angulus quoque A C B, ad verticem cognitus erit.*

AT vero in quarto casu ex praxi scholij 1. propos. 43. inueniendus est arcus B D, anguli A, in triangulo B C D: Et eodem modo in quinto casu arcus C E, anguli eiusdem A, in triangulo B C E. Deinde in quarto casu, per praxim problematis 1. scholij propos. 41. in triangulo B C D, indagandus angulus B C D; ex quo reliquus duorum rectorum A C B, notus fiet: Atque eadem ratione in quinto casu, angulus E B C, in triangulo B C E, inueniendus. Ad extremum in quarto casu, per praxim problematis 2. propos. 42. in triangulo B C D, exquirendus angulus C B D; ex quo & A B C, reliquus recti A B D, notus erit: Et similiter in quinto casu, eliciendus angulus B C E; qui additus recto angulo A C E, totum angulum A C B, notum exhibebit.

Alia demonstratio breuior. ALITER, & multo breuius. Sint rursum dati tres arcus trianguli ABC, arcusq;

arcusq; A B, A C, angulum A, inquirendum continentes, inæquales. Quoniam igitur est, vt sinus totus ad quantitatem quartam proportionalem sinui toti, & duobus sinubus arcuum A B, A C, inæqualium, ita sinus versus anguli A, ad differentiam inter sinum versum arcus B C, angulo A, oppositi, & sinum versum arcus, quo se mutuo excedunt arcus inæquales A B, A C: Et conuertendo, vt dicta quantitas quarta proportionalis ad sinum totum, ita differentia inter sinũ versum arcus B C, & sinum versum arcus, quo inter se arcus inæquales A B, A C, differunt, ad sinum versum anguli A, quæsiti: uior, & per solos sinus. Schol. 2. 58. huius.



SI fiat, vt sinus totus ad sinum vtriuslibet arcuum inæqualium quæsitum angulum comprehendentium, ita sinus alterius arcus circa eundem angulum ad aliud, inuenietur numerus quartus proportionalis sinui toti, & duobus sinubus dictorum duorum arcuum. Si ergo rursum fiat, vt numerus quartus proportionalis proxime inuentus ad sinum totum, ita differentia inter sinum versum arcus quæsito angulo oppositi, & sinum versum arcus, quo duo arcus quæsitum angulum ambientes inter se differunt, ad aliud, producetur sinus versus anguli, qui quæritur: Ex quo arcum anguli quæsiti, atque adeo ipsum angulum, elicies, vt in explicatione, atque vsu tabulæ Sinuum docuimus. Praxis, breuior, & per solos sinus, quãdo duo arcus dati quæsitũ angulum cõprehendentes sunt inæquales.

CAETERVM differentia inter sinum versum arcus quæsito angulo oppositi, & sinum versum differentiæ arcuum eundem angulum continentium, ita facile reperietur. Quando arcus angulo quæsito oppositus quadrante minor est, detrahendus erit sinus eius complementi ex sinu complementi differẽtiæ arcuum quæsitum angulum ambientium. Reliqua enim erit differentia, quæ inquiritur. Id quod liquido constat ex figuris casuum 1. 4. 7. 10. & 13. propos. 58. Quando vero arcus quæsito angulo oppositus quadrans est; dabit sinus complementi differentiæ arcuum angulum quæsitum comprehendentium differentiam inter dictos sinus versos quæsitam: vt manifestum ex figuris casuum 2. 5. 8. 11. & 14. eiusdem propos. 58. Quando denique arcus quæsito angulo oppositus quadrante maior est; adijciendus erit sinus eius complementi ad sinum complementi differentiæ arcuum quæsitum angulum continentium. Compositus namque numerus erit differentia quæsita: Vt facile apparere potest ex figuris casuum 3. 6. 9. 12. & 15. eiusdem propos. 58. Inuẽtio differentię inter sinum versum arcus angulo quæsito oppositi, & sinũ versum differentiæ arcuũ eundem angulum ambiẽtium.

EODEM modo inuestigabimus angulos B, C, si arcus illos continentes fuerint inæquales.

PORRO, inuento vno angulo, nullo fere negotio reliqui duo inuenirentur, si constaret, qualis quisque eorum sit, acutusne, an obtusus. Nam inuento v. g. angulo A, si esset inueniendus angulus B, sumeremus pro eius sinu numerum, qui quartus proportionalis est sinui arcus B C, inuento angulo A, oppositi; sinui anguli inuenti A; & sinui arcus A C, quæsito angulo B, oppositi: Si autem quærendus esset angulus C, acciperemus pro eius sinu numerum, qui quartus proportionalis est sinui arcus B C, inuento angulo A, oppositi; sinui anguli inuenti A; & sinui arcus A B, angulo quæsito C, oppositi: propterea

41. huius. quòd est, vt sinus arcus B C, ad sinum anguli A, ita tam sinus arcus A C, ad sinum anguli B, quam sinus arcus A B, ad sinum anguli C. Quocirca si constaret, qualis sit tam angulus B, quam angulus C, illico ex sinu illo quarto proportionali angulum quæsitum in tabula sinuum reperiremus.

Quādo oēs tres arcus, vel duo tātū angulū primo loco inuestigandum continentes sunt æquales.

IAM vero si omnes tres arcus dati, vel duo tantum A B, A C, angulum A, complectentes, æquales sint, quicquid sit de reliquo arcu B C, longe facilius angulum A, & reliquos duos B, C, inquiremus. Quoniam duo arcus A B, A C, æquales sunt, erunt & duo anguli B, C, æquales inter se: propterea quod

8. huius. Isoscelium triangulorum sphæricorum, qui ad basin sunt, anguli inter se sunt æquales. Cum ergo triangulum A B C, ponatur non rectangulum, neuter an-

65. huius. gulorum B, C, rectus erit, ac proinde neuter arcuum A B, A C, quadrans: quia alias duo anguli B, C, essent recti. Erit igitur vterque angulus B, C, vel acutus, vel obtusus. Demissus ergo ex A, ad arcum B C, ar-

57. huius. cus perpendicularis A D, intra triangulum cadet. Duo ergo triangula A B D, A C D, angulos ad D, rectos habent, & angulos B, C, non rectos æquales, necnon & arcus A B, A C, rectis oppositos angulis æquales. Quare &

21. huius. arcus B D, C D, & anguli ad A, inter se æquales erunt.



Itaque quoniam in triangulo A B D, cuius angulus D, rectus est, arcus A B, recto angulo oppositus datus est, & præterea arcus BD, quippe qui dimidium sit dati arcus

Schol. 55. vel 41. hui⁹. B C; dabitur quoque angulus B A D, arcui B D, circa angulum rectum dato oppositus: qui duplicatus totum angulum quæsitum B A C, notum efficiet; cum anguli ad A, ostensi sint æquales. Rursus, quia in eodem triangulo A B D, angulum rectum habente D, ar-

Schol. 51. vel 45. hui⁹. cus A B, angulo recto oppositus datus est, cum arcu B D, nempe cum dimidio dati arcus B C:

Schol. 42. vel 56. hui⁹. VEL, quia datus est angulus non rectus BAD, cum arcu opposito BD, circa angulum rectum; constatq́; præterea species reliqui anguli nō recti B. Nam si A B,

38. huius. quadrāte minor sit, erit angulus B, acutus, quemadmodum, & BAD, acutus est: Si vero A B, sit maior quadrante, erit idem angulus B, obtusus, cum B A D acutus sit:

Schol. 47. huius. VEL certe, quoniam datus est arcus A B, recto angulo oppositus, cum angulo non recto B A D;

datus quoque erit angulus B; ac proinde & reliquus angulus C, ipsi B, æqualis notus erit. Atq; ita omnes tres anguli in triangulo A B C, inuenti sunt.

Praxis, quādo duo arcus quæsitum angulum ambiētes sunt æquales.

QVANDO ergo duo arcus sunt æquales, adhibenda erit praxis scholij propos. 55. vel problematis 1. propos. 41. vt ex altero arcuum æqualium, & ex dimidio tertij arcus eliciatur angulus, qui duplicatus angulum tertio arcui oppositum exhibeat. Deinde adhibenda praxis scholij propos. 51. vel 45. vt ex eisdem arcubus inueniatur alter angulorum æqualium supra tertium arcum. Vel aduocanda praxis problematis 2. scholij pro-

lij pro-

lij propos. 42. vel propos. 56. aut certe praxis scholij propos. 47.

PER solos sinus ita rem peragemus. Ex praxi problematis 1. propos. 41. inueniemus angulum B A D; qui duplicatus totum B A C, dabit. Deinde per praxim problematis 2. scholij propos. 42. reperiemus angulum B, qui ipsi C, æqualis est. Praxis per solos sinus, quãdo duo arcus datũ quæsitũ angulũ continentes sunt æquales.

SCHOLIVM.

IOANNES Regiom. & Nicolaus Copernicus alio etiammodo, datis omnibus arcubus trianguli sphærici, omnes tres angulos inquirunt, inuestigantes nimirum angulum quendam rectilineum in centro sphæræ, cuius arcus angulum sphæricum quæsitum exhibet notum. Sed eam rationem, quamuis acutam, & subtilem, quoniam obscurior est, & longior, dedita opera hic omisimus: præsertim, cum eam quilibet apud Regiom. propos. 34. lib. 4. triangulorum, & apud Copernicum lib. 1. Reuolutionum propos. 13. de triangulis sphæricis, legere posit.

MALVIMVS in secunda demonstratione huius problematis vsurpare theorema scholij 2. propos. 58. quam cum Ioan. Regiom. theorema eiusdem propos. 58. vt laboris difficultatem effugeremus. Nam cum sit, vt rectangulum sub sinubus arcuum inæqualium angulum quæsitum ambientium ad quadratum sinus totius, ita differentia inter sinum versum arcus eidem angulo oppositi, & sinum versum differentiæ arcuum illorum inæqualium, ad sinum versum anguli quæsiti: si vellemus hoc theoremate propos. 58. vti, obtineret rectangulum illud primum aureæ regulæ locum. Quare laboriosa redderetur diuisio, vt patet. Facilior autem fit diuisio secundum theorema scholij 2. eiusdem propos. 58. cum primum locum aureæ regulæ quantitas quarta proportionalis occupet, quæ multo minor est illo rectangulo, facileq; inuenitur per abiectionem solam tot figurarum ad dexteram ex eo rectangulo, quot cifræ in sinu toto continentur; propterea quod dictum rectangulum per sinum totum sit diuidendum, vt illa quantitas quarta proportionalis producatur. 58. huius. & permutando.

PROBL. 5. PROPOS. 64.

DATIS duobus arcubus trianguli sphærici non rectanguli, cum angulo ab ipsis comprehenso; reliquum arcum, cum reliquis angulis reperire.

IN sphærico triangulo A B C, non rectãgulo dati sint duo arcus AB, B C, cum angulo B. Oportet ex his & reliquum arcum A C, & reliquos angulos B A C, & A C B, exquirere. Sint primum dati arcus inæquales, & ex termino vnius eorum, nempe ex termino A, arcus A B, ad alterum arcum B C, demittatur arcus perpendicularis A D: qui an intra triangulum, an vero extra cadat, calculus, & operatio docebit. Quoniam enim in triangulo A B D, cuius angulus D, rectus, datus est arcus A B, recto angulo oppositus, cum angulo B; dabitur quoque arcus perpendicularis A D, dato angulo B, opposi-tus. Rursus, quia in eodem triangulo datus est arcus A B, recto angulo oppositus, cum angulo B: Quãdo duo arcus dati inæquales sunt, & neuter quadrãs. Schol. 41. huius. Schol. 45. huius.

Schol. 49. vel 44. hui⁹. VEL, quia cognitus est arcus A D,& præterea angulus B, datus: constatq́; species alterius arcus B D, circa angulum rectum. Nam quando arcus A B,est minor quadrante, si quidem & inuentus A D, sit minor, 36. huius. erit & B D,minor; Si vero AD,sit quadrante maior,erit & B D,maior: At si A B,est maior quadrante,si quidem & inuentus A D, sit maior, erit B D, minor; si autem A D, sit minor, erit B D, maior:

Schol. 52. vel 43. hui⁹. VEL denique, quia datus est arcus A B, recto angulo oppositus, & arcus A D, circa rectum angulum;



inuenietur quoq;,ex scholijs in margine adductis,arcus B D. Si igitur arcus hic B D,inuentus fuerit minor dato arcu B C, argumento est, arcum perpendicularem A D, intra triangulum cecidisse; extra vero, si maior. Et quoniam ad vtramque partem arcus A B,duci potest arcus perpendicularis ad B C, nos, quãdo is extra triangulum cadit, eum in hac, & sequentibus propositionibus eligimus, qui angulum A B C, subtendit. Iam ablato arcu inuento B D, si minor est, quam datus arcus B C, ex arcu B C; vel si maior est, sublato arcu dato B C, ex inuento arcu B D, notus fiet reliquus arcus C D. Quare cum in triangulo A D C,angulum habente rectum Schol. 1. 43. huius. D,arcus duo A D,C D,circa rectum angulum cogniti sint;dabitur quoque arcus A C, recto angulo oppositus, qui in triangulo A B C, quærebatur.

Schol. 47. huius. POST hæc, quoniam in triangulo A B D, rectum habente angulum D, datus est arcus A B,recto angulo oppositus, cum angulo B:

Schol. 56. vel 42. hui⁹. VEL, quia notus est arcus A D,circa angulum rectum, cum angulo B, non recto; constatq́; præterea de reliquo arcu B D, circa rectum angulum inuento, an maior sit quadrante, minorue.

Schol. 51. vel 45. hui⁹. AVT quia datus est arcus A B,recto angulo oppositus, & insuper arcus A D, circa rectum angulum:

Schol. 55. vel 41. hui⁹. VEL deniq;,quia datus est arcus AB,oppositus angulo recto,& præterea arcus B D,circa rectum angulũ; cognitus quoque erit,per scholia in margine notata,angulus B A D. Sic quo- Schol. 51. vel 45. hui⁹. que, quia in triangulo A C D, rectum habente angulum D, datus est arcus A C, recto angulo oppositus, cum arcu A D, circa rectum angulum:

Schol. 55. vel 41. hui⁹. VEL certe,quia datur arcus A C,recto angulo oppositus,& præterea arcus C D, circa angulum rectum; notus efficietur etiam,per scholia in margine apposita,angulus C A D. Additus autem angulus C A D, proxime inuentus angulo B A D, nuper etiam inuento, quando arcus A D, intra triangulum cadit; vel quando cadit extra, ablatus angulus C A D, ex angulo B A D, notum efficiet angulum B AC,qui in triangulo A B C, quærebatur.

Schol. 47. huius. AD extremum,cum in triangulo A C D, rectum habente angulum D, datus sit tus sit arcus A C, angulo recto oppositus,& angulus C A D, iam inuentus:

VEL cum sit cognitus arcus C D, circa angulum rectum, ac præterea angulus C A D; constetq; de reliquo arcu A D, circa rectum angulum noto iam facto, an minor quadrante sit, an maior: Schol. 56. vel 42. hui⁹.

AVT, cum datus sit arcus AC, angulo recto oppositus, cum arcu C D, circa angulum rectum: Schol. 51. vel 45. hui⁹.

VEL denique, quoniam notus est arcus A C, recto angulo oppositus, vnà cum arcu A D, circa angulum rectum; Schol. 55. vel 41. hui⁹.

cognitus quoque fiet, per scholia in margine adducta, angulus A C D; qui quidem in priori triangulo, vbi arcus A D, intra triangulum cadit, quærebatur: in posteriori autem, vbi arcus A D, extra triangulum cadit, idem angulus A C D, ex duobus rectis ablatus, notum relinquit quæsitum angulum A C B. Atque ita inuentus est & arcus reliquus A C, & reliqui anguli B A C, A C B.

NVLLA porro ratione alteruter arcuum A D, B D, esse potest quadrans: quia alias & arcus A B, recto angulo oppositus quadrans foret: quod est contra hypothesim. 35. huius.

QVOD si quando arcus C D, deprehensus fuerit quadrans; erit & arcus A C, quæsitus, & recto angulo oppositus, quadrans; & angulus C A D, rectus. Atque ita sine vllo labore inuentus erit & arcus A C, qui quæritur, & angulus C A D. Reliqua reperientur, vt prius. 35. huius. 34. huius.

PRAXIS ad enodandum hoc problema petenda est ex scholijs in margine citatis.

VERVM per solos sinus ita progrediendum erit. Ex praxi problematis 2. scholij propos. 41. inquirendus erit arcus A D. Praxis per solos sinus, quãdo duo dati arcus sunt inæquales, & neuter quadrans.

DEINDE ex praxi scholij 1. propos. 43. arcus B D; ex quo arcus C D, notus efficietur, auferendo inuentum arcum B D, ex dato arcu B C, vel datum arcum B C, ex ipso inuento arcu B D, prout minor inuentus fuerit, quam datus arcus B C, aut maior.

AD hæc, in triãgulo B A D, explorãdus erit angulus B A D, per praxim problematis 1. propos. 41. vel per praxim problematis 2. scholij propos. 41. Similiter in triangulo A C D, eliciendus angulus C A D, ex praxi problematis 1. scholij propos. 41. Ex duobus autem angulis B A D, C A D, inuentis notus euadet angulus B A C, trianguli propositi; addendo scilicet vnum alteri, vt in priori triangulo, vel auferendo angulum C A D, ex angulo B A D, vt in triangulo posteriori.

PER praxim denique problematis 1. scholij propos. 41. vel problematis 2. scholij propos. 42. in triangulo A C D, eodem indagandus angulus A C D. Hic enim in priori triangulo proposito est quæsitus, in posteriori vero reliquus duorum rectorum est is, qui quæritur.

ALITER, & quidem magis expeditè. Sint rursus in triangulo ABC, dati duo arcus inæquales A B, A C, cum angulo A. Quoniam igitur est, vt sinus totus Alia demõstratio breuior.

Schol. 58. huius.

totus ad quantitatem quartam proportionalem sinui toti, & duobus sinubus



arcuum inæqualium A B, A C, ita sinus versus anguli A, ad differẽtiam inter sinum versum arcus B C, angulo A, oppositi, & sinum versum differentiæ arcuum A B, A C:

Praxis breuior, per solos sinus, quãdo dati duo arcus sũt inæquales, & neuter quadrans.

SI fiat, vt sinus totus ad sinum vtriuslibet arcuum inæqualium datorum, ita sinus alterius arcus dati ad aliud, producetur numerus quartus proportionalis sinui toti, & duobus sinubus dictorum duorum arcuum. Si ergo rursus fiat, vt sinus totus ad numerum quartum proportionalem proxime inuentum, ita sinus versus anguli A, dati ad aliud, reperietur differentia inter sinum versum tertij arcus, qui quæritur, & sinum versum differentiæ arcuum datorum inæqualium. Et quia (Schol. 1. 58. huius.) *supra monstrauimus, sinum versum tertij arcus maiorem semper esse sinu verso differentiæ duorum arcuum inæqualium; si differentia nuper inuenta adijciatur ad sinum versum differentiæ datorum arcuum inæqualium, componetur sinus versus tertij arcus dato angulo oppositi, qui quæritur, ex quo arcum ipsum eliciemus, vt in explicatione, atque vsu tabulæ sinuum dictum est. Angulum porro C, inueniemus ex cognitis arcubus A C, C B; & angulum B, ex notis arcubus A B, B C, vt in praxi secundæ demonstrationis præcedentis propos. præcepimus, si duo arcus angulum quemlibet quæsitum continentes fuerint inæquales. Nam si aliquando æquales sint, adhibenda erit praxis postremæ demonstrationis eiusdem propositionis antecedentis. Quòd si sciremus, an anguli B, C, sint acuti, vel obtusi, facili negotio, inuento arcu B C, ipsos inueniremus, vt ad finem secundæ demonstrationis antecedentis propos. monuimus.*

Quando alter arcuũ datorũ inæqualiũ est quadrans.

QVOD si alter inæqualium arcuum datorũ sit quadrans, nempe A B, ducemus ab eius extremo A, ad alterum arcum B C, arcum perpendicularem A D. Eritq́; alter saltem arcuum A D, B D, quadrans quoque. (36. huius.) *Non potest autem A D, esse quadrans; quia alias, cum & A B, quadrans ponatur, essent anguli B, D, recti, atq; adeo triangulum A B C, esset rectangulum.* (25. huius.) *quod non ponitur. Erit ergo B D, quadrans, ideoq́; angulus oppositus B A D, rectus.* (34. huius. 26. huius.) *Polus quoq; arcus A D, erit B, ob quadrantes A B, B D: proptereaq́; arcus A D, ex angulo ipso B, dato cognitus erit. Atq; ita duo arcus A D, B D, cum angulo B A D, facti erunt noti sine vllo negotio multiplicationis. Reliqua inuenientur, vt prius.*

Quãdo duo arcus dati sunt æquales.

SED sint iam dati arcus A B, A C, datum angulum A, comprehendentes, æquales. Erunt igitur duo anguli B, C, æquales, nempe vel acuti, vel obtusi, & neuter arcuũ A B, A C, quadrans; arcusq; perpendicularis A D, ex A, in B C, demissus intra triangulum cadet, necnon & arcus B D, C D, & anguli ad A, æquales

æquales erunt, vt in vltima figura præcedentis propoſ. oſtendimus: ac proinde vterque angulus ad A, datus erit, cum dimidium ſit anguli B A C, dati. Quoniam ergo in triangulo A B D, angulum habente rectum D, datus eſt arcus A B, recto angulo oppoſitus, cum angulo B A D, nimirum cum dimidio dati anguli B A C; cognitus erit arcus B D, dato angulo B A D, oppoſitus: qui duplicatus totum arcum B C, quæſitum reddet notum. Rurſus quia in eodem triangulo ABD, rectum habente angulum D, datus eſt arcus A B, angulo recto opppoſitus, cum arcu B D, circa angulum rectum:

Schol. 41. huius.

Schol. 51. vel 45. hui⁹.

VEL, quia datus eſt arcus A B, recto angulo oppoſitus, & præterea angulus non rectus B A D: Schol. 47. huius.

VEL denique, quia datus eſt arcus B D, circa rectum angulum, vnà cum angulo non recto B A D, qui dato arcui B D, opponitur, conſtatq́; preterea ſpecies reliqui anguli non recti B. Nam ſi A B, fuerit quadrante minor, erit angulus B, acutus, ſicut & B A D, acutus eſt: Si vero A B, maior quadrante extiterit, erit angulus B, obtuſus, quandoquidem B A D, acutus eſt; Schol. 56. vel 42. hui⁹.

notus erit quoque, ex ſcholijs in margine adductis, angulus B; ideoq́; & angulus C, illi æqualis. 38. huius.

PRAXIS petatur ex ſcholijs in margine adductis. Praxis.

SOLIS ſinubus ita vtemur. Per praxim problematis 2. ſcholij propoſ. 41. exquiremus arum B D; qui duplicatus totum B C, qui quæritur, dabit. Deinde ex praxi problematis 2. ſcholij propoſ. 42. quæremus angulum B; cui æqualis eſt alter angulus C. Praxis per ſolos ſinus, quãdo dati duo arcus ſunt æquales.

DATIS igitur duobus arcubus trianguli ſphærici non rectanguli, cum angulo ab ipſis comprehenſo; reliquum arcum, cum reliquis angulis reperimus. Quod faciendum erat.

SCHOLIVM.

HIC *quoque potius vti voluimus theoremate ſcholij 2. propoſ. 58. in demonſtratione ſecunda huius problematis, quam theoremate eiuſdem propoſ. 58. vt praxis minus fieret laborioſa. Nam cum ſit, vt quadratum ſinus totius ad rectangulum ſub ſinubus datorum arcuum inæqualium contentum, ita ſinus verſus anguli dati à dictis arcubus comprehenſi ad differentiam inter ſinum verſum arcus dato angulo oppoſiti, & ſinum verſum differentiæ duorum arcuum datorum inæqualium: ſi vellemus vti hoc theoremate propoſ. 58. moleſta redderetur multiplicatio in aurea regula, cum ſinus verſus dati anguli multiplicandus eſſet per dictum rectangulum. At in noſtra praxi multo brevior ſit multiplicatio, vt patet, quamuis bis regulam auream adhibeamus.* 58. huius.

PROBL. 6. PROP. 65.

DATIS duobus angulis triãguli ſphærici non rectan-

rectanguli, vnà cum arcu ipsis adiacente; reliquos arcus, cum reliquo angulo scrutari.

Quãdo duo anguli dati sũt inæquales,& arcus adiacẽs datus maior, aut minor quadrante.

IN triangulo sphærico A B C, non rectangulo dati sint duo anguli B, & B A C, cum arcu adiacente A B. Oportet ex his reliquos arcus A C, B C, cum reliquo angulo C, scrutari. Sit primum datus arcus A B, non quadrans, sed vel maior, vel minor quadrante, & dati anguli B, B A C, inæquales, à quorum vno, nempe à B A C, ad arcum oppositum B C, arcus perpendicularis demittatur A D: qui an intra triangulum, an vero extra cadat, calculus, atque operatio indicabit. Nam cum in triangulo A B D, rectũ habente angulum D, datus sit arcus A B, angulo recto oppositus, & angulus B; dabitur etiam angulus B A D: qui si minor repertus fuerit dato angulo B A C, cadet arcus A D, intra triangulum; extra vero, si maior. Iam ablato angulo B A D, inuento, si minor est dato angulo B A C, ex angulo B A C; vel si maior est, subducto angulo dato B A C, ex inuento angulo B A D, notus euadet reliquus angulus C A D.



Schol. 47. huius.

NVNQVAM vero inuentus angulus B A D, esse potest rectus: quia duo arcus A B, B D, essent quadrantes, ob angulos rectos B A D, A D B; cum tamen A B, ponatur esse nõ quadrans: sed C A D, poterit aliquando esse rectus.

25. huius.

Schol. 41. huius. RVRSVS, quia in eodem triangulo A B D, rectum habente angulum D, datus est arcus A B, angulo recto oppositus, & angulus non rectus B:

Schol. 52. vel 42. hui⁹. VEL, quia notus est vterque angulus non rectus B, & B A D:

Schol. 45. huius. AVT denique, quoniam datus est arcus A B, recto angulo oppositus, vna cum angulo non recto B A D;

Schol. 41. huius. cognoscetur quoque, per scholia adducta in margine, arcus A D. Eodemque pacto, quia in eodem triangulo B A D, cuius angulus D, rectus, datus est arcus A B, recto angulo oppositus, vna cum angulo B A D:

Schol. 52. vel 42. hui⁹. VEL, quia cognitus est vterque angulus non rectus B, & B A D:

Schol. 45. huius. VEL, quoniam notus est arcus A B, angulo recto oppositus, vna cum angulo non recto B:

Schol. 53. ve 43. hui⁹. AVT, quia datus est arcus A B, angulo recto oppositus, & præterea arcus A D, circa rectum angulum:

Schol. 49. vel 44. hui⁹. VEL, quoniam notus est arcus A D, circa angulum rectum, vna cum angulo non recto B, ei opposito; constatq; præterea, an alter arcus B D, circa rectum angulum sit maior, minorue quadrante. Nam si inuentus angulus B A D, est acutus, erit arcus B D, quadrante minor; maior autem, si obtusus:

Schol. 44. huius. VEL denique, quoniam notus est arcus A D, circa rectum angulũ, & præterea angulus non rectus B A D, ei adiacens;

cogno-

cognoſcetur quoque, ex ſcholijs in margine citatis, arcus B D. Præterea, quia in triangulo A C D, habente rectum angulum D, cognitus eſt arcus AD, circa angulum rectum, vnà cum angulo non recto C A D, ei adiacente; inuenietur quoque arcus A C, recto angulo oppoſitus. Atque ita iam vnus reliquorum arcuum repertus eſt A C. Schol. 46. vel 45. hui⁹.

POST hæc, quoniam in eodem triangulo A C D, cuius angulus D, rectus, datus eſt arcus AC, recto angulo oppoſitus, vna cum angulo non recto C AD: Schol. 41. huius.

VEL, quia datus eſt arcus A C, recto angulo oppoſitus, & præterea arcus A D, circa eundem angulum rectum: Schol. 43. vel 53. hui⁹.

VEL denique, quia datus eſt arcus A D, circa angulum rectum, vnà cum angulo non recto C A D, ei adiacente: Schol. 44. huius.

notus quoque fiet, ex ſcholijs in margine deſcriptis, arcus C D: qui adiectus arcui inuento B D, quando perpendicularis arcus A D, intra triangulum cadit; vel, quando extra cadit, ſublatus ex arcu inuento B D, notum exhibebit arcum B C, qui eſt alter reliquorum arcuum, qui quæruntur.

A D extremum in eodem triangulo ACD, quoniam datus eſt arcus AC, recto angulo oppoſitus, cum arcu A D, circa rectum angulum: Schol. 41. vel 55. hui⁹.

VEL, quia datus eſt arcus A D, circa angulum rectum, & angulus non rectus C A D, ei adiacens: Schol. 42. huius.

VEL, quia datus eſt arcus A D, circa angulum rectum, & angulus non rectus A C D, ei oppoſitus; conſtatq; præterea, an reliquus arcus CD, circa rectum angulum inuentus ſit maior quadrante, aut minor: Schol. 56. vel 42. hui⁹.

AVT, quia datus eſt vterque arcus A D, C D, circa angulum rectum: Schol. 48. vel 44. hui⁹.

AVT, quia datus eſt arcus A C, angulo recto oppoſitus, & inſuper arcus C D, circa rectum angulum: Schol. 45. vel 51. hui⁹.

AVT denique, quoniam datus eſt arcus A C, recto angulo oppoſitus, cum angulo non recto C A D; Schol. 47. huius.

notus quoque fiet, ex ſcholijs in margine nominatis, angulus A C D, qui in priori triangulo eſt is, qui quæritur; in poſteriori vero ſubductus ex duobus rectis reliquum facit quæſitum angulum A C B. Atque ita iam omnia, quæ propoſita ſunt, inuenimus.

DE praxi nihil noui præcipimus, ſed recurrendum erit ad praxes ſcholiorum, quæ in margine citata ſunt.

PER ſolos autem ſinus ita propoſitum exequemur. Per praxim problematis 2. ſcholij propoſ. 41. in triangulo A B D, rectangulo inueſtigabimus arcum A D: Et per praxim problematis ſcholij 1. propoſ. 43. arcum B D. Deinde per praxim problematis 1. ſcholij propoſ. 41. angulum B A D: quem, ſi minor eſt dato angulo B A C, auferemus ex angulo B A C, dato; vel, ſi maior eſt, ab eo datum angulum B A C, detrahemus, vt notus fiat angulus C A D. Praxis per ſolos ſinus, quãdo dati duo anguli inæquales ſunt, & arc⁹ datus illis adiacẽs nõ eſt quadrãs.

HINC per praxim problematis 2. ſcholij propoſ. 42. eliciemus in *triangul o rectangulo A C D, angulum A C D: qui erit quæsitus A C B, in triangulo A B C, si inuentus angulus B A D, fuerit minor angulo dato B A C: Si autem maior, idem angulus A C D, ex duobus rectis demptus reliquum faciet angulum quæsitum A C B.*

IAM vero per praxim problematis 3. scholij propos. 41. inueniemus in triangulo eodē A C D, arcum A C, recto angulo oppositum. Datur enim arcus A D, circa angulum rectum, & angulus nō rectus A C D, constatq́; præterea, qualis sit alter angulus non rectus C A D, iamdudū inuentus: qui quidem arcus A C, est vnus reliquorū, qui in triangulo A B C, quæruntur.

PER praxim tandem problematis 2. scholij propos. 41. reperietur arcus C D: Vel per praxim problematis 1. scholij propos. 42. vel certe per praxim problematis scholij 1. propos. 43. eundem arcum C D, cognoscemus: qui additus inuento arcui B D, quando angulus B A D, inuentus minor fuerit dato angulo B A C; vel, quando maior fuerit, ab eodem arcu B D, subtractus, notum efficiet arcum B C, qui est alter eorum in triangulo A B C, qui inuestigari debent.

QVOD si quando angulus inuentus C A D, fuerit rectus, cum &
25.huius. *A D C, rectus sit, erunt A C, C D, quadrantes; & A D, arcus anguli C;*
Quādo duo anguli sunt inæquales, & arcus adiacēs datus quadrans. *ac proinde angulus C, ex arcu inuento A D, cognitus erit. Reliquus autem arcus B C, cognoscetur ex quadrante C D, & arcu B D, inuento, vt prius.*

IAM vero si datus arcus A B, sit quadrans, existentibus adhuc angulis B, & B A C, inæqualibus, erit angulus B A D, rectus, & arcus etiam B D, quadrās. Nam cum in triangulo rectangulo A B D, arcus A B, angulo recto oppositus
36. huius. ponatur quadrans, erit saltem alter reliquorum arcuum quadrans. Non po-
25.huius. test autem A D, esse quadrans: quia duo anguli B, D, essent recti, ob quadrantes A B, A D, cum tamen triangulum A B C, ponatur non rectangulum. Igi-
34. huius. tur B D, quadrans erit; ac propterea oppositus angulus B A D, rectus. Polus
26.huius. quoque arcus A D, erit B, ob quadrantes B A, B D; ac proinde A D, arcus erit dati anguli B, ideoq́; datus. Inuentis autem arcubus A D, B D, & angulo recto B A D, sine vllo labore, cum in eis inuestigandis nullo problemate ex
Quādo duo anguli dati sūt æquales. præcedentibus egeamus, reliqua inueniemus, vt prius.

SINT deinde in triangulo A B C, dati duo anguli B, & C, æquales, cum arcu B C, illis adiacente, siue quadrans is sit, siue quadrante maior, aut minor. Erunt arcus A B, A C, æquales; ideoq́; arcus perpendicularis A D, ad datum arcum B C, ex opposito angulo A, demissus intra triangulum cadet, secabitque & arcum datum B C, & angulum B A C, oppositum bifariam, vt in posteriore casu propos. 62. monstrauimus. Quoniam ergo in triangulo A B D, rectum habente angulum D, datus est arcus B D, circa rectum angulum, quippe qui dimidium sit dati arcus B C, & insuper angulus B, ei adiacens; dabitur & arcus A B, re-
9.huius.

Schol. 45. vel 46. hui9. cto angulo oppositus, ideoq́; & A C, illi æqualis datus erit. Atque ita duo ar-

cus

cus reliqui iam noti facti sunt. Rursus quia in eodem triangulo datus est, per inuentionem, arcus A B, recto angulo oppositus, cum arcu B D, circa rectum angulum: Schol. 41. vel 55. hui⁹.

VEL, quia datus est arcus B D, circa angulum rectum, vnà cum angulo non recto B, ei adiacente: Schol. 42. huius.

VEL certe, quia datus est arcus A B, angulo recto oppositus, cum angulo non recto B; Schol. 47. huius.

reperietur, per scholia in margine adducta, angulus quoque B A D: qui duplicatus totum angulum B A C, quæsitum efficiet cognitum.

SED per solos sinus ita praxis se habet. Per praxim problematis 2. scholij propos. 42. ex arcu B D, circa angulum rectum dato, & ex angulo B, ei adiacente dato, inueniemus angulum B A D, qui duplicatus totum angulum quæsitum B A C, dabit. Deinde per praxim problematis 3. scholij propos. 41, ex arcu B D, circa rectum angulum, & angulo B A D, opposito iam inuento, eruemus arcum A B, recto angulo oppositum, ideoq́ & arcum A C, illi æqualem. Nam præter data constat etiam species reliqui anguli B, dati non recti. Praxis per solos sinus, quādo duo anguli dati sunt æquales.

DATIS igitur duobus angulis trianguli sphærici non rectanguli, vnà cum arcu ipsis adiacente; reliquos arcus, cum reliquo angulo scrutati sumus. Quod faciendum erat.

SCHOLIVM.

IN triangulis rectilineis non rectāgulis problema huic simile propositum non fuit: propterea quod, datis duobus angulis, datur & tertius: qui nimirum relinquitur, si duo illi ex duobus rectis tollantur. Quare cum vnum etiam latus detur, duo reliqua latera per propos. 10. triang. rectil. efficientur nota. 32. primi.

PROBL. 7. PROPOS. 66.

DATIS duobus angulis triāguli sphærici non rectanguli, cum arcu, qui alteri illorum opponitur; reliquos arcus, cum reliquo angulo indagare. Oportet autem constare, num arcus alteri angulo dato oppositus maior sit quadrante, an minor, aut certe quadrans.

IN triangulo A B C, non rectangulo dati sint duo anguli B, C, cum arcu A B, qui angulo C, opponitur, constetq́ue, an arcus A C, maior quadrante sit, minorve, an quadrans. Oportet ex his & reliquos arcus AC, B C, & reliquū angulum B A C, inuenire. Sint primum dati duo anguli B, C, inæquales, & Quādo duo anguli dati inæquales sūt, & arcus dat⁹ qui vni eorū opponitur, nō quadrans.

datus arcus A B, non quadrans. Ducatur ex angulo A, ad arcum B C, datis angulis adiacentē arcus perpendicularis AD: qui intra triangulum cadet, si vterque angulorum B, C, datorum fuerit acutus, vel obtusus; extra vero, si vnus fuerit acutus, & obtusus alter. Quia ergo in triangulo A B D, rectum habēte angulum D, datus est arcus A B, angulo recto oppositus, cum angulo non recto B; notus fiet arcus A D, circa angulum rectum dato angulo B, oppositus. Hinc in eodem triangulo A B D, quoniam datus est arcus A B, recto angulo oppositus, cum arcu A D, circa angulum rectum:

57. huius.



Schol. 41. huius.

Schol. 43. vel 53. hui⁹.

Schol. 45. huius. VEL, quia datus est arcus A B, angulo recto oppositus, & præterea angulus B, non rectus:

Schol. 49. vel 44. hui⁹. VEL denique, quoniam datus est arcus A D, circa rectum angulum, cum angulo B, non recto ei opposito; constatq; præterea species arcus B D. Nam si A B, datus fuerit minor quadrante; si quidem & A D, inuentus

36. huius. sit minor, erit quoque B D, minor; si autem maior, maior. Si vero A B, datus fuerit quadrante maior; si quidem & A D, inuentus sit maior, erit B D, minor; si vero A D, sit minor, erit B D, maior;

reperietur quoque, ex scholijs in margine citatis, alter arcus B D, circa an-

Schol. 41. vel 55. hui⁹. gulum rectum. Hinc rursus in eodem triangulo A B D, quoniam datus est arcus A B, recto angulo oppositus, & præterea arcus B D, circa angulū rectum:

Schol. 44. vel 48. hui⁹. AVT, quia datus est vterque arcus A D, B D, circa angulum rectum:

Schol. 45. vel 51. hui⁹. VEL, quia datus est arcus A B, recto angulo oppositus, cum arcu A D, circa angulum rectum:

Schol. 56. vel 42. hui⁹. VEL, quia datus est arcus A D, circa rectum angulum, & insuper angulus non rectus B, ei oppositus; constatq; præterea species anguli B A D. Nam si BD, arcus

34. huius. inuentus sit quadrante maior, erit angulus B A D, obtusus; si vero minor, acutus.

Schol. 47. huius. VEL denique, quia datus est arcus A D, angulo recto oppositus, cum angulo non recto B;

notus fiet quoq; angulus non rectus B A D, ex scholijs in margine appositis.

DEINDE in triangulo A C D, rectum habente angulum D, quoniam datus est arcus A D, circa rectum angulum, cum angulo C, opposito; (Nam quando perpendicularis arcus A D, extra triangulum cadit, dabitur angulus A C D, si datus angulus A C B, ex duobus rectis subducatur.) poniturq; præterea constare species arcus A C, qui in proposito triangulo A B C, alteri dato angulo B, opponitur, in hoc vero triangulo A C D, recto angulo D, op-

Schol. 41. vel 54. hui⁹. positus est; notus quoque euadet arcus A C; qui vnus est reliquorum arcuum, qui inuestigandi proponuntur in triangulo A B C. Hinc quia in eodem trian

Schol. 43. vel 53. hui⁹. gulo A C D, datus est arcus A C, recto angulo oppositus, & arcus A D, circa rectum angulum;

VEL

VEL, quia datus est arcus A C, angulo recto oppositus, cum angulo non recto C: Schol. 45. huius.

VEL denique, quoniam datus est arcus A D, circa angulum rectum, cum angulo C, ei opposito, constatq; præterea species arcus C D. Nam si arcus A C, recto angulo oppositus, inuentus fuerit minor quadrante, erit vterque arcus A D, C D, vel minor etiam, vel maior; atque ita ex cognito arcu A D, sciemus, an C D, minor sit, vel maior quadrante: Si vero inuentus arcus A C, fuerit quadrante maior, & A D, minor, erit C D, maior; at si A D, maior fuerit, erit C D, minor; Schol. 49. vel 44. hui9. 16. huius.

cognoscetur etiam, per scholia in margine posita, arcus C D: qui additus arcui iamdudum inuento B D, si perpendicularis arcus A D, intra triangulum cadit; vel, si extra, ablatus ex arcu B D, inuento, notum efficiet arcum B C, quæsitum. Atque ita iam reliqui duo arcus A C, B C, inuenti erunt.

POSTREMO, quia in eodem proximo triangulo A C D, datus est arcus A C, angulo recto oppositus, cum arcu C D, circa rectum angulum: Schol. 41. vel 55. hui9.

VEL, quoniam datus est arcus C D, circa rectum angulum, & præterea angulus non rectus C: Schol. 42. huius.

VEL, quia datus est arcus A D, circa angulum rectum, vnà cum angulo non recto C, opposito; constatq; præterea species alterius anguli C A D. Nam si arcus inuentus C D, minor est quadrante, erit angulus CAD, acutus; obtusus vero, si C D, quadrante maior est: Schol. 42. vel 56. hui9. 14. huius.

VEL, quia datus est vterq; arcus A D, C D, circa angulum rectum. Schol. 44. vel 48. hui9.

VEL, quoniam datus est arcus A C, recto angulo oppositus, & arcus A D, circa rectum angulum; Schol. 45. vel 51. hui9.

VEL denique, quia datus est arcus A C, angulo recto oppositus, vnà cum angulo C, non recto; Schol. 47. huius.

fiet quoque notus angulus C A D, ex scholijs in margine adductis. Hic autem angulus C A D, additus angulo B A D, iam antea inuento, si arcus perpendicularis A D, intra triangulum cadit; vel si extra, ablatus ex inuento angulo B A D, cognitum exhibebit angulum B A C, quæsitum.

CAETERVM nullo modo alteruter arcuum A D, B D, quadrans esse potest in hoc casu: quia si alter illorum esset quadrans, esset quoq; arcus A B, angulo recto oppositus, quadrans. quod est contra hypothesim. 35. huius.

PRAXIS huius problematis pendet ex scholijs in margine notatis.

SOLIS autem sinubus ita rem perficiemus. Per praxim problematis 2. scholij propos. 41. inueniemus arcum A D: Et per praxim problematis scholij 1. propos. 43. arcum B D: Et per praxim problematis 1. scholij propos. 41. angulum B A D. Praxis per solos sinus, quãdo dati anguli inæquales sũt, & datus arcus, qui vni eorum opponitur, nõ quadrans.

DEINDE per praxim problematis 3. scholij propos. 41. cognoscemus arcum A C, cum constet ex hypothesi eius species. Hinc per praxim problematis scholij 1. propos. 43. arcus C D, notus fiet; ex quo, si addatur arcui inuento B D, vel ab eodem subtrahatur, prout perpendicularis *arcus A D, intra, vel extra triangulum ceciderit, cognitus fiet arcus B C.*

A D extremum, per praxim problematis 1. scholij propos. 41. eruemus angulum C A D; qui additus angulo inuento B A D, vel ab eo subtractus, prout arcus perpendicularis A D, intra triangulum ceciderit, vel extra, notum faciet angulum B A C.

QVOD si quando arcus A C, alteri angulo B, dato oppositus, sit quadrans, quod euenire potest, non existente quadrante A B; erit alter saltem
36.huius. reliquorum quoque arcuum A D, C D, in triangulo A C D, quadrans. Cum
34. huius. Quãdo duo anguli dati inæquales sũt, & datus arc⁹ vni eorũ opposit⁹, quadrans. ergo A D, esse non possit quadrans, erit C D, quadrans; ac proinde angulus ei oppositus C A D, rectus. Itaque tunc inuentus erit & arcus C D, & angulus C A D, sine vllo alio labore: ex quibus & arcus B C, & angulus B A C, deprehendentur, vt dictum est.

SIT iam arcus datus A B, quadrans, & adhuc duo anguli dati B, C, inæquales. Erit arcus B D, quadrans etiam, & angulus B A D, rectus. Cum enim
36. huius. in triangulo A B D, arcus A B, angulo recto oppositus quadrans ponatur; erit
25.huius. saltem & alter reliquorum arcuum A D, B D, quadrans. Non potest autẽ A D, esse quadrans: quia duo anguli B, D, ob quadrantes A B, A D, recti essent,
34.huius. ideoq; triangulum A B C, rectangulum, quod non ponitur. Erit ergo B D,
26.huius. quadrans, ac proinde angulus oppositus B A D, rectus. Erit quoque B, polus arcus A D, ob quadrantes A B, B D; proptereaq; datus angulus B, arcum B D, notum efficiet. Inuẽtis autem arcubus A D, B D, cum angulo recto B A D, sine vlla multiplicationis molestia, inuenientur reliqua, vt prius. In hoc ta-
25.huius. men casu arcus A C, nullo pacto quadrans erit, ne duo quadrantes sint A B, A C, in triangulo A B C, ac proinde duo anguli B, C, recti. Quod esset contra hypothesim, cum triangulum ponatur non rectangulum.

Quãdo duo dati anguli æquales sũt.

VERVM sint iam in triangulo A B C, dati duo anguli B, C, æquales. Erunt duo arcus A B, A C, æquales; atq; adeo neuter eorum quadrans, ne duo anguli B, C, recti existant. Demissus igitur arcus perpendicularis A D, ex tertio angulo A, intra triangulum cadet, diuidetq; tam arcum B C, quam angulum B A C, bifariam, vt supra in secundo casu propos. 62. ostendimus. Igitur quia in triangulo A B D, rectum habente angulum D, datus



Schol. 45. huius. est arcus A B, angulo recto oppositus, cum angulo B; cognitus erit & arcus B D: qui duplicatus totum arcum B C, notum efficiet: Sed & A C, notus est,
Schol. 41. vel 55. hui⁹. cum dato arcui A B, æqualis sit. Deinde quoniam in eodem triangulo A B D, datus est arcus A B, angulo recto oppositus, cum arcu B D, circa angulum rectum proximè inuento;

Schol. 42. huius. VEL, quia datus est arcus B D, circa angulum rectum, cum angulo non recto adiacente B:

Schol. 47. huius. VEL denique, quoniam datus est arcus A B, recto angulo oppositus, cum angulo non recto B;

dabitur quoque, per scholia in margine adducta, angulus B A D: qui duplicatus totum B A C, quæsitum præbebit.

ITA autem solis sinubus in hoc casu vtemur. Per praxim proble-

matis

matis 2. scholij propos. 41. reperiemus arcum A D: Et hinc per praxim problematis scholij 1. propos. 43. arcum B D; qui duplicatus totum arcum B C, dabit notum. Deinde per praxim problematis 1. scholij propos. 41. Vel per praxim problematis 2. scholij propos. 42. inueniemus angulum B A D, ac proinde eius duplum B A C, qui quæritur. Tertius autem arcus A C, dato arcui A B, æqualis est, atque adeo cognitus. Praxis per solos sinus, quãdo dati duo anguli æquales sũt.

DATIS igitur duobus angulis trianguli sphærici non rectanguli, cum vno arcu, qui alteri illorum opponitur, &c. Quod erat faciendum.

SCHOLIVM.

HVIC *etiam problemati nullam propositionem respondentem attulimus in triangulis rectilineis, propter causam in scholio antecedentis propos. allatam.*

OPORTET *autem in primo casu huiusce problematis dari etiam necessario speciem arcus* A C, *alteri angulo dato* B, *oppositi. Alioquin in triangulo* A C D, *ex dato arcu* A D, *& angulo* C, *opposito, (cum nihil certi adhuc exploratum habeamus de arcu* C D, *vel angulo* C A D, *qualesnã sint.) non inueniretur arcus* A C, *recto angulo oppositus, cum is posit esse vel maior quadrante, vel minor, & nondum ex datis, vel demonstratis constet, qualis futurus sit. Cæterum non satis esse, si dentur anguli duo, cum arcu vni eorum opposito, ad eliciendos reliquos arcus, & reliquum angulum, iampridem admonuimus in scholio propos. 22. & 23. Vbi etiam Copernicum hallucinatum ea in re esse lib. 1. Reuolutionum propos. 12. triang. sphær. indicauimus.* Error Copernici.

Quod tamen hic breuiter ita rursum demonstrabimus. Sint duo arcus inæquales A B, A C, *angulum* B A C, *continentes, & semicirculo simul æquales; atque adeo vnus quadrante maior, & alter minor. Ducto autem per* B, C, *arcu circuli maximi* B C, *ducatur ad eum productum ex* A, *alius arcus* A D, *neque per polos arcus* A C, *neque per polos arcus* B C; *ita vt anguli* D, *&* C A D, *sint non recti. Sed neque angulus* A C D, *rectus est. Nam si foret rectus, esset angulus* A B C, *cui ille æqualis est, rectus quoque; atque ita duo arcus* A B, A C, *propter rectos angulos* B, C, *æquales essent, & quadrantes. Quod est contra hypothesim. Triangulum ergo* A C D, *non rectangulum est; in quo licet duo anguli* A C D, *&* D, *dentur, cum arcu* A D, *qui angulo* A C D, *opponitur; non tamen inde colligemus arcum* A C, *alteri dato angulo* D, *oppositum, cum eidem opponatur in triangulo* A B D, *etiam arcus* A B, *ipsi* A C, *inæqualis; propterea quod eadem hypothesis manet in triangulo* A B D, *nempe anguli dati* B, D, *(cum angulus* B, *angulo* A C D, *æqualis sit, vt ostendimus) & arcus datus* A D, *angulo* B, *oppositus. Necesse est ergo, vt detur species arcus angulo* D, *oppositi, vt sciamus, num maior quadrante is sit, an minor, hoc est, num arcus* A B, *an* A C, *sumendus sit, cum vnus eorum maior quadrante sit, & alter minor, &c.*

Nõ satis esse, dari duos angulos, cũ arcu vni eorũ opposito, ad reliqua inueniẽda in triangulo nõ rectangulo.

14. huius.

25. huius.



HAC *in re lapsus etiam est Ioan. Regiom. lib. 4. triangulorum propos. 32. cum vult ex duobus angulis datis, cum vno latere opposito, reliqua inuenire. quod tamen non satis esse, hic demonstrauimus.* Error Regiom.

PROBL.

PROBL. 8. PROP. 67.

DATIS duobus arcubus trianguli ſphærici non rectanguli, cum angulo, qui alteri eorum opponitur; reliquos angulos, cum reliquo arcu inuenire. Oportet autem conſtare, num angulus alteri arcui dato oppoſitus acutus ſit, an obtuſus.

IN triangulo ſphærico non rectangulo A B C, dati ſint duo arcus AB, AC, cum angulo B, qui arcui A C, opponitur, conſtetq́; an angulus C, acutus ſit, an obtuſus. Oportet ex his & reliquos angulos C, B A C, & reliquum arcum B C, ſcrutari. Sint primum dati duo arcus A B, A C, inæquales, & neuter eorum quadrans. Ducantur ab angulo A, tertio arcui oppoſito ad ipſum arcum tertium B C, arcus perpendicularis A D: qui intra triangulum cadet, ſi vterque angulus B, C, acutus eſt, vel obtuſus; extra vero, ſi vnus acutus, & alter obtuſus fuerit: conſtat autem ex datis, an vterque angulus acutus ſit, obtuſusve, an vnus acutus, & obtuſus alter; cum datus ſit angulus B, cum ſpecie anguli C. Itaque quoniam in triangulo A B D, rectum habente angulum D, datus eſt arcus A B, angulo recto oppoſitus, cum angulo B; datus etiam erit arcus A D, circa rectum angulum dato angulo B, oppoſitus. Hinc in eodem triangulo A B D, quia datus eſt arcus A B, recto angulo oppoſitus, & inſuper arcus A D, circa eundem angulum rectum:

Quando neuter datorũ arcuũ inæqualiũ eſt quadrãs.

37. huius.

Schol. 41. huius.

Schol. 43. vel 53. hui⁹.



VEL, quia datus eſt arcus A B, recto angulo oppoſitus, & præterea angulus non rectus B:

Schol. 45. huius.

VEL denique, quia datus eſt arcus A D, circa angulum rectum, cum angulo B, oppoſito; conſtatq́; ſpecies præterea arcus B D. Nam ſi A B, datus fuerit minor quadrante; ſi quidem & A D, inuentus minor ſit, erit quoque B D, minor; ſi autem maior, maior. At ſi A B, datus fuerit maior quadrante; ſi quidem & A D, inuentus maior ſit, erit B D, minor; ſi autem A D, minor ſit, erit B D, maior;

Schol. 49. vel 44. hui⁹.

36. huius.

cognitus etiam erit, ex adductis ſcholijs in margine, alter arcus B D, circa angulum rectum. Hinc rurſus in eodem triangulo A B D, quia datus eſt arcus A B, angulo recto oppoſitus, cum arcu B D, circa eundem rectum angulum:

Schol. 41. vel 55. hui⁹.

VEL, quia datus eſt vterque arcus A D, B D, circa angulum rectum;

Schol. 44. vel 48. hui⁹.

VEL,

VEL, quoniam datus est arcus A B, recto angulo oppositus, cum arcu A D, circa eundem angulũ rectum: Schol. 45. vel 51. hui⁹.

VEL, quia datus est arcus A D, circa angulum rectum, cum angulo opposito B, constatq; præterea species anguli B A D. Nam si B D, arcus inuentus sit minor quadrante, erit angulus B A D, acutus; obtusus vero, si maior: Schol. 56. vel 42. hui⁹. 34. huius.

VEL denique, quoniam datus est arcus A B, angulo recto oppositus, & insuper angulus non rectus B; Schol. 47. huius.

efficietur quoq; notus, ex scholijs in margine positis, angulus nõ rectus B AD.

DEINDE, quia in triangulo A C D, rectum habente angulum D, datus est arcus A C, recto angulo oppositus, & inuentus arcus A D, circa angulum rectum; cognoscetur quoque angulus C A D, à dictis arcubus comprehensus: qui additus inuento angulo B A D, vel ab eo subtractus, prout arcus perpendicularis A D, intra triangulum cadit, aut extra, (quod quidem cognoscemus, vt ad initium diximus, ex dato angulo B, & specie data anguli C.) dabit quæsitum angulum B A C. Schol. 51. vel 45. hui⁹.

RVRSVS, quoniam in eodem triangulo ACD, datus est arcus A C, angulo recto oppositus, & inuentus arcus A D, circa rectum angulum: Schol. 55. vel 41. hui⁹.

VEL, quia datus est arcus A D, circa angulum rectum, & insuper angulus non rectus C A D: Schol. 42. huius.

AVT denique, quoniam datus est arcus A C, angulo recto oppositus, & præterea angulus non rectus C A D; Schol. 47. huius.

cognitus quoque erit angulus A C D. Si igitur arcus perpendicularis AD, cadit intra triangulum, inuentus angulus erit A C B, qui quæritur; si vero cadit extra, angulus inuentus A C D, demptus ex duobus rectis, notum relinquet quæsitum angulum A C B. Qui quidem angulus A C B, ita quoque reperietur, licet arcus A D, non adesset. Quoniam est, vt sinus arcus A C, ad sinum anguli B, ita sinus arcus A B, ad sinum arcus A C B: si fiat, vt sinus dati arcus dato angulo oppositi ad sinum dati anguli, ita sinus alterius arcus dati ad aliud, producetur sinus anguli huic arcui oppositi; ac proinde angulus ipse A C B, cognitus erit, cum constet eius species. Atq; ita inuenti iam sunt reliqui duo anguli B A C, A C B. 41. huius.

QVONIAM denique in eodem triangulo A C D, datus est arcus A C, angulo recto oppositus, cum angulo C A D, proxime inuento: Schol. 48. huius.

VEL, quia datus est vterque angulus non rectus ACD, CAD: Schol. 42. vel 52. hui⁹.

VEL, quia datus est arcus AC, recto angulo oppositus, cum arcu A D, circa angulum rectum: Schol. 43. vel 53. hui⁹.

VEL, quia datus est arcus A D, circa angulum rectum, cum angulo non recto C A D: Schol. 44. huius.

VEL, quoniam datus est arcus A D, circa rectum angulum, cum angulo opposito A C D; constatq; præterea species alterius arcus C D, circa rectum angulum. Existente enim angulo inuento C A D, acuto, erit arcus C D, quadrante minor; maior autem, si obtusus. Schol. 49. vel 44. hui⁹. 34. huius.

VEL denique, quia datus est arcus A C, recto angulo Schol. 45. huius.

gulo oppositus, cum angulo non recto A C D; reperietur quoque, per scholia in margine adducta, arcus C D, circa rectum angulum: qui vel additus arcui B D, iam dudum inuento, vel ab eo subductus, (prout nimirum arcus perpendicularis A D, intra triangulum ceciderit, vel extra) dabit arcum B C, in proposito triangulo A B C, quæsitum.

35.huius.

PORRO nulla ratione alteruter arcuum A D, B D, in hoc casu, quadrans esse potest: quia alioquin & arcus A B, recto angulo D, oppositus esset quadrans, quod est contra hypothesim. Eadem ratione neque C D, quadrans erit, ne & arcus A C, angulo recto oppositus quadrans sit, quod esset etiam contra hypothesim.

Praxis per solos sinus, quãdo neuter datorũ arcuum inæqualiũ est quadrans.

PRAXIS huius problematis petatur ex scholijs in margine positis.

SED per solos sinus ita problema absoluetur. Per praxim problematis 2. scholij propos. 41. inuenietur arcus AD, in triangulo ABD: Et hinc per praxim problematis scholij propos. 43. arcus B D. Deinde per praxim problematis 2. scholij propos. 42. reperietur angulus B A D.

97.huius.

POST hæc in triangulo ACD, per praxim problematis 1. scholij propos. 41. cognitus erit angulus A C D, qui est vnus quæsitorum, si constet, angulum C, eiusdem esse speciei cum angulo dato B; si vero diuersæ, reliquus duorum rectorum erit angulus A C B, quæsitus, quia ibi arcus perpendicularis intra triangulum cadit, hic vero extra. Rursus per praxim problematis scholij propos. 43, notus efficietur arcus C D, qui in priori triangulo additus inuento arcui B D, in posteriori vero ex eodem sublatus exhibebit reliquum arcum B C, in proposito triangulo notum. Ad extremum, per praxim problematis 1. scholij propos. 41. reperietur angulus C A D, qui additus, vel subductus ex inuento angulo B A D, tertium angulum B A C, qui quæritur, notum efficiet.

Quando alter duorũ arcuũ inæqualiũ datorum est quadrans.

QVOD si alter arcuum datorum inæqualium A B, A C, sit quadrans; si quidem A B, quadrans fuerit, erit quoque B D, quadrans, & angulus B A D, rectus, necnon B, polus arcus A D; atque adeo angulus datus B, eundem arcum A D, notum exhibebit, vt in præcedenti propos. ostendimus, quando arcus A B, ponebatur esse quadrans. Inuentis igitur arcubus A D, B D, & angulo B A D, sine vllo negotio, reliqua inueniemus, vt prius. Si vero arcus AC, sit quadrans, erit eadem ratione C D, quadrans, & angulus C A D, rectus, nec non C, polus arcus A D; atque adeo inuentus arcus A D, angulum A C D, notum faciet: qui vnus erit ex quæsitis, quando arcus A D, cadit intra triangulum; si vero extra, reliquus duorum rectorum dabit angulum quæsitum A C B. Atq; ita inuentus tunc erit, sine multiplicatione vlla, & arcus C D, & angulus C A D, necnon angulus A C D: ex quibus reperientur reliqua, vt prius.



Quãdo dati duo arc⁹ æquales sũt.

SINT iam dati duo arcus A B, A C, æquales. Erunt duo anguli B, C, æquales; & arcus perpendicularis A D, ex A, in B C, demissus intra triangulum cadet; necnon & arcus B D, C D, & anguli ad A, æquales erunt, vt in vltimo casu propos. 63. ostendimus

dimus. Cum ergo angulus B, datus sit, erit quoque C, illi æqualis, datus. Deinde quia in triangulo A B D, habente rectum angulum D, datus est arcus A B, angulo recto oppositus, cum angulo B; dabitur quoque angulus B A D: qui duplicatus totum angulum B A C, quæsitum offeret notum. Hinc, quoniam in eodem triangulo A B D, datus est arcus A B, recto angulo oppositus, cum angulo B A D, inuento: Schol. 47. huius. Schol. 41. huius.

VEL, quia vterq; angulus non rectus B, & B A D, datus est: Schol. 42. vel 52. hui⁹.

VEL denique, quia datus est arcus A B, angulo recto oppositus, cum angulo B, non recto; Schol. 45. huius.

cognoscetur quoque, per scholia in margine allata, arcus B D, circa angulum rectum; atque adeo & eius duplus B C, qui inquirendus proponitur.

PRAXIS facile colligi potest ex scholijs in margine appositis.

SI vero solos sinus adhibere malueris; inueniendus primum erit arcus A D, per praxim problematis 2. scholij propos. 41. Atque hinc per praxim problematis scholij propos. 43. arcus B D: qui duplicatus totum quæsitum B C, dabit. Deinde per praxim problematis 1. scholij propos. 41. vel per praxim problematis 2. scholij propos. 42. reperiendus angulus B A D; ex quo eius duplus B A C, quem quærimus, notus erit: tertius autem angulus C, iam datus est, cum æqualis sit dato angulo B. Praxis, per solos sinus, quãdo duo arcus dati æquales sũt.

DATIS igitur duobus arcubus trianguli sphærici non rectanguli, cum vno angulo, qui alteri eorum opponitur, &c. Quod faciendum erat.

SCHOLIVM. I.

NECESSE *est autem constare in hoc problemate, num angulus* C, *alteri dato arcui oppositus sit acutus, obtususve, vt sciatur, num perpendicularis arcus* A D, *intra triangulum cadat, nec ne. Hoc enim ignorato, nesciremus, an angulus* C A D, *addendus sit angulo* B A D, *an ab eo subtrahendus, vt inueniatur angulus* B A C, *quæsitus: Item an arcus* C D, *arcui* B D, *sit adijciendus, an subducendus ex eo, vt arcus quæsitus* B C, *reperiatur. Vel denique, num angulus inuentus* A C D, *sit is, qui quæritur, an vero reliquus duorum rectorũ, vt manifestum est. Non esse porro satis, si duo arcus dentur, cum angulo vni eorum opposito, ad inquirendos reliquos angulos, cum reliquo arcu, iam dudum supra docuimus in scholio propos. 24. Qua in re Nicolaum Copernicum errasse lib. 1. Reuolutionum, propos. 11. triang. sphær. ibidem monuimus. Quod tamen breuiter ita hic rursus ostendemus. Sint duo arcus æquales* A D, A C, *angulum* D A C, *ambientes, & vterque quadrante minor, aut maior. Ducto autem per* C, D, *arcu circuli maximi* C D, *ducatur ad eum productum alius arcus* A B, *ex* A, *neque per polos arcus* C D, *neque per polos arcus* A D, *ita vt anguli* B, *&* D A B, *sint non recti. Sed neque angulus* A D B, *rectus est. Si namque vterque arcus* A D, A C, *minor est quadrante, erunt duo anguli* C, *&* A D C, *acuti: si vero vterq; arcus* A D, A C, *quadrante maior est, erunt duo anguli* C, *&* A D C, *obtusi.* Error Copernici. Nõ satis esse, dar. duos arcus, cum angulo vni eorũ opposito, in triãgulo nõ rectãgulo, vt reliqua inueniantur. 25. huius.

Ex quo

Ex quo fit, angulum A D B, *esse vel obtusum, quando nimirum* A D C, *acutus est,* 5. huius. *vel acutum, quando videlicet* A D C, *est obtusus: cum duo anguli ad* D, *duobus rectis sint æquales*. Triangulum ergo A B D, *non rectangulum est: in quo licet duo arcus* A B, A D, *dentur, cum angulo* B, *qui arcui* A D, *opponitur; non tamen inde colligere poterimus reliquum angulum alteri arcui dato* A B, *oppositum esse* A D B; *cum eidem arcui* A B, *opponatur quoque in triangulo* A B C, *angulus* C, *ipsi* A D C, *inæqualis: propterea quòd in triangulo* A B C, *eadem hypothesis manet, nempe arcus duo dati* A B, A C, *(ponitur enim arcus* A C, *arcui* A D, *æqualis) & angulus datus* B, *arcui* A C, *oppositus. Oportet ergo constare, num angulus alteri arcui* A B, *oppositus sit acutus, aut obtusus, hoc est, an sumendus sit angulus* A D B, *an vero* C, *cum vnus obtusus sit, & alter acutus, &c.*



SCHOLIVM. II.

HACTENVS *demonstrauimus ea, quæ ad triangulorum calculum requiruntur, pluribus sane propositionibus, & fortasse longioribus, quam in calculo, qui facilis & breuis esse debet, quis desideret. Quare operæ pretium me facturum arbitror, si Epilogi loco praxes omnium problematum, quæ in triangulis rectilineis, & sphæricis demonstratæ sunt, seorsum hic, in vnum quasi locum congestas, describam; vt in promptu eas semper, & quasi ad manus habeamus, quando vsurpandæ sunt, ne frustra in eis è tanta propositionum multitudine seligendis tempus teramus. In margine porrò propositiones, ac problemata, in quibus earum demonstrationes continentur, adducemus, vt facile à quouis, cum res exiget, possint reperiri. Itaque quod ad calculum triangulorum attinet, satis erit, si pauca hæc, quæ sequuntur, attente, cum opus fuerit, perlegantur. In eis enim summa omnium, quæ de triangulis demonstrauimus, comprehenditur. Quamuis autem in triangulis sphæricis non rectangulis plerunque arcus, & angulos triangulorum, in quæ triangula non rectangula resoluimus, pluribus vijs inuestigauerimus, in praxibus tamen sequẽtibus, vt omnem confusionem vitaremus, vnam tantum in quouis arcu, siue angulo inquirendo, quam videlicet iudicauimus esse commodiorem, delegimus.*

SEQVVNTVR PRAXES PROblematum omnium triangulorum ex demonstrationibus superioribus excerptæ, in quibus totus fructus nostrorum triangulorum tam rectilineorum, quam sphæricorum consistit.

TRIAN-

TRIANGVLORVM RECTILINEORVM RECTANGVLORVM PROBLEMATA, ET PRAXES.

1. DATIS angulis omnibus cuiuſcunq; trianguli; inuenire omnium laterũ proportiones. Quæritur proportiones laterũ.

ADSCRIBANTVR ſingulis lateribus ſinus recti angulorum oppoſitorum. Latera enim eas inter ſe proportiones habent, quæ inter dictos ſinus angulorum lateribus oppoſitis adſcriptos reperiuntur. Quod ſi duo tantum anguli dati ſint, inueniendus primum erit tertius angulus, per ſubtractionem duorum datorum ex duobus rectis, ac tum demum eodem modo proportiones laterum indagandæ. Schol. propoſ. 1. triãg. rectil.

Aliter.

DVPLICETVR ſinus rectus cuiusvis anguli acuti, habebiturq; latus illi angulo oppoſitum in partibus ſinus totius, quem refert ſemidiameter circuli triangulo circumſcripti. Pro latere vero, quod recto angulo opponitur, ſi forte triangulum eſt rectangulum, ſumatur ſinus totus duplicatus. Pro latere denique, quod angulo obtuſo opponitur, ſi forte obtuſangulum eſt triangulum, accipiatur duplũ ſinus recti, qui ſemiſsi aggregati ex duplis duorum angulorum acutorum debetur. Schol. propoſ. 1. triãg. rectil.

2. DATO latere in triangulo rectãgulo, quod recto angulo opponitur, cum vno angulorum acutorum, ac proinde & cum altero acuto: (cum ambo ſint vni recto æquales) inuenire latus circa angulum rectum vtrilibet acutorum angulorum oppoſitum. Quæritur latus, circa angulum rectum vtrilibet angulorum acutorum oppoſitum.

FIAT, vt ſinus totus ad datum latus recto angulo oppoſitum, ita ſinus vtriuſvis anguli acuti dati ad aliud, produceturq; latus illi dato acuto angulo oppoſitum in partibus menſuræ, ſecundum quam datum eſt latus angulo recto opppoſitum. Propoſ. 2. triang. rectil.

3. DATO vno latere trianguli rectanguli circa rectum angulum, cum vno acutorum angulorum, atque adeo & cum altero acuto: Quæritur latus recto angulo oppoſitum, & alterutrum duorũ circa eundem angulũ rectum.

 (quod

(quòd ambo vni recto ſint æquales) inuenire alia duo latera.

Propoſ. 1. triang. rectil.

FIAT, vt ſinus totus ad latus datum circa angulum rectum, ita tangens acuti anguli dato lateri adiacentis ad aliud, inuenieturq; alterum latus circa angulum rectum: Fiat item, vt ſinus totus ad latus idem circa angulum rectum datum, ita ſecans eiuſdem anguli acuti dato lateri adiacentis ad aliud, produceturq; latus recto angulo oppoſitum, in partibus menſuræ, ſecundum quam latus circa angulum rectum eſt datum.

Aliter per ſolos ſinus.

Propoſ. 1. triang. rectil.

FIAT, vt ſinus anguli acuti dato lateri oppoſiti ad latus datum circa angulum rectum, ita ſinus alterius anguli acuti ad aliud, inuenieturq; latus huic alteri acuto angulo oppoſitum circa angulum rectum: Fiat item, vt ſinus anguli acuti dato lateri oppoſiti ad datum latus circa rectum angulum, ita ſinus totus ad aliud, produceturq; latus angulo recto oppoſitum, in partibus menſuræ, ſecundum quam latus circa angulum rectum datum eſt.

Quærũtur duo anguli acuti, & vnum latus circa angulum rectũ.

4. DATO latere in triangulo rectãgulo, quod angulo recto opponitur, cum alterutro reliquorum duorum laterum circa angulum rectum, reperire duos angulos acutos, & alterum latus circa angulum rectum.

Propoſ. 3. triang. rectil.

FIAT, vt datum latus recto angulo oppoſitum ad ſinum totum, ita datum latus circa angulum rectum ad aliud, procreabiturq; ſinus anguli acuti huic poſteriori lateri dato oppoſiti: Ex hoc autem angulo inuẽto, alter quoque acutus notus fiet, cum ambo vni recto ſint æquales. Fiat rurſus, vt ſinus totus ad datum latus angulo recto oppoſitum, ita ſinus acuti anguli inuenti quæſito tertio lateri oppoſiti ad aliud, inuenieturq; alterum hoc latus circa angulũ rectum, in partibus menſuræ, ſecundũ quam duo alia latera data ſunt.

Quærũtur duo acuti anguli, & illa tus recto angulo oppoſitum.

5. DATIS duobus lateribus circa angulum rectum, inuenire duos angulos acutos, & latus recto angulo oppoſitum.

Propoſ. 3. triang. rectil.

FIAT, vt alterutrum laterum datorum ad ſinum totum, ita alterum latus datum ad aliud, prodibitq; tangens anguli acuti huic poſteriori lateri oppoſiti. Ex hoc autem angulo inuento notus euadet alter acutus angulus, cum ambo acuti vni recto ſint æquales. Fiat rurſum, vt ſinus totus ad vtrumuis laterum circa angulum rectum datum, ita ſecans anguli acuti accepto huic lateri adiacentis ad aliud, inuenieturq; latus angulo recto oppoſitum, in partibus, in quibus data ſunt duo latera circa rectum angulum.

Aliter

Aliter per solos sinus.

ADDANTVR *simul quadrata duorum laterum circa angulum rectum datorum. Nam huius aggregati radix erit latus angulo recto oppositum. Fiat rursus, vt latus recto angulo oppositum, quod iam inuentum est, ad sinum totum, ita alterutrum datorum laterum circa angulum rectum ad aliud, prouenietq; sinus acuti anguli assumpto lateri circa angulum rectum oppositi. Ex hoc autem angulo inuento fiet quoque alter cognitus, cum vni recto ambo acuti sint æquales.* Propos. 5. triang. rectil.

TRIANGVLORVM RECTILINEORVM NON RECTANGVLORVM PROBLEMATA, ET PRAXES.

Quæritur duo arcus, vel anguli, ex eorũ aggregato.

6. DATO aggregato duorum arcuum, vel angulorum, quod minus sit, quam grad. 180 vna cum proportione, quam eorum sinus habẽt, vtrumque illorum exhibere notum.

FIAT, vt semissis aggregati terminorum proportionis datæ, quam sinus arcuum, vel angulorum habent, ad tangentem semissis aggregati arcuum, vel angulorum dati, (quærendo tangentem per partem proportionalem respondentem 30. secundis, si forte aggregatum arcuum, vel angulorum bifariam diuidi nequeat sine secundis.) ita differentia inter semissem aggregati terminorum datæ proportionis, & alterutrum terminorum, ad aliud. Inuenietur enim tangens arcus, vel anguli, quo vterque arcus, vel angulus quæsitus à semisse aggregati eorundem arcuum, vel angulorum dati differt: atque adeo arcus, vel angulus tangentis huius inuentæ additus ad semissem dati aggregati arcuum, vel angulorum dabit maiorem arcum, vel angulum quęsitum; ablatus vero ab eadem semisse relinquet arcum, vel angulum minorem. Propos. 6. triang. rectil.

Aliter.

FIAT, vt semissis differentiæ inter duos terminos proportionis datæ ad tangentem semissis differentiæ inter datum aggregatum arcuum, vel angulorum, & semicirculum, ita aggregatum ex semisse differentiæ inter duos terminos datæ proportionis, & consequente termino eiusdem proportionis, ad aliud. Producetur enim tangens arcus, seu anguli, à quo si detrahatur semissis differentiæ inter datum aggregatum arcuum, vel angulorum, & semicirculum, reliquus fiet arcus, siue angulus minor quæsitus: hic autem ex dato aggregato subductus relinquet arcum, vel angulum quæsitum maiorem. Propos. 6. triang. rectil.

Aliter per solos sinus.

Propos. 6. triang. rectil.

FIAT, *vt semissis aggregati terminorum proportionis datæ ad sinum semissis aggregati arcuum, seu angulorum, ita differentia inter semissem aggregati terminorum datæ proportionis, & alterutrum terminorum, ad aliud, inuenieturq; quartus quidam numerus; cuius quadratum si adijciatur quadrato sinus complementi semissis aggregati arcuum, seu angulorum: Et rursum fiat, vt radix quadrata aggregati duorum dictorum quadratorum ad sinum totum, ita quartus ille numerus inuentus ad aliud, producetur sinus arcus, siue anguli, quo vterque arcus, angulusve ab eorundem aggregati dati semisse differt. Additus ergo hic arcus, seu angulus ad semissem aggregati dati præbebit maiorem arcum, vel angulum; ablatus vero ex eadem semisse minorem arcum, seu angulum relinquet.*

QVOD si quando proportio sinuum data sit æqualitatis, dabit semissis dati aggregati arcuum, seu angulorum, vtrumque arcum, siue angulum.

Quæruntur duo arcus, seu anguli, ex eorũ aggregato.

7. DATO duorum arcuum, quorum vterq; semicirculo minor sit, vel duorum angulorum aggregato, quod maius sit, quam grad. 180. vnà cum proportione, quam eorũ sinus habent, vtrumque illorum reddere notum.

Propos. 6. triang. rectil.

DETRACTO dato aggregato ex grad. 360. inueniatur per problema 6. vterque arcus, siue angulus residui aggregati, quod minus est semper, quam grad. 180. remanetq; eadem proportio sinuum. Nam si ambo inuenti seorsum ex semicirculo subtrahantur, reliqui erunt arcus, vel anguli quęsiti.

QVANDO proportio data est æqualitatis, dabit quoque semissis dati aggregati vtrumque arcum, siue angulum quæsitum.

QVOD si forte datum aggregatum contineat præcise grad. 180. problema solui non potest.

Quæruntur duo arcus, siue anguli, ex eorum differẽtia.

8. DATA differentia duorum arcuum, quorum vterque semicirculo sit minor, vel duorum angulorum, vna cum proportione, quam eorum sinus habent, vtrumque illorum notum efficere.

Propos. 7. triang. rectil.

SI proportio sinus maioris arcus, vel anguli, ad sinum minoris est maioris inæqualitatis; fiat, vt semissis differentiæ terminorum proportionis datæ ad tangentem semissis datæ differentiæ arcuum, vel angulorum, ita aggregatum ex semisse differentiæ terminorum proportionis, & consequente termino proportionis eiusdem, ad aliud, producetürq; tangens arcus, siue anguli, qui semissi differentiæ arcuum, vel angulorum date additus componet maiorem arcum, seu angulum; si vero ab eodem semissis differentiæ arcuum, vel angulorum

lorum ſubducatur, reliquus erit arcus, vel angulus minor.

SI vero proportio ſinus maioris arcus, vel anguli, ad ſinum minoris eſt minoris inæqualitatis; inuertantur eius termini, vt fiat proportio maioris inæqualitatis; atque ex hac, & data differentia arcuum, ſeu angulorum inueniantur duo arcus, vel anguli, vt dictum eſt. Nam maior eorum ex ſemicirculo ſublatus dabit minorem arcum, ſeu angulum quæſitum; minor vero ſubductus ex ſemicirculo offeret maiorem.

Aliter.

QVANDO ſinus maioris arcus, vel anguli ad ſinũ minoris habet proportionem maioris inæqualitatis; inquirantur ex data illa proportione maioris inæqualitatis, & ex arcu, ſeu angulo, qui poſt detractionem datæ differentiæ ex ſemicirculo relinquitur, tanquam ex aggregato duorum arcuum, ſiue angulorum, duo arcus, ſiue anguli huius aggregati, vt in problemate 6. præcepimus. Nam maior arcus, ſeu angulus inuentus, ſi ex ſemicirculo auferatur, dabit maiorem arcum ſiue angulum quæſitum: Minor autem inuentus erit minor quæſitus. Propoſ.7. triang rectil.

QVANDO autem proportio data eſt minoris inæqualitatis; inuertantur eius termini, vt fiat proportio maioris inæqualitatis: atque ex hac, & data differentia arcuum, ſeu angulorum, inueſtigentur duo arcus, ſiue anguli, vt iam dictum eſt. Maior enim eorum ex ſemicirculo ſubtractus dabit arcum, ſeu angulum quæſitum minorem; Minor vero maiorem.

Aliter per ſolos ſinus.

SI data proportio ſinus maioris arcus, ſiue anguli ad ſinum minoris eſt maioris inæqualitatis; fiat, vt ſemiſsis differentiæ terminorum proportionis datæ ad ſinum ſemiſsis datæ differentiæ arcuum, vel angulorum, ita aggregatum ex ſemiſſe differentiæ terminorum proportionis, & conſequẽte termino eiuſdem proportionis, ad aliud, inuenieturq; quartus quidam numerus; cuius quadratum ſi adijciatur quadrato ſinus complementi ſemiſsis differentiæ arcuum, ſeu angulorum datæ: Et rurſum fiat, vt radix quadrata aggregati dictorum duorum quadratorum ad ſinum totum, ita numerus ille quartus inuentus ad aliud, reperietur ſinus arcus, ſiue anguli, cui ſi addatur ſemiſsis datæ differentiæ arcuum, ſeu angulorum, notus fiet maior arcus, ſiue angulus: ab eodem vero ſi eadem ſemiſsis detrahatur, reliquus erit minor. Propoſ. 7. triang. rectil.

QVOD *ſi data proportio ſit minoris inæqualitatis, agẽdũ erit, vt ſupra diximus.*

IAM vero ſi forte proportio data ſit æqualitatis, detrahatur differentia data arcuum, ſiue angulorum ex ſemicirculo. Nam reſidui ſemiſsis erit minor arcus, ſeu angulus quæſitus: eadem vero ſemiſsis ad datam differentiam adiecta dabit maiorem.

9. SI ab vno angulo trianguli cuiuſvis datorum laterum ad latus oppoſitum perpendicularis demittatur, quãta ſit recta inter perpendicularem, & vtrumvis reliquorum angulorum, inuenire. Quærũtur caſus lineæ perpẽdicularis.

DIF-

Propof.9. triang.re-ctil.

DIFFERENTIA inter quadrata duorum laterum ambientium angulum, à quo perpendicularis demiſſa eſt, diuidatur per latus tertium, produceturq; numerus; qui ſi minor fuerit tertio latere, indicabit, perpendicularem intra triangulum cecidiſſe; idemq; ex tertio eodem latere ſubductus relinquet numerum, cuius ſemiſsis dabit minus ſegmentum baſis, hoc autem ex toto tertio latere ſubtractum dabit ſegmentum maius. Idem vero numerus ex diuiſione productus, ſi fuerit maior tertio latere, argumento erit, perpẽdicularem extra triangulum cecidiſſe. Quare ſi ex eo tertium latus auferatur, reliquus erit numerus, cuius ſemiſsis dabit rectam extra triangulum inter perpendicularem, & angulum obtuſum; eadem vero ſemiſsis tertio lateri appoſita dabit alteram rectam inter perpendicularem, & angulum acutum.

Aliter, & facilius.

Propof.9. triang.re-ctil.

FIAT, vt tertium latus, in quod demiſſa eſt perpendicularis, ad ſummam aliorum duorum laterum, ita differentia eorundem ad aliud, prouenietq; numerus, ex quo rectam inter perpendicularem, & angulum vtrumq; inueniemus, vt nuper diximus.

Aliter.

Schol. propoſ 9. triág. rectil.

CADENTE perpendiculari intra triangulum; diuidatur ſemiſsis differentiæ inter quadratum vtriuſvis laterum ambientium angulum, à quo perpendicularis eſt demiſſa, & ſummam quadratorum ex alijs duobus lateribus deſcriptorum, per latus, in quod perpendicularis cadit, produceturq; ſegmentum baſis prope angulum, quem continẽt duo latera, quorum ſumma quadratorum fuit accepta; hoc autem ſegmentum ex tota baſi detractum relinquet alterum ſegmentum.

CADENTE vero perpendiculari extra triangulum, diuidatur ſemiſsis differentiæ inter quadratum lateris angulo obtuſo oppoſiti, & ſummam quadratorum ex alijs duobus lateribus deſcriptorum, per latus, in quod productum perpendicularis cadit, procreabiturq; linea extra triangulum inter perpendicularem, & angulum obtuſum; hæc vero toti baſi adiecta conficiet alteram rectam inter perpendicularem, & acutum angulum baſis.

Coroll. propoſ. 8. triág. rectil.

QVOD ſi duo latera circa perpendicularem ſint æqualia, ſecabit perpendicularis baſim bifariam. Quare dimidiũ baſis dabit vtramq; rectã quęſitam.

Quærũtur duo latera.

10. DATIS omnibus angulis trianguli non rectanguli, cum vno latere, inuenire alia duo latera.

Propof. 10. triang. rectil.

FIAT, vt ſinus anguli dato lateri oppoſiti ad ſinum vtriusvis reliquorum angulorum, ita latus datum ad aliud, inuenietурq; latus poſteriori huic angulo oppoſitum. Fiat rurſus, vt ſinus anguli dato lateri oppoſiti ad ſinum tertij anguli, ita latus datum ad aliud, produceturq; tertium latus huic tertio angulo oppoſitum.

SI triangulum ſit Iſoſceles, vnius tantum lateris inuentione opus eſt, ſi vnum datum ſit, cum angulis. Idem dicendum eſt de Scaleno, ſi duo eius latera cum angulis data ſint. In Aequilatero vero, ſi vnum latus detur, data erunt & reliqua illi æqualia.

11. DA-

11. DATIS omnibus lateribus trianguli non rectanguli, reperire omnes eius angulos. Quæruntur anguli.

DVCTA ad maximum latus perpẽdiculari ex angulo opposito, (vt perpendicularis semper intra triangulum cadat) inueniãtur, per antecedens problema, rectæ inter perpendicularem, & duos angulos maximi lateris positæ. Deinde fiat, vt minimum latus ad sinum totum, ita minus segmentum basis ad aliud, gigneturq; sinus, cuius arcus complementum dabit angulum basis minimo lateri adiacentem. Rursus fiat, vt medium latus ad sinum totum, ita maius segmentum basis ad aliud, procreabiturq; sinus, cuius arcus complementum dabit angulum basis medio lateri adiacentem. Tertius vero angulus maximo lateri oppositus conflabitur ex duobus arcubus duorum sinuum inuentorum: Vel certe relinquetur post detractionem duorum angulorum inuentorum ex duobus rectis. Propos. 11. triang. rectil.

SI triangulum sit Isosceles, ducenda erit perpendicularis ad basim, quam bifariam secabit. Nam si tunc fiat, vt vnum æqualium laterum ad sinum totum, ita dimidium basis ad aliud, reperietur sinus, cuius arcus complementum dabit vnum æqualium angulorum supra basim, ac proinde & alterum. Tertius ex his duobus elicietur.

IN æquilatero dabuntur anguli, etiam si latera non dentur, cum quilibet sit tertia pars duorum rectorum, vel duæ tertiæ vnius recti.

12. DATIS duobus lateribus trianguli non rectanguli, cum angulo ab ipsis comprehenso, inuenire tertiũ latus, & reliquos angulos. Quæritur latus, cum eius angulis duobus.

SVBDVCTO angulo dato ex duobus rectis, vt aggregatum aliorum duorum habeatur, inueniatur, per 6. problema triang. rectil. ex hoc aggregato, & proportione laterum datorum eis oppositorum, (quæ eadem est, quæ inter sinus eorum reperitur) vterque eorum. Deinde fiat, vt sinus vtriusvis horum angulorum inuẽtorum ad sinum anguli in principio dati, ita latus inuento angulo, qui in aurea regula acceptus fuerit, oppositum ad aliud, inuenieturq; tertium latus. Propos. 12. triang. rectil.

QVOD si data duo latera sint æqualia, ablato angulo dato ex duobus rectis, dabit semissis residui vtrumque angulorum æqualium: Et si fiat, vt sinus vnius illorum ad sinum anguli dati, ita vnum laterum æqualium ad aliud, prodibit tertium latus.

13. DATIS duobus lateribus trianguli non rectanguli, cum angulo, qui vni eorum opponitur, inuestigare reliquos angulos, & tertium latus: si modo, quando datus angulus est acutus, constet, num angulus alteri dato lateri Quæruntur duo anguli, cum vno latere.

to lateri oppositus sit acutus etiam, an vero obtusus.

Propos. 13. triang. rectil. FIAT, vt latus datum angulo dato oppositum ad alterum latus datum, ita sinus anguli dati ad aliud, reperieturque sinus anguli alteri dato lateri oppositi, qui si acutus fuerit, (semper autem acutus erit, si datus est obtusus) ex ipso sinu inuento notus fiet; si vero obtusus, sinus inuentus dabit angulum, qui ex duobus rectis subductus quæsitum angulum alteri dato lateri oppositum relinquet: Summa autem ex dato angulo, & inuento angulo conflata, si ex duobus rectis subtrahatur, indicabit tertium angulum à datis lateribus comprehensum. Fiat deinde, vt sinus anguli dati ad sinum huius tertij anguli inuenti, ita latus datum dato angulo oppositum ad aliud, gigneturq; tertium latus quæsitum.

SI data latera sint æqualia, datus etiam erit angulus alteri dato lateri oppositus, cum dato angulo vt æqualis. Hinc tertius angulus, & tertium latus reperietur, vt prius.

TRIANGVLORVM SPHAERICORVM RECTANGVLORVM

PROBLEMATA, AC PRAXES.

Quæritur angulus nō rectus. 1. DATO arcu in triangulo rectangulo, qui recto angulo opponitur, cum alterutro arcuum circa rectum angulum, inuenire angulum huic arcui oppositum.

Probl. 1. propos. 41. triang. sphær. FIAT, vt sinus arcus dati recto angulo oppositi ad sinum totum, ita sinus arcus dati circa angulum rectum ad aliud, inuenieturq; sinus anguli huic arcui oppositi, qui quæritur. Hic autem angulus erit acutus, si datus arcus ei oppositus circa rectum angulum fuerit quadrante minor; obtusus autem, si maior.

Aliter.

Probl. propos. 55. triang. sphær. FIAT, vt sinus totus ad sinum arcus angulo recto oppositi, ita secans complementi arcus circa rectum angulum dati ad aliud, produceturq; secans complementi anguli quæsiti, qui huic arcui opponitur.

2. DATO arcu in triangulo rectangulo, qui

recto

recto angulo opponitur, cum alterutro angulorum nō rectorum, inuenire arcum huic angulo oppositum.

Quæritur arcus circa rectum angulum.

FIAT, vt ſinus totus ad ſinum arcus angulo recto oppoſiti, ita ſinus anguli dati ad aliud, reperieturq; ſinus arcus huic angulo oppoſiti, qui quæritur. Hic autem arcus quadrante minor erit, ſi datus angulus ei oppoſitus fuerit acutus; maior vero, ſi obtuſus.

Probl. 2. propoſ. 41. triang. ſphær.

3. DATO alterutro arcuum in triangulo rectangulo circa angulum rectum, cum angulo ei oppoſito, reperire arcum recto angulo oppoſitum: ſi modo conſtet, num quadrante minor ſit, an maior; vel an alter angulus dato arcui adiacens ſit acutus, obtuſusve; vel denique, an alter arcus circa rectum angulum ſit minor quadrante, aut maior.

Quæritur arcus recto angulo oppoſitus.

FIAT, vt ſinus anguli dati ad ſinum dati arcus, ita ſinus totus ad aliud, produceturq; ſinus arcus recto angulo oppoſiti: qui ex inuento ſinu cognoſci non poterit, niſi conſtet, num ſit quadrante minor, vel maior; aut an alter angulus non rectus ſit acutus, obtuſusve; aut an alter arcus circa angulum rectum ſit minor, aut maior quadrante. Nam ſi alter angulus eſt acutus, ſi quidem & angulus datus acutus ſit; aut ſi tam ille, quam hic eſt obtuſus, erit quæſitus arcus recto angulo oppoſitus, quadrante minor: ſi vero alter ille angulus eſt acutus, & datus obtuſus; aut ille obtuſus, & hic acutus, erit idem arcus quæſitus, & angulo recto oppoſitus, quadrante maior. Sic etiam, ſi alter arcus circa angulum rectum, & datus arcus, ſunt eiuſdem ſpeciei, nempe ambo minores, aut maiores quadrante, erit arcus quæſitus recto angulo oppoſitus quadrante minor; ſi vero diuerſarum ſpecierum, nimirum vnus quadrante minor, & alter maior, erit idem arcus quæſitus quadrante maior.

Probl. 3. propoſ. 41. triang. ſphær.

Aliter.

FIAT, vt ſinus totus ad ſinum dati anguli, ita ſecans complementi arcus dati ad aliud, produceturq; ſecans complementi arcus recto angulo oppoſiti.

Probl. propoſ. 54. triang. ſphær.

4. DATIS duobus angulis non rectis in triangulo rectāgulo, inuenire arcum vtrilibet eorum oppoſitum, vna cum arcu rectum angulum ſubtendente.

Quæritur vterque arcus circa angulū rectū. Deinde arcus recto angulo oppoſitus.

Probl.1.pro pos.42. triang.sphær.

FIAT, vt ſinus anguli dati quæſito arcui adiacentis ad ſinum totum, ita ſinus complementi alterius anguli dati ad aliud, produceturq; ſinus complementi arcus huic poſteriori angulo oppoſiti. Erit autem vterlibet arcus inuentus quadrante minor, ſi datus angulus ei oppoſitus fuerit acutus; maior vero, ſi obtuſus.

IAM inuento vtroque arcu circa angulum rectum, inuenietur, per problema 3. ex vtrolibet illorum, & angulo ei oppoſito dato, arcus quoque recto angulo oppoſitus.

Aliter.

Probl. propoſ 52. triang.sphær.

FIAT, vt ſinus totus ad ſinum anguli non recti quæſito arcui adiacentis, ita ſecans alterius anguli non recti ad aliud, reperieturq; ſecans arcus huic poſteriori angulo oppoſiti, qui quæritur.

Quæritur angulus nō rectus. Deinde alij duo arcus.

5. DATO alterutro arcuum in triangulo rectangulo circa angulum rectum, cum angulo ei adiacente, inueſtigare alium angulum eidē arcui oppoſitū, & reliquos duos arcus.

Probl 2 pro poſ.42. tri ang sphær.

FIAT, vt ſinus totus ad ſinum anguli dati, ita ſinus complementi arcus dati ad aliud, procreabiturq; ſinus complementi alterius anguli, quem quærimus. Hic autem angulus erit acutus, ſi datus arcus fuerit quadrante minor; obtuſus vero, ſi maior.

EX vtroque autem angulo non recto, quorum vnus datus eſt, & alter inuentus, reperientur reliqui duo arcus, vt in præcedenti problemate dictū eſt.

Quæritur angulus nō rectus. Deinde alij duo arcus.

6. DATO alterutro arcuum in triangulo rectangulo circa angulum rectum, cum angulo ei oppoſito, inueſtigare alium angulum non rectum eidem arcui adiacentem, & reliquos duos arcus: ſi modo conſtet, num alius ille angulus non rectus quæſitus ſit acutus, obtuſusve; vel an alteruter arcuum quæſitorum quadrante minor ſit, vel maior.

Probl 2. pro poſ.42. triang.sphær.

FIAT, vt ſinus complementi arcus dati ad ſinum complementi anguli dati, ita ſinus totus ad aliud, reperieturq; ſinus alterius anguli non recti quæſiti: qui ex inuento ſinu non elicietur, niſi prius conſtet, an acutus ſit, an obtuſus: Aut, an alteruter reliquorum duorum arcuum non datorum ſit quadrante minor, aut maior. Nam ſi alter arcus circa angulum rectum non datus, & quæſito angulo oppoſitus, fuerit minor quadrante, erit quæſitus angulus acutus; ſi vero maior, obtuſus. Pari ratione, ſi arcus recto angulo oppo-

ſitus,

ſitus, & non datus, fuerit quadrante minor; ſi quidem angulus datus ſit acutus, erit quæſitus quoque angulus acutus; ſi vero obtuſus, obtuſus: At ſi arcus angulo recto oppoſitus fuerit maior quadrante; ſi quidem datus angulus ſit acutus, erit quæſitus angulus obtuſus; ſi vero obtuſus, acutus.

EX vtroque porro angulo non recto, quorum vnus datus eſt, & alter inuentus, inuenientur reliqui duo arcus, vt in problemate 4. traditum eſt.

Aliter.

FIAT, vt ſinus totus ad ſinum complementi arcus dati, ita ſecans dati anguli ad aliud, reperieturq; ſecans complementi alterius anguli non recti, qui quæritur. Reliqua inuenientur, vt ſupra dictum eſt. Probl. propoſ. 56. triang. ſphær.

7. DATIS duobus arcubus in triangulo rectangulo circa angulum rectum, reperire tertium arcum angulo recto oppoſitũ, & duos angulos non rectos. Quæritur arcus recto angulo oppoſitus. Deinde duo anguli non recti.

FIAT, vt ſinus totus ad ſinũ complementi vtriuſlibet arcuum datorum, ita ſinus complementi alterius arcus dati ad aliud, produceturq; ſinus complementi arcus recto angulo oppoſiti. Hic autem arcus quadrante erit minor, ſi vterque arcus circa rectum angulum datus fuerit minor, aut maior quadrante; quadrante vero maior, ſi vnus datorum arcuum fuerit quadrante minor, & alter maior. Probl. propoſ. 43. triang. ſphær.

EX arcu autem rectum angulum ſubtẽdente inuento, & alterutro arcuum circa angulum rectum datorum, inuenietur angulus ei oppoſitus, vt in problemate 1. diximus.

8. DATO arcu in triangulo rectangulo, qui recto angulo opponitur, cum alterutro arcuum circa angulũ rectum, inquirere alium arcum circa rectum angulum, & duos angulos non rectos. Quæritur arcus circa angulũ rectum. Deinde duo anguli non recti.

FIAT, vt ſinus complementi arcus dati circa angulum rectum ad ſinum complementi arcus recto angulo oppoſiti, ita ſinus totus ad aliud, gigneturq; ſinus complementi alterius arcus circa rectum angulum, qui quæritur. Hic autem arcus erit quadrante minor, ſi vterque arcus datus minor quadrante fuerit, aut maior; maior vero, ſi alter datorum arcuum fuerit quadrante minor, & alter maior. Probl. propoſ. 43. triang. ſphær.

INVENTO autem arcu rectum angulum ſubtendente, reperientur anguli, vt in præcedenti problemate dictum eſt.

Aliter.

FIAT, vt ſinus totus ad ſinum complementi dati arcus circa angulum re- Probl. propoſ. 53. triang. ſphær.

ctum, ita secans arcus angulo recto oppositi ad aliud, produceturq; secans tertij arcus, qui quæritur, &c.

Quæritur arcus circa angulũ rectum. Deinde alter angulus non rectus, & arcus recto angulo oppositus.

9. DATO alterutro arcuum in triangulo rectangulo circa angulum rectum, cum angulo non recto ei adiacente, scrutari alterum arcum circa angulum rectum, & alium angulum non rectum, cum arcu rectum angulum subtendente.

Probl. 1. pro pos. 44. triang. sphær.

FIAT, vt sinus totus ad sinum dati arcus, ita tangẽs dati anguli ad aliud, produceturq; tangens arcus quæsiti. Qui arcus minor quadrante erit, si datus angulus ei oppositus fuerit acutus; maior autem, si obtusus.

EX eodem porrò arcu circa angulum rectum datò, & angulo adiacente, reperietur & alter angulus non rectus, & arcus recto angulo oppositus, vt supra in 5. problemate docuimus.

Quæritur arcus circa angulũ rectum. Deinde alter angulus non rectus, & arcus recto angulo oppositus.

10. DATO alterutro arcuum in triangulo rectangulo circa angulum rectum, cum angulo ei opposito, indagare alterum arcum circa rectum angulum, & alium angulum non rectum, cum arcu rectum angulum subtendente: si modo constet, an reliquus arcus circa angulum rectum quęsitus quadrante minor sit, aut maior; vel an alter angulus non rectus sit acutus, obtususve; vel denique num arcus angulo recto oppositus sit minor quadrante, aut maior.

Probl. 1. pro pos. 44. triang. sphær.

FIAT, vt tangens anguli dati ad tangentem dati arcus, ita sinus totus ad aliud, reperieturq; sinus arcus quæsiti: qui ex inuento sinu non cognoscetur, nisi cõstet, num quadrante minor sit, aut maior; vel an alter angulus non rectus sit acutus, obtususve; vel denique, an arcus recto angulo oppositus sit minor quadrante, aut maior. Nam si alter angulus fuerit acutus, erit quæsitus arcus ei oppositus, quadrante minor; si vero obtusus, maior. Sic etiam, si arcus recto angulo oppositus fuerit minor quadrante, si quidem & datus arcus sit quadrante minor, erit quæsitus arcus minor quoque quadrante; si vero quadrãte maior, maior quoque: At si arcus recto angulo oppositus fuerit quadrante maior, si quidem datus arcus maior quoque sit, erit quęsitus arcus minor quadrante; si vero quadrante minor, maior.

IAM vero ex eodem arcu circa angulum rectum dato, & angulo opposito, reperietur & alter angulus non rectus, & arcus recto angulo oppositus, vt in problemate 6. traditum est. Vel certe, ex duobus arcubus circa angulum rectum, quorum vnus datus est, & alter inuentus, inuenietur arcus recto angulo oppositus, cum duobus angulis non rectis, vt in problemate 7. traditum est.

Aliter.

FIAT, vt sinus totus ad tangentem dati arcus, ita tangens complementi anguli dati ad aliud, reperieturq; sinus arcus quæsiti. Reliqua inuenientur, vt proxime præcepimus. Probl. propos. 49. triang. sphær.

11. DATIS duobus arcubus in triangulo rectangulo circa angulum rectum, inuenire vtrumlibet angulorum non rectorum, & arcum præterea recto angulo oppositum. Quæritur vterque angulus non rectus. Deinde arcus recto angulo oppositus.

FIAT, vt sinus vtriusvis arcuum datorum ad sinum totum, ita tangens alterius arcus dati ad aliud, procreabiturq; tangens anguli huic posteriori arcui oppositi. Qui angulus acutus erit, si datus arcus oppositus fuerit quadrante minor; obtusus autem, si maior. Probl. 2. propos. 44. triang. sphær.

EX eisdem duobus arcubus datis inuenietur, per 7. problema, arcus tertius recto angulo oppositus: Vel certe, per problema 3. ex alterutro arcuum datorum, & angulo opposito inuento.

Aliter.

FIAT, vt sinus totus ad sinum vtriusvis arcuum datorum, ita tangens complementi alterius arcus dati ad aliud, prodibitq; tangens complemẽti anguli posteriori huic arcui oppositi. Reliqua inueniẽtur, vt proxime dictum est. Probl. propos. 48. triang. sphær.

12. DATO alterutro arcuum in triangulo rectangulo circa angulum rectum, cum angulo non recto ei adiacente, inuenire arcum recto angulo oppositum, & reliquum arcum circa angulum rectum, cum altero angulo non recto. Quęritur arcus recto angulo oppositus. Deinde alter arcus circa rectũ angulum, cum altero angulo nõ recto.

FIAT, vt sinus complementi anguli dati ad sinum totum, ita tangens dati arcus ad aliud, reperieturq; tangens arcus angulo recto oppositi. Hic autem arcus quadrante erit minor, si datus angulus fuerit acutus, & datus arcus ei adiacens quadrante minor; aut si angulus datus obtusus fuerit, & arcus datus quadrante maior: Maior autem quadrante erit idem arcus quæsitus, Probl. 1. propos. 45. triang sphær.

si datus

si datus angulus fuerit acutus, & arcus datus quadrante maior; aut si datus angulus fuerit obtusus, & arcus datus minor quadrante.

IAM vero, per 2. problema, ex arcu rectum angulum subtendente inuento, & angulo dato, reperietur alter arcus circa angulum rectum dato angulo oppositus. Ex eodem vero arcu rectum angulum subtendente, & arcu in principio dato, inuenietur, per 1. problema, alter angulus non rectus dato arcui oppositus.

Aliter.

Probl. propos. 46. triang. sphær.

FIAT, vt sinus totus ad sinum complementi anguli dati, ita tangens complementi arcus dati ad aliud, inuenieturq; tangens complementi arcus recto angulo oppositi. Reliqua reperientur, vt prius.

Quæritur angulus nõ rectus. Deinde alter arcus circa rectum angulũ, & alter angulus non rectus.

13. DATO alterutro arcuum in triangulo rectangulo circa angulum rectum, cum arcu rectum angulum subtendente, reperire angulum à dictis arcubus comprehensum, siue dato arcui circa rectum angulum adiacentem, & insuper reliquum arcum, & angulum.

Probl. 2. propos. 45. triang. sphær.

FIAT, vt tangens arcus recto angulo oppositi ad tangentem dati arcus circa angulum rectum, ita sinus totus ad aliud, produceturq; sinus complementi anguli à dictis arcubus comprehensi, qui quæritur. Hic autem acutus erit, si datus arcus recto angulo oppositus fuerit quadrante minor, & arcus circa rectum angulum datus minor quoque; aut si tam ille, quam hic quadrante maior fuerit: Idem vero angulus quæsitus erit obtusus, si datus arcus angulo recto oppositus fuerit minor quadrante, & datus arcus circa rectum angulum quadrante maior; aut si ille fuerit quadrante maior, & hic minor.

RELIQVA inuestigabũtur, vt in præcedenti problemate traditum est.

Aliter.

Probl. propos. 51. triang. sphær.

FIAT, vt sinus totus ad tangentem complementi arcus angulo recto oppositi, ita tangens dati arcus circa rectum angulum ad aliud, inuenieturq; sinus complementi anguli adiacentis, qui desideratur.

Quæritur arcus circa angulũ rectum. Deinde alter arcus circa angulum rectum, cum reliquo angulo non recto.

14. DATO arcu rectum angulum subtendente in triangulo rectangulo, cum alterutro angulorum non rectorum, reperire arcum circa angulum rectum huic angulo adiacẽtem, ac præterea alterum arcum circa angulum rectum, cum altero angulo non recto.

FIAT,

FIAT, vt sinus totus ad sinum complementi anguli dati, ita tangens arcus recto angulo oppositi ad aliud, procreabiturq; tangens arcus quæsiti. Qui quadrãte minor erit, si arcus datus recto angulo oppositus fuerit minor quadrante, & datus angulus acutus; aut si arcus datus quadrante fuerit maior, & angulus datus obtusus: Idem vero arcus quæsitus erit quadrante maior, si datus arcus angulo recto oppositus fuerit minor quadrãte, & datus angulus obtusus; aut si arcus datus fuerit quadrante maior, & datus angulus acutus. Probl. 3. propos. 45. triãg. sphær.

CAETERA explorabuntur, vt in problemate 12. docuimus.

15. DATO arcu in triangulo rectangulo, qui recto angulo opponitur, cum alterutro angulorum non rectorum, inquirere alterum angulum non rectum, & duos arcus circa rectum angulum.

Quæritur angulus nõ rectus. Deinde duo reliqui arcus.

FIAT, vt sinus totus ad sinum complementi dati arcus recto angulo oppositi, ita tangens anguli dati ad aliud, reperieturq; tangens complementi anguli quæsiti. Hic vero erit acutus, si arcus recto angulo oppositus fuerit quadrante minor, & datus angulus acutus; aut si datus arcus fuerit maior quadrante, & datus angulus obtusus: At angulus idem quæsitus erit obtusus, si arcus angulo recto oppositus quadrante minor fuerit, & angulus datus obtusus; aut si arcus ille fuerit quadrante maior, & datus angulus acutus. Probl. propos. 47. triang. sphær.

HINC ex dato arcu angulum rectum subtendente, & vtroque angulo non recto, quorum vnus datus est, & alter inuentus, reperietur, per 2. problema, vterque arcus circa rectum angulum.

16. DATIS duobus angulis non rectis in triangulo rectangulo, inuenire arcum recto angulo oppositum, & reliquos duos arcus circa angulum rectum.

Quæritur arcus angulo recto oppositus. Deinde duo arcus circa angulum rectum.

FIAT, vt sinus totus ad tangentem complementi vtriusvis angulorum datorum, ita tangens complementi alterius dati anguli ad aliud, procreabiturq; sinus complementi arcus angulo recto oppositi, quem desideramus. Hic arcus erit quadrante minor, si vterque angulorum datorum acutus fuerit, obtususve; quadrante vero maior, si alter acutus fuerit, & alter obtusus. Probl. propos. 50. triang. sphær.

PORRO ex arcu rectum angulum subtendente inuento, & vtriusuis angulorum datorũ, reperietur arcus ei oppositus, vt in 2. problem. traditum est.

TRIAN-

TRIANGVLORVM SPHAERICORVM NON RECTANGVLORVM
PROBLEMATA, ET PRAXES.

Quærũtur omnes arcus.

17. DATIS omnibus angulis trianguli non rectanguli, inuenire omnes eius arcus.

Quãdo omnes anguli dati sũt inæquales.

SINT primum omnes anguli dati in triangulo A B C, inæquales, quorum duo B,C, acuti, vel obtusi,& ex tertio angulo A, ad B C, ducatur arcus perdendicularis A D, qui intra triangulum cadet. Sta-



Propos. 62. triãg. sphęr.

tuantur sinus complementorum angulorum B,C, pro terminis proportionis sinus anguli B A D, ad sinum anguli C A D. Atque ex hac proportione, & aggregato angulorum B A D, C A D, hoc est, ex dato angulo B A C, inquiratur, per problema 6. triang. rectil. vterque angulus B A D, C A D. Deinde, per problema 16. triang. sphær. tam ex duobus angulis B, B A D, non rectis inuestigetur arcus A B, angulo recto D, oppositus in triangulo A B D, quam ex duobus angulis non rectis C, C A D, arcus A C, recto angulo D, in triãgulo AC D, oppositus. Postremo, per problema 2. tam ex arcu A B, rectum angulum D, subtendente, & angulo B A D, inuentis reperiatur arcus B D, quam ex arcu A C, rectum angulum D, subtendente, & angulo C A D, inuentis arcus C D. Summa enim arcuum B D, C D, totum arcum B C, efficiet notum. Atque ita omnes tres arcus A B, AC, B C, noti facti erunt.

Per solos sinus, quãdo omnes dati anguli inęquales sũt.

PER solos sinus ita problema absoluemus. Vterque angulus B A D, C A D, *inueniatur per* 3. *praxim problematis* 6. *triang. rectil. Deinde, per* 1. *praxim problematis* 4. *triang. sphær. tam ex duobus angulis* B, B A D, *inuestigetur arcus* B D, *quam ex duobus angulis* C, C A D, *arcus* C D. *Summa enim arcuum* B D, C D, *totum arcum* B C, *notum efficiet. Postremo, per problema* 3. *triang. sphær. reperiatur tam arcus* A B, *recto angulo* D, *oppositus, ex arcu* B D, *& angulo ei opposito* B A D, *inuentis, quam arcus* A C, *recto angulo* D, *oppositus, ex arcu* C D, *& angulo* C A D, *ei opposito inuentis: quia preter data constat etiam species tam alterius anguli* B, *quam anguli alterius* C, *cum vterque datus sit.*

QVOD si quando alter angulorum ad A, inuentus fuerit rectus, nempe B A D; inuenti erunt duo arcus A B, B D, cum vterque sit quadrans, ob rectos angulos D, D A B. Eadem ratione, si deprehensus fuerit angulus C A D, rectus, non autem B A D, (fieri enim non potest, vt angulus vterque ad A, rectus sit, cum totus B A C, minor sit duobus rectis.) inuenti erunt duo arcus A C, C D, vtpote quadrantes, ob angulos rectos D, D A C.

Quãdo dati duo anguli sunt æquales.

SINT deinde duo saltem anguli dati B, C, æquales, quicquid sit de tertio A, à quo arcus perpendicularis A D, ad B C, ducatur. Erunt tam duo arcus A B, A C, quam duo B D, C D, & duo anguli ad A, æquales; ac proinde vterque angulus ad A, cognitus, tanquam dimidium dati anguli B A C. Inueniatur

niatur ergo, per 16. problema, triang. sphær. arcus A B, recto angulo D, oppositus, ex duobus angulis B, B A D; eritq; proinde & A C, illi æqualis, cognitus. Deinde, per problema 14. triang. sphær. ex inuento arcu A B, rectum angulum subtendente, & dato angulo B, reperiatur arcus B D; eritq; propterea & C D, illi æqualis, cognitus; ideoq; & totus B C, notus. Inuentiq; iam erunt omnes tres arcus A B, A C, B C.

PER *solos autem sinus ita rem exequemur. Per 1. praxim problematis 4. triang. sphær. inquiratur arcus* B D, *ex duobus angulis* B, B A D; *eritq; idcirco & C D, illi æqualis, cognitus, proptereaq; & totus* B C, *notus. Deinde, per problema 3. triang. sphær. ex arcu inuento* B D, *& angulo ei opposito* B A D, *reperiatur arcus* A B, *recto angulo oppositus: quia præter data constat etiam species alterius anguli* B, *cum datus sit: eritq; propterea & arcus* A C, *ipsi* A B, *æqualis, cognitus.* Per solos sinus, quãdo duo dati anguli sunt æquales.

18. DATIS omnibus arcubus trianguli non rectanguli, inuestigare omnes eius angulos.

Quæruntur omnes anguli.

SINT omnes arcus in triangulo A B C, dati, sitq; primo loco inquirendus angulus A, & duo arcus A B, A C, eum continentes sint inæquales, quadranteq; minores, quicquid sit de arcu B C. Productis arcubus A B, A C, vt fiant quadrantes A D, A E, describatur per D, E, arcus circuli maximi D E, occurrens arcui B C, producto versus maiorem arcum, qui sit A C, in puncto F. Statuantur sinus complementorum arcuum datorum A B, A C, pro terminis proportionis sinus arcus B F, ad sinum arcus C F. Atque ex hac proportione, & arcu dato B C, qui differentia est arcuum B F, C F, inuestigetur, per problema 8. triang. rectil. vterque arcus B F, C F. Quãdo duo dati arcus sunt inæquales, & quadrante minores. Prop. 63. triãg. sphær.

Deinde, per problema 8. triang. sphær. inuestigetur tam arcus D F, ex arcu inuento B F, rectum angulum D, subtẽdente, & arcu B D, qui complementum est dati arcus A B; quam arcus E F, ex arcu inuento C F, rectum angulum E, subtendente, & arcu C E, qui complementum est dati arcus A C. Subducto enim arcu E F, inuento, ex inuento arcu D F, notus remanebit arcus D E, anguli, A; ac proinde angulus A, notus erit. Post hæc, per problema 11. triang. sphær. ex arcubus notis B D, D F, circa rectum angulum D, inueniatur angulus D B F, ac proinde & reliquus duorum



rectorum A B C. Eadem denique ratione, ex arcubus C E, E F, notis circa angulum rectum E, eruatur angulus E C F, atque adeo & angulus A C B, ei ad verticem æqualis. Atque ita iam omnes tres anguli A, B, C, inuenti erunt.

PER *solos sinus ita progrediemur. Vterque arcus* B F, C F, *reperiatur per 3. praxim problematis 8. triang. rectil. Deinde, per 1. praxim problematis 8. triang. sphær. tam arcus* D F, *ex arcu inuento* B F, *rectum angulum* D, *subtendente, & arcu* B D, *complemento dati arcus* A B, *inueniatur, quam arcus* E F, *ex inuento arcu* C F, Per solos sinus, quãdo dati duo arcus sũt inæquales, &

quadrante minores.

cu C F, *rectum angulum* E, *subtendente, & arcu* C E, *complemento dati arcus* A C. *Subducto enim arcu* E F, *ex arcu* D F, *notus relinquetur* D E, *arcus anguli* A; *atq; adeo angulus* A, *notus erit. Post hæc, per problema* 1. *triang. sphær. ex arcu inuento* B F, *rectum angulum* D, *subtendente, & inuento arcu* D F, *inquiratur angulus* D B F, *arcui* D F, *oppositus: Ex quo notus quoque fiet reliquus angulus duorum rectorum, nempe* A B C. *Ad extremum eadem ratione, ex arcu inuento* C F, *rectum angulum* E, *subtendente, & inuento arcu* E F, *inuestigetur angulus* E C F, *arcui* E F, *oppositus: Ex quo notus etiam fiet angulus ei ad verticem æqualis* A C B.

Quãdo duo dati arcus sũt inęquales, & quadrante maiores.



SINT deinde duo arcus inæquales A B, A C, quadrante maiores; qui producantur, donec conueniant in D: Eruntq; in triangulo D B C, duo arcus D B, D C, inæquales, & quadrante minores. Quare, vt proxime diximus, omnes eius tres anguli reperientur; ac proinde & reliqui duorum rectorum A B C, A C B, noti erunt, nec non & A, ipsi D, æqualis.

Quãdo duo arcus dati inæquales sũt, & vnus quadrante maior, & alter minor.

SIT tertio arcus A B, quadrante minor, & AC, maior quadrante. Producto A B, vt fiat quadrans A D, & abscisso ex A C, quadrante A E, ducatur per D, E, arcus circuli maximi D E, secans B C, in F, vt in priore harum duarum figurarum. Statuantur



sinus complemẽtorum arcuum datorum A B, A C, pro terminis proportionis sinus arcus B F, ad sinum arcus C F. Atque ex hac proportione, & aggregato arcuum B F, C F, hoc est, ex dato arcu B C, indagetur, per 6. problema triang. rectil. vterque arcus B F, C F. Deinde, per problema 8. triang. sphær. inueniatur tam arcus D F, ex arcu B F, inuento rectum angulum D, subtendente, & arcu B D, complemẽto dati arcus A B; quam arcus E F, ex inuento arcu C F, rectũ angulum E, subtendente, & arcu C E, complemento arcus A C, dati. Summa enim inuentorum arcuum D F, E F, dabit totum arcum D E, anguli A; ac proinde angulus A, cognitus erit. Post hæc, per problema 11. triang. sphær. peruestigetur ex arcubus D B, D F, notis circa angulum rectum D, angulus D B F, ac proinde & duorum rectorum reliquus A B C. Ac tandem eodem modo ex arcubus C E, E F, circa angulum rectum E, notis eliciatur angulus C: Inuentiq; erunt omnes tres anguli A, B, C.

Per solos sinus, quãdo dati duo arcus inæquales sunt, & vnus quadrante maior, & alter minor.

PER *solos sinus ita agendum erit. Vterque arcus* B F, C F, *per* 3. *praxim problematis* 6. *triang. rectil. inueniatur. Deinde per* 1. *praxim problematis* 8. *triang. sphær. tam arcus* D F, *ex arcu* B F, *inuento, rectumq; angulum* D, *subtendente, & arcu* B D, *complemento arcus dati* A B; *quam arcus* E F, *ex inuento arcu* C F, *qui recto angulo* E, *opponitur, & arcu* C E, *complemento dati arcus* A C, *eruatur. Nam summa inuentorum arcuum* D F, E F, *totum arcum* D E, *anguli* A, *dabit. Post hæc, per problema* 1. *triang. sphær. reperiatur ex arcu* B F, *rectum angulum* D, *subtendente, & arcu* D F, *notis, angulus* D B F, *ac proinde & duorum rectorum reliquus* A B C. *Et tandẽ eodem modo ex notis arcubus* C F, E F, *angulus* C, *inueniatur.*

SIT quarto maior arcus A B, quadrans, & A C, minor quadrante, vt in poste-

posteriore proximarum duarum figurarum. Producto arcu A C, vt fiat quadrans A D, ducatur per B, D, arcus circuli maximi B D. Deinde, per problema 8. triang. sphær. ex arcu dato B C, rectum angulum D, subtendente, & arcu C D, complemento dati arcus A C, inueniatur arcus B D, anguli A; ex quo angulus ipse A, notus erit. Post hæc, per problema 11. triang. sphær. inuestigetur ex duobus arcubus notis B D, C D, circa rectum angulum D, angulus B C D; ex quo notus quoque erit duorum rectorum reliquus A C B. Denique, per idem problema 11. ex eisdem arcubus B D, C D, reperiatur angulus C B D; qui ex recto A B D, detractus notum relinquet angulum A B C.

Quãdo duo arcus dati inæquales sũt, & maior arcus quadrans, minor autem quadrante minor.

PER *solos sinus sic procedemus. Per 1. praxim problematis 8. triang. sphær. ex dato arcu* B C, *rectum angulum* D, *subtendente, & arcu* C D, *complemento dati arcus* A C, *reperiatur* B D, *arcus anguli* A: *ex quo angulus ipse* A, *cognitus erit. Deinde ex arcubus notis* B C, B D, *per problema* 1. *triang. sphær. eruatur angulus* B C D; *ac proinde & duorum rectorum reliquus* A C B. *Eadem tandem ratione, ex notis arcubus* B C, C D, *inquiratur angulus* C B D, *qui ex recto* A B D, *demptus notum relinquet angulum* A B C.

Per solos sinus, quando maior arcus quadrans est.

SIT quinto, & vltimo maior arcus A B, quadrante maior, & minor A C, quadrans, vt in eadem posteriore proximarum duarum figurarum. Abscisso quadrante A E, ex A B, ducatur per C, E, arcus circuli maximi C E. Deinde, per problema 8. triang. sphær. ex dato arcu B C, rectum angulum E, subtendente, & arcu B E, complemento arcus dati A B, inueniatur arcus C E, anguli A; ex quo angulus ipse A, cognoscetur. Post hæc, per problema 11. triang. sphær. ex notis duobus arcubus B E, E C, circa rectum angulum E, eliciatur angulus B C E; cui si addatur rectus A C E, notus fiet totus angulus A C B. Eadem tãdem ratione ex eisdem arcubus B E, E C, inueniatur angulus E B C.

Quãdo maior arcus datus quadrãte maior est, & minor quadrans.

PER *solos sinus ita propositum exequemur. Per* 1. *praxim problematis* 8 *triang. sphær. ex dato arcu* B C, *rectum angulũ* E, *subtendente, & arcu* B E, *complemento dati arcus* A B, *inquiratur arcus* C E, *anguli* A: *fietque ita notus angulus* A. *Deinde per problema* 1. *triang. sphær. ex notis arcubus* B C, B E, *reperiatur angulus* B C E; *cui si addatur rectus* A C E, *totus* A C B, *cognitus erit. Pari ratione tandem ex arcubus notis* B C, C E, *indagetur angulus* C B E.

Per solos sinus, quãdo maior arcus datus quadrante maior est, & minor quadrans.

ALITER, & facilius, per solos sinus, quando duo arcus quæsitum angulũ comprehendentes sunt inæquales quomodocunque.

FIAT, *vt sinus totus ad sinum vtriuslibet arcuum inæqualiũ quæsitum angulum comprehendentium, ita sinus alterius arcus circa eundem angulum ad aliud, inueniet urq́; numerus quidam quartus. Deinde rursus fiat, vt numerus ille quartus inuentus ad sinum totum, ita differentia inter sinum versum arcus quæsito angulo oppositi, & sinum versum arcus, quo duo arcus quæsitum angulum ambientes inter se differunt, ad aliud, producetur q́; sinus versus anguli, qui quæritur: ex quo angulus ipse elicietur.*

EODEM *modo alij duo anguli inuestigabuntur, si arcus illos continentes fuerint inæquales.*

Praxis facilior, & generalis, per solos sinus, quãdo duo arcus angulum quæsitum continentes sunt inæquales.

SINT iam duo arcus A B, A C, quæsitum angulum A, comprehendentes, æquales. Secabit arcus perpendicularis A D, & angulum A, & basim B C, bifariam

Quãdo duo arcus dati sũt æquales.

bifariam. Inueniatur ergo, per problema 1. triang. ſphær. ex dato arcu A B, rectum angulum D, ſubtendente, & arcu B D, dimidio dati arcus B C, angulus B A D, qui duplicatus totum angulum B A C, dabit. Deinde, per problema 13. triang. ſphær. ex eiſdem notis arcubus A B, B D, reperiatur angulus B, cui æqualis eſt angulus C, (ob æquales arcus A B, A C,) ac proinde cognitus quoque.

Per ſolos ſinus, quãdo dati duo arcus æquales ſunt.

PER *ſolos ſinus ita agemus. Per* 1. *praxim problematis* 1. *triang. ſphær. inueniatur ex dato arcu* A B, *rectum angulum* D, *ſubtendente, & arcu* B D, *dimidio arcus dati* B C, *angulus* B A D, *qui duplicatus totum* B A C, *notum efficiet. Deinde per* 1. *praxim problematis* 6. *triang. ſphær. ex arcu* B D, *dimidio arcus dati* B C, *& angulo oppoſito* B A D, *inuento, (cum ſpecies alterius anguli* B, *conſtet. Nam ſi datus arcus* A B, *recto angulo* D, *oppoſitus eſt quadrante minor, angulus* B, *acutus erit, quemadmodum &* B A D, *acutus eſt: Si vero* A B, *quadrante maior eſt, erit angulus* B, *obtuſus, cum* B A D, *acutus ſit.) reperiatur angulus* B, *cui æqualis eſt angulus* C, *ob æquales arcus* A B, A C.

NEQVE vero duo duo æquales arcus eſſe poſſunt quadrãtes. Nam alias duo anguli ſupra baſim eſſent recti; atque adeo triangulum eſſet rectangulum. quod eſt contra hypotheſin.

Quæritur arcus, cum duobus angulis adiacentibus.

19. DATIS duobus arcubus trianguli non rectanguli cum angulo ab ipſis comprehenſo, inueſtigare reliquum arcum, cum reliquis duobus angulis.

Quãdo duo arcus dati ſunt inæquales, & neuter eorum quadrans.

SINT in triangulo A B C, duo arcus A B, B C, dati, cum angulo B: ſintq́; primum inæquales, & neuter eorum quadrans. Ex A, termino vnius eorum ad alterum demittatur arcus perpendicularis A D, qui an intra triangulum, an vero extra cadat, ex operatione ipſa diſcemus. Nam inueniatur, per problema 2. triang. ſphær. ex arcu dato A B, rectum angulum D, ſubtendente, & dato angulo B, arcus A D, angulo B, oppoſitus. Rurſus ex dato arcu A B, rectum angulum D, ſubtendente, & inuento arcu A D, reperiatur, per problema 8. triang. ſphær. tertius arcus B D. Si igitur arcus hic B D, inuentus fuerit minor dato arcu B C, cadet arcus A D, intra triangulum, extra vero, ſi maior. Sublato autem inuento arcu B D, ex dato arcu B C, (ſi ille hoc minor eſt) vel dempto arcu B C, dato ex inuento arcu B D, (ſi hic illo maior eſt) notus relinquetur arcus C D. Ex arcubus denique A D, C D, circa angulum rectum D, inueniatur, per problema 7. triang. ſphær. tertius arcus A C, qui quæritur.

Pro prop. 64. triãg. ſphær.



DEINDE, per problema 13. triang. ſphær. ex dato arcu A B, rectum angu-

angulum D, subtendente, & arcu inuento A D,] reperiatur angulus B A D, à dictis arcubus comprehensus. Eademq; ratione, ex inuento arcu A C, rectum angulum D, subtendente, & inuento arcu A D, inueniatur angulus C A D, à dictis arcubus comprehensus. Nam angulus C A D, additus angulo B A D, (quando arcus A D, intra triangulum cadit) vel angulus C A D, ex angulo B A D, sublatus, (quando arcus A D, cadit extra triangulum) conficiet, aut relinquet angulum quæsitum B A C.

AD extremum, per problema 13. triang. sphær. ex inuento arcu A C, rectum angulum D, subtendente, & arcu inuento C D, eliciatur angulus C: qui, vbi arcus A D, intra triangulum cadit, quæritur; at, quando arcus A D, cadit extra triangulum, subductus ex duobus rectis relinquit angulum A C B, quæsitum.

PER solos sinus sic agemus. Per problema 2. triang. sphær. reperiatur ex dato arcu A B, rectum angulum D, subtendente, & dato angulo B, oppositus arcus A D: Et hinc per 1. praxim problematis 8. triang. sphær. arcus B D. Hic enim ablatus ex dato arcu B C, (si ille hoc minor est) vel ex inuento arcu B D, ablatus datus arcus B C, (si hic illo minor est) notum relinquet arcum CD. Deinde per 1. praxim problematis 1. triang. sphær. tam ex dato arcu A B, rectum angulum D, subtendente, & arcu inuento B D, eruatur angulus oppositus B A D; quam ex inuento arcu A C, rectum angulum D, subtendente, & inuento arcu C D, oppositus angulus C A D. Nam ex duobus angulis B A D, C A D, inuentis quæsitus angulus B A C, cognoscetur, si vnus alteri addatur, quando arcus A D, intra triangulum cadit, vel, quando cadit extra, si ex B A D, detrahatur C A D. Postremo, per 1. praxim problematis 1. triang. sphær. inquiratur ex inuento arcu A C, rectum angulum D, subtendente, & arcu inuento A D, oppositus angulus C. Hic enim in priori triangulo est quæsitus, in posteriori vero reliquus duorum rectorum A C B, est is, qui quæritur.

Per solos sinus, quando dati duo arcus inæquales sũt, & neuter eorum quadrans.

QVOD si forte arcus C D, deprehendatur quadrans, (nunquam autem B D, erit quadrans, posito A B, non quadrãte) erit tunc & arcus quæsitus AC, quadrans, & angulus C A D, rectus. Atque ita sine molestia inuentus erit arcus A C, qui quæritur, & angulus C A D: ex quibus quæsitos angulos B A C, A C B, inueniemus, vt priùs.

SIT iam alter datorum arcuum inæqualium quadrans, nempe A B, à cuius extremo A, ad alterum arcus perpendicularis A D, demittatur. Erit tunc arcus quoque B D, quadrans, & angulus B A D, rectus: nec non B, polus arcus A D; ac proinde arcus A D, ex dato angulo B, notus fiet. Atque ita in hoc casu duo arcus B D, A D, cum angulo B A D, noti facti erunt, sine alio labore: ex quibus reliqua inuestigabuntur, vt prius.

Quando alter datorũ inæqualiũ arcuum est quadrans.

ALITER, & facilius, per solos sinus, quando dati duo arcus inæquales sunt quomodocunque.

Praxis facilior, & generalis, per solos sinus, quando dati duo arcus sunt inæquales.

FIAT, vt sinus totus ad sinum vtriuslibet datorum arcuum inæqualium, ita sinus alterius arcus dati ad aliud, produceturq; quidam quartus numerus. Deinde rursus fiat, vt sinus totus ad inuentum illum quartum numerum, ita sinus versus anguli dati ad aliud, reperieturq; differentia inter sinum versum tertij arcus, qui quæritur, & sinum versum differentiæ datorum arcuum inæqualium: quæ differentia in-

tia inuenta, si adÿciatur ad sinum versum differentiæ datorum arcuum, componet sinum versum tertÿ arcus quæsiti. Cognitis iam tribus arcubus propositi trianguli, reperientur alÿ duo anguli ex præcedenti problemate, præsertim ex praxi illa faciliori, si arcus duo quemlibet illorum continētes fuerint inæquales. Quòd si quando æquales sint, adhibenda erit postrema praxis eiusdem problematis præcedentis.

Quando duo arcus dati sūt æquales.

SED iam duo arcus dati A B, A C, datum angulum A, comprehendentes sint æquales, ac proinde neuter quadrans. Secabit arcus perpendicularis A D, bifariam & datum angulum A, & basim B C. Inueniatur ergo, per problema 2. triāg. sphęr. ex dato arcu A B, angulum rectum D, subtendente, & ex angulo B A D, dimidio dati anguli B A C, arcus oppositus B D: qui duplicatus totum arcum B C, quæsitum dabit. Deinde, per problema 13. triang. sphær. ex dato arcu A B, rectum angulum D, subtendente, & inuento arcu B D, inquiratur angulus B, à dictis arcubus comprehensus; cui ęqualis est angulus C, ob ęquales arcus A B, AC.

Per solos sinus, quando duo arcus dati sūt æquales.

PER *solos sinus ita res peragetur. Ex dato arcu* A B, *rectum angulum* D, *subtendente, & angulo* B A D, *dimidio dati anguli* B A C, *reperiatur, per problema* 2, *triang. sphær, arcus oppositus* B D: *qui duplicatus quæsitum totum* B C, *offeret. Deinde, per* 1. *praxim problematis* 6. *triang. sphær. ex inuento arcu* B D, *& angulo* B A D, *dimidio anguli* B A C, *dati (cum præterea constet species alterius anguli* B. *Nam si arcus* A B, *fuerit minor quadrante, erit angulus* B, *acutus, sicut &* B A D, *acutus est: Si vero* A B, *sit quadrante maior, erit* B, *obtusus, cum* B A D,, *acutus sit.) eliciatur angulus* B; *cui angulus* C, *æqualis est.*

Quærūtur duo arcus, cū angulo ab ipsis cōprehenso.

20. DATIS duobus angulis trianguli non rectanguli, cum arcu ipsis adiacente, indagare reliquos arcus, cum angulo reliquo.

Quādo dati anguli sūt inæquales, & arcus adiacens non quadrans.

Propos. 65. triāg. sphęr.

SINT in triangulo A B C, dati duo anguli B, B A C, cum arcu A B, adiacente: sintq; primum dati anguli inæquales, & arcus A B, non quadrans. Ex altero datorum angulorum, nempe ex A, ad arcum oppositum B C, demittatur arcus perpendicularis, qui an intra triangulum cadat, an extra, operatio ipsa docebit. Inueniatur enim per problema 15. triang. sphær. ex dato arcu A B, angulum rectum D, subtendente, & dato angulo B, alter angulus nō rectus B A D: qui si minor fuerit angulo dato B A C, cadet arcus A D, intra triangulum; extra vero, si maior. In priori casu subductus angulus BAD, inuentus ex dato angulo B A C; in posteriori vero datus angulus B A C, ex inuēto BAD, detractus, notum relinquet angulum C A D. Rursus, per problema 2. triang. sphær. ex dato arcu AB, angulum rectum D, subtendente, & angulo B, dato, reperiatur arcus A D, oppositus. Item, per problema 12. triang. sphær. ex inuento arcu AD, & an-



& angulo adiacente C A D, inuento, eruatur arcus A C, recto angulo D, oppositus; qui quidem est vnus ex quæsitis.

DEINDE, per problema 8. triang. sphær. tam ex dato arcu A B, rectum angulum D, subtendente, & inuento arcu A D, indagetur arcus B D; quam ex inuento arcu A C, rectum angulum D, subtendente, & arcu inuento A D, arcus C D: qui adiectus ad inuentum arcum B D, cadente arcu A D, intra triangulum, vel subductus ex eodem arcu B D, cadente arcu A D, extra triangulum, notum dabit alterum arcum B C, quæsitum.

AD extremum, per problema 15. triang. sphær. inuestigetur ex inuento arcu AC, rectum angulum D, subtendente, & angulo inuento CA D, angulus A C D: qui in priori triangulo est is, qui quæritur; in posteriori autem subductus ex duobus rectis reliquum facit A C B, quæsitum.

PER *solos sinus sic negotium absoluetur. Per problema 2. triang. sphær. inueniatur ex dato arcu* A B, *rectum angulum* D, *subtendente, & angulo dato* B, *arcus oppositus* A D: *Et per 1. praxim problematis 8. triang. sphær. reperiatur ex dato arcu* A B, *rectum angulum* D, *subtendente, & inuento arcu* A D, *tertius arcus* B D. *Item per 1. praxim problematis 1. triang. sphær. inquiratur ex dato arcu* A B, *angulum rectum* D, *subtendente, & inuento arcu* B D, *angulus oppositus* B A D: *qui ablatus ex dato* B A C, *(si ille hoc minor est) vel ex eo datus* B A C, *detractus, (si hic illo minor est) notũ relinquet angulum* C A D. *Rursus per problema 5. triang. sphær. ex inuento arcu* AD, *& angulo adiacẽte* CAD, *eruatur angulus* A C D: *qui in priori triangulo est quæsitus, in posteriori vero reliquus duorũ rectorum* ACB, *quæsitus est.* Per solos sinus, quãdo dati anguli sũt inæquales, & arcus adiacẽs nõ quadrans.

POST *hæc, per 1. praxim problematis 4. triang. sphær. ex vtroque angulo* C A D, A C D, *inuento reperiatur arcus* C D: *qui in priori triangulo additus iamdudum inuento arcui* B D, *vel in posteriori ab eo ablatus, notum faciet arcum* B C, *quæsitum.*

DENIQVE, *per problema 7. triang. sphær. inueniatur ex inuentis arcubus* A D, C D, *circa angulum rectum* D, *arcus tertius* A C, *recto angulo* D, *oppositus, qui quæritur. Atque ita inuenti erunt duo reliqui arcus* B C, A C, *cum reliquo angulo* A C B.

QVOD si quando angulus inuentus C A D, fuerit rectus, (B A D, nunquam potest esse rectus, posito A B, non quadrante) erunt A C, C D, quadrantes; & A D, arcus anguli C; ac proinde angulus C, notus fiet ex inuento arcu A D. Reliquus autem arcus B C, cognoscetur ex inuento arcu B D, & quadrante C D, veluti prius.

IAM vero si datus arcus A B, sit quadrans, existentibus adhuc angulis B, B A C, datis inæqualibus, erit angulus B A D, rectus, & arcus quoque B D, quadrans. Item B, erit polus arcus A D; propereaq; arcus ipse A D, ex dato angulo B, cognitus erit. Inuentis autem tunc tanta facilitate arcubus A D, B D, & angulo recto B A D, reperiemus cætera, vt prius. Quãdo datus arcus est quadrans.

SINT deinde in triangulo A B C, dati duo anguli B, C, æquales, cum arcu B C, adiacente, siue quadrans is sit, siue non. Erunt arcus A B, A C, æquales, & arcus perpendicularis A D, ex tertio angulo A, ad B C, demissus secabit & arcum B C, & angulum A, bifariam. Inueniatur ergo, per problema 12. triang. sphær. ex arcu B D, dimidio dati arcus B C, & dato angulo B, adiacente, arcus A B, recto angulo D, oppositus; cui cum æqualis sit AC, Quãdo dati duo anguli sũt æquales.



inuen-

inuenti erunt reliqui duo arcus. Rursus, per problema 5. triang. sphær. ex eodem arcu B D, dimidio dati arcus B C, & dato angulo B, adiacente reperiatur alter angulus non rectus B A D. Hic namque duplicatus totum quæsitum angulum B A C, dabit.

Per solos sinus, quãdo duo anguli dati sũt æquales.

PER solos sinus ita operabimur. Per problema 5. triang. sphær. inueniatur ex arcu B D, dimidio dati arcus B D, & dato angulo B, adiacente angulus B A D: qui duplicatus dabit totum B A C, quæsitum. Deinde per 1. praxim problematis 3. triang. sphær. ex arcu B D, dimidio dati arcus B C, & inuento angulo B A D, opposito reperiatur (cum præterea constet species alterius anguli B, qui datus est) arcus A B, recto angulo D, oppositus: cui æqualis est A C.

Quærũtur duo arcus, cũ vno angulo.

21. DATIS duobus angulis trianguli non rectanguli, cum arcu qui alteri illorum opponitur, reliquos arcus, cum reliquo angulo inuestigare: si modo constet, num arcus alteri angulo dato oppositus quadrante maior sit, aut minor, aut certe quadrans.

Quãdo dati duo anguli inæquales sunt, & arcus datus non quadrans.

SINT in triangulo A B C, dati duo anguli B, C, primum inæquales, cum arcu A B, qui angulo C, opponitur, non quadrante, constetq́; præterea species arcus A C, alteri angulo dato B, oppositi. Ducatur ex tertio angulo A, ad arcum B C, arcus perpendicularis A D; qui intra triangulum cadet, si vterque angulus datus B, & C, est acutus, vel obtusus; extra vero, si vnus acutus, & alter obtusus est.



Propos. 66. triãg. sphær.

Inuestigetur, per problema 2. triang. sphær. ex dato arcu A B, rectum angulum D, subtendente, & dato angulo B, arcus oppositus A D. Item, per problema 14. triang. sphær. ex eodem dato arcu A B, angulum rectum D, subtendente, & dato angulo B, eliciatur arcus B D. Rursus reperiatur, per problema 15. triang. sphær. ex eodem dato arcu A B, rectum angulum D, subtendente, & dato angulo B, angulus B A D. Ad hæc, per problema 3. triang. sphær. inueniatur quoque ex inuento arcu A D, & dato angulo C, opposito (Nam, cadente arcu A D, extra triangulum, angulus A C D, arcui A D, oppositus relinquitur notus post subtractionem dati anguli A C B, ex duobus rectis) arcus A C, recto angulo D, oppositus, cum eius species constare ponatur. Atque ita inuentus erit arcus A C, vnus ex quæsitis.

DEINDE, per problema 14. triang. sphær. reperiatur ex inuento arcu A C, rectum angulum D, subtendente, & dato angulo C, arcus C D: qui additus arcui B D, supra inuento, vel ex eo detractus, (prout nimirũ arcus A D, intra triangulum cadit, aut extra) notum faciet arcum B C, qui est alter ex quæsitis.

AD extremum, per problema 15. triang. sphær. ex inuento eodem arcu A C, re-

A C, rectum angulum D, subtendente, & dato angulo C, inueniatur angulus C A D: qui additus angulo B A D, si arcus intra triangulum cadit, vel si extra, ex eodem subductus, cognitum efficiet angulum B A C, quæsitum.

SOLIS sinubus vtemur sic. Per problema 2. triang. sphær. ex dato arcu A B, rectum angulum D, subtendente, & dato angulo B, inquiratur arcus oppositus A D. Et hinc, per 1. praxim problematis 8. triang. sphær. ex dato arcu A B, angulum rectum D, subtendente, & inuento arcu A D, reperiatur tertius arcus B D. Et rursus, per 1. praxim problematis 1. triang sphær. ex dato arcu A B, rectum angulum D, subtendente, & inuento arcu B D, eruatur angulus oppositus B A D. Post hæc, per 1. praxim problematis 3. triang. sphær. eliciatur ex inuento arcu A D, & opposito angulo dato C, arcus A C, recto angulo D, oppositus, cum eius species constet ex hypothesi: qui arcus A C, ex quæsitis vnus est. Per solos sinus, quãdo dati duo anguli sũt inæquales, & arcus datus non quadrans.

DEINDE, per 1. praxim problematis 8 triang. sphær. ex inuento arcu A C, rectum angulum D, subtendente, & arcu A D, reperiatur tertius arcus C D: ex quo, si in priori triangulo arcui B D, inuento addatur, vel in posteriori ex eodem subtrahatur, cognitus fiet alter arcus quæsitus B C.

PER 1. praxim denique problematis 1. triang. sphær. ex arcu A C, angulum rectum D, subtendente, & arcu C D, inuento, inquiratur angulus oppositus C A D. Nam hic in priori triangulo additus inuento angulo B A D, vel in posteriori ab eodem demptus, notum faciet angulum B A C, quæsitum.

QVOD si quando arcus A C, alteri angulo B, dato oppositus sit quadrãs, quod euenire potest, non existẽte quadrante A B, (quo in casu nunquam quadrans esse poterit A D, vel B D,) erit quoque C D, quadrans, & angulus C A D, rectus. Quare non laborandum tunc erit in inquisitione arcuum A C, C D, & anguli C A D: sed ex ijs inueniendus erit arcus B C, & angulus B A C, vt diximus.

VERVM sit iam datus arcus A B, quadrans, & adhuc dati duo anguli B, C, inæquales. Quo posito, erit & B D, quadrans, & angulus B A D, rectus; nec non B, polus arcus A D; ac proinde arcus A D, ex dato angulo B, cum eius arcus sit, notus fiet. Cognitis autem tanta facilitate arcubus B D, A D, cum angulo recto B A D, inuenientur reliqua, vt prius. Quãdo datus arcus quadrãs est, & dati duo anguli inæquales.

SINT tandem dati duo anguli B, C, æquales. Diuidet arcus A D, & basim B C, & angulum A, bifariam; & arcus A B, A C, æquales erunt. Inquiratur, per problema 14. triang. sphær. ex dato arcu A B, angulum rectum D, subtendente, & dato angulo B, arcus B D: qui duplicatus totum quæsitum B C, offeret. Alter autem quæsitus A C, datus erit, cum dato A B, sit æqualis. Rursus, per problema 15. triang. sphær. ex eodem arcu dato A B, & angulo B, eliciatur angulus B A D; quo duplicato, habebitur totus B A C, qui quæritur. Quãdo duo anguli dati sunt æquales.



PER solos sinus ita absoluemus problema. Per problema 2. triang. sphær. inuestigetur arcus A D, ex dato arcu A B, rectum angulum D, subtendente, & dato angulo B, arcui A D, opposito. Atque hinc, per 1. praxim problematis 8. triang. sphær. reperiatur ex dato arcu A B, angulum rectum D, subtendente, & inuento arcu A D, tertius arcus B D: qui duplicatus totum quæsitum B C, dabit. Deinde, per 1. praxim problematis 1. triang. sphær. ex dato arcu A B, rectum angulum D, subtendente, Per solos sinus, quãdo duo anguli dati sũt æquales.

 & arcu

& arcu B D, *inuento indagetur angulus oppositus* B A D: *qui duplicatus offeret totum* B A C, *quæsitum*.

IN hoc porro casu non potest datus arcus A B, esse quadrans.

Quæruntur duo anguli cum vno arcu.

22. DATIS duobus arcubus trianguli non rectanguli, cum angulo, qui alteri eorum opponitur, reliquos angulos, cum reliquo arcu scrutari: si modo constet, num angulus alteri arcui dato oppositus acutus sit, aut obtusus.

Quãdo dati duo arcus sũt inęquales, & neuter eorum quadrans.

Propos. 67. triãg. sphęr.

SINT in triangulo A B C, dati duo arcus A B, A C, cum angulo B, qui arcui AC, opponitur: sint autem primum illi arcus inæquales, & neuter quadrans, constetq; præterea species anguli C, alteri arcui dato A B, oppositi. Ducatur ex angulo A, à datis arcubus comprehenso ad arcum B C, arcus perpendicularis, qui intra triangulum cadet, si vterque angulus B, C, sit acutus, vel obtusus; extra vero, si vnus acutus sit, & alter obtusus. Constat autem, an vterque angulus acutus sit, obtususve, an non; quia angulus B, datus est, cum specie anguli C. Inquiratur ergo, per problema 2. triang. sphær. ex dato arcu A B, angulum rectum D, subtendente, & angulo dato B, arcus oppositus A D. Et hinc, per problema 8. triang. sphær. ex eodem arcu dato A B, & arcu inuento A D, eliciatur tertius arcus B D. Hinc rursus, per problema 1. triang. sphær. ex dato arcu A B, rectum angulum D, subtendente, & arcu B D, inuento reperiatur angulus B A D, arcui B D, oppositus: Et per problema 13. triãg. sphær. ex dato arcu A C, rectum angulum D, subtendente, & arcu A D, inuento eruatur angulus C A D, à dictis arcubus comprehensus. Nam hic angulus adiectus ad inuentum angulum B A D, vel ab eodem subtractus, (prout arcus A D, cadit intra, vel extra triangulum) dabit quæsitum angulum BAC. Inueniatur præterea, per problema 15. triang. sphær. ex dato arcu A C, rectum angulum D, subtendente, & inuento angulo C A D, angulus A C D: qui erit is, quem quærimus, si arcus A D, intra triangulum cadit, si vero extra, ablatus ex duobus rectis dabit angulum A C B, quæsitum: sicq; duo reliqui anguli B A C, A C B, erunt cogniti.



DEINDE, per problema 8. triang. sphær. ex dato arcu A C, angulum rectum D, subtendente, & inuento arcu A D, inquiratur arcus C D. Hic enim additus arcui inuento B D, vel ab eodem subductus (prout arcus A D, intra triangulum cadit, vel extra) notum offeret quæsitum arcum B C.

IN hoc porro casu, nullus arcuum A D, B D, C D; quadrans esse potest.

PER *solos sinus ita erit agendum. Per problema* 2. *triang. sphær. ex dato arcu* A B, *an-*

A B, angulum rectum D, subtendente, & angulo dato B, inueniatur oppositus arcus A D: Atque hinc, per 1. praxim problematis 8. triang. sphær. ex dato arcu A B, dato rectum subtendente angulum D, & inuento arcu A D, eruatur tertius arcus B D: Atque hinc rursus, per 1. praxim problematis 1. triang. sphær. ex arcu A B, angulum rectum D, subtendente, & arcu inuento B D, reperiatur angulus oppositus B A D: Nec non, per 1. praxim problematis 8. triang. sphær. ex dato arcu A C, rectum angulum D, subtendente, & arcu inuento A D, eruatur tertius arcus C D; qui vel additus arcui inuento B D, vel ex eo subtractus, (prout arcus A D, cadit intra, vel extra triangulum) dabit quæsitum arcum B C. Per solos sinus, quando duo arcus dati sũt inæquales, & neuter eorum quadrans.

DEINDE *inuestigetur per 1. praxim problematis 1. triang sphær. ex dato arcu A C, rectum angulum D, subtendente, & inuento arcu C D, angulus oppositus C A D: qui angulo B A D, adiunctus, vel ab eo demptus, (prout arcus A D, intra triangulum, aut extra cadit) exhibebit quæsitum angulum B A C. Denique per problema 5. triang. sphær. ex arcu inuento A D, & inuento angulo adiacente C A D, reperiatur angulus alter A C D: qui erit ex quæsitis alter, si arcus A D, intra triangulum cadit, si vero cadit extra, detrahendus erit ex duobus rectis, vt reliquus fiat alter angulus quæsitus A C B.*

QVOD si alter datorum arcuum sit quadrans; si quidem A B, quadrans fuerit, erit quoque B D, quadrans, & angulus B A D, rectus, nec non B, polus arcus A D, ac proinde arcus A D, cognoscetur ex dato angulo B. Atque ita cognitis arcubus A D, B D, & angulo recto B A D, reliqua inueniemus, vt prius. Pari ratione, si A C, fuerit quadrans, erit quoque C D, quadrans, & angulus C A D, rectus, nec non C, polus arcus A D; atque adeo inuentus arcus A D, notum faciet angulum suum A C D; qui vnus erit ex quæsitis, si arcus A D, intra triangulum cadit; si vero cadit extra, idem ex duobus rectis detractus relinquet quæsitum angulum A C B. Inuentis autem tanta facilitate angulis C A D, A C D, & arcu C D, reperientur cætera, vt prius. Quãdo alter datorũ arcuum est quadrans.

SINT iam dati duo arcus A B, A C, æquales. Secabit arcus A D, & basim B C, & angulum A, bifariam, anguliq; B, C, æquales erunt; atque ita inquirendus erit tantum angulus B A C, cum arcu B C. Inquiratur ergo, per problema 15. triang. sphær. ex dato arcu A B, rectum angulum D, subtendente, & dato angulo B, angulus B A D; qui duplicatus offeret totum quæsitum B A C. Rursus, per problema 2. triang. sphær. ex arcu A B, angulum rectum D, subtendente, & inuento angulo B A D, reperiatur arcus oppositus B D: qui duplicatus totum quæsitum B C, dabit. Quãdo duo arcus dati sũt ęquales.

PER *solos sinus sic. Per problema 2. triang. sphær. inueniatur ex dato arcu A B, angulum rectum D, subtendente & dato angulo B, arcus oppositus A D: Atque hinc per 1. praxim problematis 8. triang. sphær. ex dato arcu A B, rectum angulum D, subtendente, & inuento arcu A D, reperiatur tertius arcus B D; qui duplicatus totum quæsitum B C, exhibebit. Per problema tandem 5. triang. sphær. inuestigetur ex inuento arcu B D, & dato angulo B, adiacente angulus B A D, arcui B D, oppositus. Hic enim duplicatus dabit totum B A C, quem desideramus.* Per solos sinus, quando dati duo arcus sunt æquales.

CAETERVM, vt facilius problema illud, quod maxime optamus, præsertim in sphæricis triangulis, inuenire possimus, confecimus hic indicem omnium problematum ad calculum necessariorum: quibus quidem numeros pręfiximus, qui indicent, quem ordinem quodlibet inter problemata, quorum praxes proxime exposuimus, obtineat; quemadmodum & supra problematibus ipsis in margine adscripsimus propositiones, & problemata, in quibus praxes demonstrantur in nostris triangulis rectilineis, & sphæricis. Quanquam autem in indice triangulorum sphæricorum rectangulorum proponantur tantum singula in singulis problematibus inuenienda: ijs tamen inuentis, pleraque etiam alia in eisdem reperiuntur, vt ex superioribus liquet.

INDEX PROBLEMATVM, ET PRAXIVM TRIANGVLORVM.

IN TRIANGVLIS RECTILINEIS RECTANGVLIS

Inuenitur

IN TRIANGVLIS RECTILINEIS NON RECTANGVLIS

Inueniuntur

12. Vnum latus, & duo anguli illi adiacentes; ex reliquis duobus lateribus, & reliquo angulo ab ipsis comprehenso.
13. Duo anguli, & vnum latus vni eorum oppositum; ex reliquis duobus lateribus, & reliquo angulo, qui vni eorum opponitur.

IN TRIANGVLIS SPHÆRICIS RECTANGVLIS

Inuenitur arcus angulo recto oppositus

3. Ex arcu circa rectum angulum, & angulo ei opposito.
12. Ex arcu circa angulum rectum, & angulo ei adiacente.
7. Ex vtroque arcu circa angulum rectum.
16. Ex vtroque angulo non recto.

Inuenitur arcus circa angulum rectum

2. Ex arcu rectum angulum subtendente, & angulo, qui quæsito arcui opponitur.
14. Ex arcu rectum angulum subtendente, & angulo, qui quæsito arcui adiacet.
8. Ex arcu angulum rectum subtendente, & altero arcu circa angulum rectum.
10. Ex altero arcu circa rectum angulum, & angulo ei opposito.
9. Ex altero arcu circa angulum rectum, & angulo ei adiacente.
4. Ex vtroque angulo non recto.

Inuenitur angulus non rectus

1. Ex arcu rectum angulum subtendente, & arcu circa angulum rectum, qui quæsito angulo opponitur.
13. Ex arcu angulum rectum subtendente, & arcu circa angulum rectum, qui quæsito angulo adiacet.
15. Ex arcu rectum angulũ subtendente, & altero angulo non recto.
11. Ex vtroque arcu circa angulum rectum.
5. Ex arcu circa rectum angulum, qui angulo quæsito opponitur, &

altero angulo non recto illi arcui adiacente.

6. Ex arcu circa angulum rectum, qui angulo quæſito adiacet, & altero angulo non recto illi arcui oppoſito.

IN TRIANGVLIS SPHÆRICIS NON RECTANGVLIS

Inueniuntur

17. Omnes tres arcus; ex omnibus tribus angulis.
18. Omnes tres anguli; ex omnibus tribus arcubus.
19. Vnus arcus, & duo anguli illi adiacentes; ex alijs duobus arcubus, & reliquo angulo ab ipſis comprehenſo.
20. Duo arcus, & angulus ab ipſis comprehenſus; ex reliquo arcu, & alijs duobus angulis huic arcui adiacentibus.
21. Duo arcus, & vnus angulus vni eorum oppoſitus; ex reliquo arcu, & alijs duobus angulis, quorum vni hic arcus opponitur: ſi modo conſtet ſpecies arcus alteri angulo dato oppoſiti.
22. Duo anguli, & vnus arcus vni eorum oppoſitus; ex reliquo angulo, & alijs duobus arcubus, quorum vni hic angulus opponitur: ſi modo conſtet ſpecies anguli alteri arcui dato oppoſiti.

ATQVE hic finis ſit noſtrorum triangulorum, in quibus omnia ea videor eſſe complexus, quæ ad calculum ipſorum requiruntur. His ergo, benigne Lector, interea fruere feliciter, dum tres integros libros triangulorum ſphæricorum Menelai, cum duobus Franciſci Maurolyci, in quibus multo plura, quam hic à nobis explanata ſunt, & quidem ſcitu iucundiſſima, continentur, clarioribus demonſtrationibus illuſtratos in lucem, Deo noſtris cœptis bene fauente, prodire ſinamus.

FINIS TRIANGVLORVM SPHÆRICORVM.

Reges[...]

† A B C D E F G H I K [...]
V X Y Z.

Aa Bb Cc Dd Ee Ff Gg [...]
Nn Oo Pp Qq Rr Sſ T[...]

Aaa Bbb Ccc Ddd Eee Ff[...]
Lll Mmm Nnn Ooo Ppp [...]

Omnes ſunt Duerni . Solum Gg S[...]

ROMAE,
Ex Typographia Dominici Baſæ.
M D L X X X V I.

...de su tang.^{te}

contrario restada

...tang.^{te} queda tangente

...de su secante queda

...ralm.^{te} restada la tang.^{te}

...secante queda tang.^{te} de

dicho angulo

Im

xk

ei sunt.